R. P.
MARTINI BECANI
SOCIETATIS IESV THEOLOGI,
THEOLOGIAE SCHOLASTICAE
PARS TERTIA.
TRACTATVS PRIMVS
DE MYSTERIO INCARNA-tionis Christi Domini.

PARISIIS,
Apud DIONYSIVM LANGLOIS, in Monte Diui Hilarij, sub Pelicano.

M. DC. XXII.

REVERENDISS. ET ILL^mo
Principi ac Domino

IO. GODEFRIDO

EPISC. BAMBERGENSI,
& Herbipolensi, Franconiæ Duci,
&c. Domino clementissimo.

VR hoc meum de Mysterio INCARNATIONIS CHRISTI DOMINI nostri op^9, Amplissimæ Celsitudinis Tuæ nomini inscriptum, dicatum, consecratumque velim, causæ sunt permultæ; earumque aliæ communes mihi cum multis, priuatæ aliæ. Commune cum multis est

beneficium illud tuum eximium & excellens, quod in communes nostros parentes, in Ecclesiam Catholicam matrem vniuersorum Christi-fidelium, & in Sereniſſimum Inuictiſſimumque Imperatorem FERDINANDVM SECVNDVM Patrem patriæ noſtræ, anno ſuperiori contuliſti.

Periclitata eſt, ſi vnquam alias, tum profectò maximè in Bohemia, Sacri Romani Imperij, auitæque Religionis maieſtas & ſalus; periclitanti in tempore promto excelſoque animo ſuccurriſti, ſubmiſſis auxiliaribus copiis, quæ è magno illo, memorabilique prælio Pragenſi, Deo, Superisque omnibus annuentibus, non minimam rerum præclare geſtarum laudem retulerunt, quod ſanctæ Matri, pro qua, vt ego multis iam annis contra Caluiniſtas ſtylo: ita Celſitudo Tua felicibus armis decertauit; quod Patri amantiſſimo, cuius etiam

mihi æterna ſalus & vita in quotidianis eſt votis, præſtitiſti, id & mihi filiorum minimo, collatum præſtitumque arbitror, eamque ob rem non minùs mihi, quàm cuiquam alteri, animum tanti beneficij memorem exhibendum.

Idque eo libentius alacriuſque facio, quod altera ratio, minus quidem communis, quam ante dicta: communis tamen mihi cum iis omnibus, qui per gratiam Spiritus Sancti in Societatem IESV vocati ſunt, accedat. Nam illa Tua, Reuerendiſſime Princeps, ſingularis, planeque paterna in Collegia noſtra, propenſio, beneficentiaque quam non gratæ mentis ſignificationem à me, collegiſque omnibus requirit? quas non gratias, vel hoc vno nomine, vt de aliis nihil dicam, debemus vniuerſi, quod Societatem noſtram, apoſtolico zelo erga oues tuas inflammatus,

Bambergam accerſieris, fundatoque Collegio nouo formandæ iuuentuti, rudibuſque in fide & pietate inſtituendis præſtiteris? Erit apud poſteros noſtros monumentum hoc ære perẽnius, quo vt nobis, ſecundùm inſtituti noſtri rationem diu optatam laborandi, pro maiori Dei gloria amplificanda, occaſionem: ita tuis perpetuos ingeniorum, animarumque cultores ſubminiſtraſti.

Remunerator omnis boni Deus erit pro his omnibus merces tua magna nimis. Ego id tantum ago, vt meorum commentariorum oblatione, acceptorum beneficiorum meminiſſe nos, & nullo vnquam tempore. Tuorum meritorum memoriam depoſituros teſtatum faciam. Sed & (vt quod res eſt fatear) iam diu ante, quam vel Bohemica pugna committeretur, vel inſtitueretur Collegium Bambergenſe, debebantur à

me florentissimæ Academiæ Herbipolensi, eiusque Principi imprimis, hi mei de Christi Incarnatione labores etiam ob causas mihi peculiares. Quod enim olim in illa Tua celeberrima Vniuersitate, & Doctoralibus fuerim insigniis exornatus, & potestatem Sacrosanctæ Theologiæ publicè docendæ sim consecutus, quantus, quãtus sum, tuus sum, omniaque Tibi, vt academicus cliens, Patrono Academiæ Vigilantissimo, iure merito debeo, & accepta refero. Iam verò, quod hanc ipsam lucubrationum mearum partem ibidem concepi, peperi, delineaui; quo iustius eam iubeam abire, quam Herbipolim, vt vbi primum lucem cœpit aspicere? ibidem velut in patrio solo deinceps cum plurium vtilitate, iucundius superstit, & ætatem exigat; gratulans sibi iam adulta de eius patrocinio, cuius auspiciis primũ nata & formata fuit?

Accipe igitur Clementissime Domine, Illustrissime Princeps, opus tot Tibi titulis debitum, bonique consule, si minus maximis tuis in Societatem & in me meritis respondet; non est exiguarum virium nostrarum parem referre gratiam; non generosæ mentis Tuę hac in mortali vita, mercedem pro benefactis recipere. Reddet quam nos non possumus, in cœlesti patria, coronam gloriæ, pro his aliisque omnibus præclare gestis, retributor omnium DEVS. Viennæ 8. Nouembr. 1621.

Reuerendiss. & Illustriss. Cels. Vestræ

Seruus in Christo

MARTINVS BECANVS
Societatis IESV.

APPROBATIO
AD MODVM R. P.
PRÆPOSITI GENERALIS Societatis IESV.

MVTIVS VITELLESCVS, Societatis IESV Præpositus Generalis.

CVM Librum de Incarnatione P. MARTINI BECANI, Societatis noſtræ, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint; ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 13. Nouembris 1621.

MVTIVS VITELLESCVS.

APPROBATIO REVERENDISSIMI ET ILLVTRISS. ARCHIEP. Mog. per Rm. D. STEPHANVM VVeberum Suffraganeum.

Stephanus VVeberus, Episcopus Misiensis, Suffraganeus Moguntinensis, &c. pro Rmo atq; Illmo Archiepiscopo Mog. per Archidiœcesin librorum Censor.

CVM Librum de Incarnatione R. P. Martini Becani, Admodum Rdus P. Mutius Vitelleschus Societ. IESV Præpositus Generalis, recognitum & approbatum à tribus ad id deputatis Theologis, in lucem exire permittet, si ijs, ad quos pertinet, videatur; nos eundem approbamus & vt edatur, permittimus. Datum Mog. 21. Ianuarij Anno 1622.

Stephanus VVeberus Episcopus Misiensis, Suffraganeus Moguntinus in fidem subscripsi.

INDEX CAPITVM.

CAPVT I.

De Incarnatione. fol. 5

1. *An Incarnatio sit possibilis?* 6
2. *An sit facta?* 9
3. *An per se conueniens?* 11
4. *An conueniens ad redimendum genus humanum?* 14
5. *An ad hunc finem necessaria?* 17
6. *An principaliter ad hunc finem facta?* 18
7. *An facta fuisset, si Adam non peccasset?* 29
8. *An fuerit à Deo prædefinita ante præscientiam peccati originalis?* 33
9. *An præcipue propter peccatum originale?* 35
10. *An conuenienti tempore facta?* 39

CAPVT II.

De Vnione hypostatica. 42.

1. *Quid sit Vnio hypostatica, quatenus est actio?* 43
2. *Quid sit, quatenus est terminus actionis?* 45
3. *Quid sit, quatenus est relatio?* 51.

4. *An Vnio hypostatica sit præstantissima inter omnes vniones?* 53
5. *Quæ sit causa efficiens vnionis hypostaticæ?* 56
6. *An fuerit aliqua dispositio præuia ad hanc vnionem.* 59

CAPVT III.

De Assumptione humanitatis ad personam Verbi. 60

CAPVT IV.

De Persona assumente. 61

1. *An sola persona Filij assumpserit humanitatem?* 62.
2. *An natura diuina possit assumere humanitatem?* 64.
3. *An plures personæ diuinæ possint eandem naturã assumere?* 69
4. *An vna persona diuina possit assumere plures naturas?* 71.
5. *An etiam persona creata possit aliquam naturam assumere?* 75.

CAPVT V.

De humana assumpta. 79
1. *An persona Verbi assumpserit omnes partes humanæ naturæ?* *ibid.*
2. *Quo ordine eas assumpserit?* 84.
3. *An etiam alia natura, præter humanam, sit assumptibilis?* 86
4. *An materia & forma seorsim?* 88
5 *An accidens?* 89

6. *An natura creata, existens cum propria personalitate?* 91.

CAPVT VI.

De Christo, qui resultat ex persona assumente & natura assumpta. 93

1. *An in Christo, post vnionem hypostaticam, maneant duæ integræ, diuina & humana?* ibid.
2. *An sicut in Christo sunt duæ naturæ, sic etiam sint duæ personæ? an potius sit vna persona, ex duabus & in duabus naturis subsistens?* 98
3. *An ista persona sit composita?* 101
4. *An creata seu producta?* 105

CAPVT VII.

De Communicatione Idiomatum. 106

1. *Quid sentiant Catholici de communicatione idiomatum?* 107.
2. *Quæ difficultates occurrant in hac materia, præsertim circa modum loquendi?* 109
3. *Quid sentiant Lutherani?* 116
4. *An humanitas Christi per communicationem idiomatum sit vbique, vt Lutherani contendunt?* 122

CAPVT VIII.

De Gratia Christi. 132

1. *An in Christo fuerit gratia habitualis?* ibid.
2. *Quando & quomodo data sit illi hæc gratia?* 137
3. *An fuerit infinita?* 139
4. *An potuerit augeri?* 141
5. *An in Christo, præter gratiam habitualem, fuerit etiam actualis?* 143

6. *An gratiæ gratis datæ?* 146.
7.8.9. *An virtutes, præsertim fides, spes, pœnitentia?* 149. 150.
10. *An dona Spiritus Sancti?* 152

CAPVT IX.

De Scientia Christi. 153

1. *An Christus secundum humanitatem intellexerit aliquid per scientiam increatam?* 154
2. *An ab instanti conceptionis habuerit visionem beatificam?* 156
3. *An etiam habuerit scientiam infusam, distinctam à visione beatifica?* 158
4. *Qualis fuerit hæc scientia infusa?* 162
5. *Quomodo Christus ea sit vsus?* 166
6. *An habuerit etiam aliquam scientiam acquisitam?* 169
7. *An Christus per aliquam istarum scientiarum cognouerit omnes creaturas possibiles?* 172
8. *An omnia præterita, præsentia & futura?* 179

CAPVT X.

De potentia Christi. 182

1. *De potentia diuina.* 183.§.6
2. *De potentia humana.* 184.§.9
3. *De potentia supernaturali ad producendam gratiam, & patranda miracula; Et, an hæc potentia fuerit physica, an tantum moralis?* 187.§.10

CAPVT XI.

De defectibus Christi ex parte corporis. 188

CAPVT XII.

De defectibus Christi ex parte animæ. 190
1. *An in Christo fuerit peccatum originale?* *ibid.*
2. *An Christus aliquando peccauerit actualiter?* 191
3. *An potuerit actu peccare?* 192
4. *An in Christo potuerit esse peccatum habituale?* 196
5. *An in Christo fuerit fomes peccati?* 197
6. *An dolor & tristitia sensibilis?* 202
7. *An dolor & tristitia voluntatis?* 205
8. *An timor?* 209

CAPVT XIII.

De Voluntate Christi. 212
1 *An humana Christi voluntas fuerit libera in operando?* *ibid.*
2. *Quomodo hæc libertas voluntatis Christi possit conciliari cum eius impeccabilitate?* 214
3. *An in voluntate Christi fuerint actus efficaces & ineffi-caces?* 218
4. *An voluntas Christi semper fuerit conformis diuinæ voluntati?* 220
5. *An semper fuerit impleta?* 224

CAPVT XIV.

De Merito Christi. 226
1. *An actiones Christi fuerint infiniti valoris?* 227

2. *An fuerint etiam infiniti meriti?* 230
3. *Per quas actiones meruerit Christus.* 233
4. *Quo tempore meruerit?* 237
5. *An Christus meruerit gloriam corporis, & exaltationem nominis?* 241
6. *An vnionem hypostaticam?* 244
7. *An Christus meruerit sibi beatitudinem, seu visionem beatificam?* 254
8. *An gratiam habitualem?* 260
9. *Quid Angelis?* 261
10. *Quid nobis?* 262
11. *Quomodo Christi merita nobis applicentur?* 268
12. *Quomodo nostra merita dependeant à meritis Christi?* 273.

CAPVT XV.

De Satisfactione Christi. 277

1. *An satisfactio Christi sit pura satisfactio? an vero includat etiam rationem meriti?* ibid. §. 2
2. *An Christus condigne satisfecerit pro peccatis nostris?* 278. §. 5.
3. *An ex iustitia?* 278. §. 5
4. *An ex rigore iustitiæ?* 281. §. 13

CAPVT XVI.

De Subiectione Christi. 282

1. *An Christus fuerit subiectus legi naturali? an legi Mosaicæ? an Euangelicæ? an speciali præcepto moriendi pro nobis?* 283.
2. *An Christus secundum humanitatem proprie sit seruus Dei* 287

CAPVT

CAPVT XVII.

De Oratione Christi. 293

1. *An Christus in hac vita vere orauerit?* *ibid.*
2. *Quare in hac vita orauerit?* 296
3. *An oratio Christi semper fuerit exaudita?* 298
4. *An etiam nunc in cœlo pro nobis oret?* 301

CAPVT XVIII.

De Adoptione Christi. 306

1. *Quid sit Adoptio, tam humana, quam diuina?* *ibid.*
2. *Quomodo altera ab altera differat?* 309
3. *Quinam sint capaces adoptionis diuinæ?* 311
4. *An Christus secundum humanitatem sit filius Dei adoptiuus?* 314
5. *An sit filius Dei naturalis?* 318

CAPVT XIX.

De Prædestinatione Christi. 322

1. *An Christus secundum diuinitatem possit dici prædestinatus?* 323
2. *An secundum humanitatem?* 327
3. *An ipsa humanitas sit prædestinata?* 330
4. *An prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis?* 331

CAPVT XX.

De Christo, quatenus est Caput Ecclesiæ. 332

1. *An Christus sit Caput Ecclesiæ?* *ibid.*§.2
2. *An sit Caput omnium hominum?* 334. §.7
3. *An etiam Angelorum?* 335. §.8
4. *Quæ sit gratia Capitis in Christo?* *ib.*§.9

CAPVT XXI.

De Christo, quatenus est Mediator. 336

1. *An solus Christus sit Mediator Dei & hominum?* 336.§.2
2. *Secundum quam naturam sit Mediator?* 337.§.3

CAPVT XXII.

De Christo, quatenus est Sacerdos. 340

1. *An Christus fuerit vere ac proprie Sacerdos?* *ib.*§.2
2. *An fuerit Sacerdos secundum naturam humanã?* *ib.*§.3.
3. *An fuerit simul Sacerdos & Sacrificium?* 241.§.5
4. *An sacerdotium eius sit eiusdem rationis cum sacerdotio legis naturæ, aut cum sacerdotio Mosaico, aut cum Euangelico?* 242.§.6
5. *Cur dicatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech?* *ibid.*§.7

CAPVT XXIII.

De Christo Propheta. 243

1. *Quæ sint officia Prophetarum?* *ibid.*§.2
2. *An omnia Prophetarum officia conueniant Christo?* 345. §.6

CAPVT XXIV.

De Christo Rege. 347

1. *An Christus, quatenus homo, sit Spiritualis Rex Ecclesiæ?* 348. §. 2
2. *An etiam temporalis Rex, siue Iudeæ, siue totius mundi?* 349. §. 4

CAPVT XXV.

De Christo Legislatore. 350

1. *An Christus fuerit Legislator?* *ibid.* §. 2
2. *Quas leges tulerit seu sanciuerit?* 351 §. 3

CAPVT XXVI.

De Christo Iudice. 352

1. *Christus in primo suo aduentu non exercuit officium Iudicis, sed Saluatoris.* *ibid.* §. 1
2. *At in secundo aduentu exercebit officium Iudicis.* 353. §. 4.

CAPVT XXVII.

De Antichristo. 354

1. *An Antichristus iam venerit?* 355. §. 2

2. *An Papa sit Antichristus? Vtrumque affirmant hæretici, negant Catholici.* §. 27

CAPVT XXVIII.

De B. Virgine Matre Christi. 373

1. *An B. Virgo concepta sit in peccato originali?* *ibid*
2. *An habuerit fomitem peccati?* 378
3. *An aliquando peccauerit venialiter?* 380
4. *An semper Virgo permanserit?* 382
5. *An verum matrimonium contraxerit cum Ioseph?* 386
6. *An proprie dicenda sit Mater Dei?* 389

FINIS.

MARTINI BECANI TERTIA PARS THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ.

DE INCARNATIONE.

1. *IN prima parte actum est de Deo, quatenus est vnus in essentia, trinus in personis, & Creator omnium rerum. In secunda de Deo, quatenus est finis vltimus, ad quem creati sumus: Et de mediis, quibus eum assequimur. In hac tertia agendum est de Deo, sub alia duplici consideratione. 1. quatenus per Incarnationem factus est homo, & humani generis Redempter. 2. quatenus sanctificat nos per Sacramenta. Erunt igitur duo tractatus: Alter de Incarnatione: Alter de Sacramentis.*

2. *Et quidem in mysterio Incarnationis, de quo nunc agimus, hæc quinque spectari debent.* 1. *persona filij Dei, quam personam Verbi appellamus.* 2. *Natura Christi humana.* 3. *Vnio huius naturæ cum persona Verbi.* 4. *Christus, qui resultat ex hac vnione.* 5. *Ea quæ conueniunt Christo, vel ratione personæ Verbi, vel ratione naturæ humanæ, vel ratione vnionis.*

3. *Porro hæc vnio solet appellari tribus nominibus, eandem rem, diuerso modo, significantibus.* 1. *Incarnatio, quia persona Verbi incarnata est, iuxta illud:* Verbum caro factum est. 2. *Vnio hypostatica, quia humana Christi natura vnita est personæ seu hypostasi Verbi.* 3. *Assumptio humanitatis ad personam Verbi, quia persona Verbi assumpsit humanam naturam ad suam subsistentiam seu personalitatem. De his omnibus agendum est hoc ordine.*

---

1. De Incarnatione.
2. De Vnione hypostatica.
3. De Assumptione humanitatis ad personam verbi.
4. De Persona assumente.
5. De humanitate assumpta.
6. De Christo, qui resultat ex persona assumente & humanitate assũpta.

7. De communicatione idiomatũ, id eſt, de proprietatibus ſeu attributis, quæ communicantur Chriſto, ratione aſſumptionis ſeu vnionis hypoſtaticæ.

8. De perfectionibus Chriſti ex parte humanitatis. Ac primo de Gratia.

9. De ſcientia.

10. De potentia.

11. De defectibus Chriſti ex parte corporis.

12. De defectibus ex parte animæ.

13. De voluntate Chriſti.

14. De merito.

15. De ſatisfactione.

16. De ſubiectione & obedientia.

17. De Oratione.

18. De adoptione.

19. De prædeſtinatione.

20. De officiis Chriſti. Ac primo de Chriſto Capite Eccleſiæ.

21. De Chriſto mediatore.

22. De Chriſto Sacerdote.

23. De Chriſto propheta.

24. De Chriſto Rege.
25 De Chriſto Legiſlatore.
26. De Chriſto Iudice.
27. De Antichriſto, ſeu aduerſario Chriſti.
28. De B. Virgine, Matre Chriſti.

CAPVT PRIMVM.

De Incarnatione.

QVAMVIS Incarnatio, Vnio hypoſtatica, & Aſſumptio humanitatis ad perſonam Verbi, eandem rem ſignificent, vt dixi, differunt tamen aliquo modo inter ſe: Et quædam tribuuntur vni in terminis, vt vocant, quæ aliis non ſolent tribui. Itaque ſeorſim de ſingulis agendum. Ac primò de Incarnatione, quæ nihil aliud eſt, quàm actio, qua perſona Verbi incarnata eſt; vel, qua filius DEI naturam humanam aſſumpſit ad ſuam hypoſtaſim ſeu ſubſiſtentiam. Quæ actio ſolet etiam vocari Vnio ſeu vnitio, ſeu actio vnitiua, vt cap. ſequenti videbimus. Igitur de hac actione, quatenus ſignificatur nomine incarnationis, quæritur 1. An Incarnatio ſit poſſibilis? 2. An ſit facta? 3. An per ſe conueniens? 4. An conueniens ad redimendum genus humanum? 5. An ad hunc finem neceſſaria? 6. An principaliter ad hunc finem facta? 7. An facta fuiſſet, ſi Adam non peccaſſet? 8. An fuerit à Deo præfinita ante præſcientiam peccati originalis? 9. An præcipue propter peccatum originale? 10. An conuenienti tempore facta?

QVÆSTIO I.

An Incarnatio sit possibilis?

1. SEnsus est, an possibile sit, Deum incarnari, seu hominem fieri? Vel an possibile sit, humanam naturam vniri personæ Verbi? Distinguo. Ex fide & reuelatione Dei certum est, hoc esse possibile; quia ex fide & reuelatione Dei certum est, factum esse. At non esset factum, si non esset possibile. Sed manet quæstio, an secluſa fide & reuelatione Dei, solo lumine naturali cognosci possit, vel possibile esse, vel impossibile.

2. PRIMA CONCLVSIO. Solo lumine naturali non potest euidenter cognosci aut demonstrari, Incarnationem esse possibilem. Ratio est, quia ad hoc cognoscendum aut demonstrandum, tria cognitu necessaria sunt. 1. quod natura humana possit separari à propria subsistentia. 2. Quod vniri possit subsistentiæ diuinæ, & per eam formaliter subsistere. 3. quod tres sint subsistentiæ diuinæ relatiuæ, & quod vni earum substantialiter coniungi possit. Ad hæc tria non possunt cognosci solo lumine naturali: Ergo nec possibilitas Incarnationis, prout facta est, naturaliter cognosci potest.

3. Dices 1. Angelus solo lumine naturali penetrat naturam humanam, & totam eius capacitatem: Ergo solo lumine naturali cognoscit, eam separari posse à propria subsistentia, & vniri cum diuina. Qui enim penetrat naturam & capacitatem alicuius rei, is perfectè cognoscit quidquid in illa, vel circa illam fieri potest. Respondeo. Duplex

est capacitas naturæ humanæ: altera naturalis; altera obedientialis. Angelus penetrat priorem solo lumine naturali; non tamen posteriorem. Igitur solo lumine naturali cognoscit, quidquid naturaliter in ea fieri potest: non tamen, quidquid supernaturaliter. At separatio naturæ humanæ à propria subsistentia non potest fieri naturaliter, neque secundùm capacitatem naturalem. Ergo Angelus solo lumine naturali non potest cognoscere, possibilem esse talem separationem. Deinde etiamsi cognosceret esse possibilem, non ideo cognosceret reliqua duo, de quibus dictum est: Nempe, tres esse relatiuas subsistentias, & naturam humanam per vnam illarum formaliter posse subsistere.

4. Dices 2. Angelus naturaliter cognoscit Deum esse omnipotentem, seu potentiam Dei esse infinitam: Ergo naturaliter cognoscit, Deum posse facere, quidquid non implicat contradictionem: At Incarnatio non implicat contradictionem, quia constat factam esse: Ergo Angelus naturaliter cognoscit, esse possibilem. Respondeo. Angelus generatim, & in confuso cognoscit naturaliter, Deum esse omnipotentem, & posse facere, quidquid non implicat contradictionem; quod etiam nos cognoscimus. At distincte & in particulari, non cognoscit naturaliter, an hoc vel illud mysterium implicet contradictionem, quia non penetrat omnipotentiam Dei, & totam creaturæ capacitatem obedientialem.

5. Secvnda conclvsio. Non potest etiam solo lumine naturali euidenter cognosci aut demonstrari, Incarnationem esse impossibilem.

1. Quia cum facta sit, certum est, impossibilem non esse. 2. Quia nulla apparet contradictio. Dices, apparet triplex contradictio. Vna ex parte Dei, quia impossibile est, Deum mutari. At mutaretur per Incarnationem, quia per illam substantialiter fieret homo, cum antea non esset homo. Altera ex parte humanitatis, quia impossibile est, eam priuari propria existentia, cum existentia sit de intrinseca ratione rei existentis. Tertia ex parte vtriusque, quia cum infinite inter se distent, non possunt inter se vniri, & constituere vnum per se.

6. Respondeo ad singula. Ad 1. Deus non mutatur per Incarnationem, quia per illam non acquirit aut amittit vllam perfectionem intrinsecam. Tametsi enim fiat homo, tamen humanitas non fit intrinseca Deitati aut personæ, sed solum illi vnitur, sine vlla intrinseca Dei mutatione. Nec obstat hic loquendi modus: Deus per Incarnationem fit homo, cum antea non esset homo. Nam licet recte inde colligatur, aliquam mutationem factam esse; non tamen necesse est, factam esse in Deo, sed sufficit factam esse in humanitate. Vide cap. sequenti, quæst. 2. §. 4. & 5.

7. Ad 2. Aliud est, priuari propria existentia; aliud, priuari propria subsistentia. Hoc posterius, de quo hîc agimus, non implicat. De priori iam non disputo. Thomistæ putant humanitatem Christi priuari posse propria existentia, & reipsa priuatam esse. Alij id negant. Sed nihil ad præsens institutum. Satis nobis est, priuari posse propria subsistentia, quod plerique concedunt.

8. Ad 3. Infinita distantia perfectionis, quæ est

inter personam Verbi & humanitatem Christi, non obstat, quo minus hæc illi vniri possit; modo inter hanc & illam sit sufficiens proportio ad constituendum compositum. Est autem sufficiens proportio, quia humanitas est capax, vt actu subsistat per infinitam subsistentiam: sicut est capax vt à Deo producatur per infinitam potentiam. Sicut ergo non sequitur: Humanitas Christi & omnipotentia Dei infinite inter se distant: Ergo illa per hanc creari non potest: Sic etiam non sequitur. Humanitas Christi, & subsistentia Verbi infinite inter se distant: Ergo illa per hanc subsistere non potest. Ratio est, quia infinita illa distantia in eo solum consistit, quod perfectio creaturæ infinite distet à perfectione Dei; non autem in eo, quod nulla sit proportio creatoris ad creaturam in genere causæ & effectus, aut subsistentiæ diuinæ ad creaturam subsistentem in genere principij terminantis, & rei terminatæ.

Quæstio II.

An Incarnatio sit facta?

1. Hic similiter distinguendum est. Nam ex fide & reuelatione Dei constat, factam esse, iuxta illud; *Verbum caro factum est.* At quæritur, an solo lumine naturali cognosci aut demonstrari id possit? Respondeo. Non potest. 1. quia nemo potest naturaliter cognoscere, Filium Dei factum esse hominem, nisi naturaliter cognoscat Trinitatem: Hanc autem naturaliter cognoscere non

poteſt. Ergo. 2. Quia nullum eſt principium aut effectus naturalis, ex quo euidenter colligatur Incarnatio.

2. DICES 1. Ex miraculis Chriſti poterat euidenter colligi Chriſtum eſſe Deum, & conſequenter in Chriſto factam eſſe incarnationem. Reſpondeo 1. Miracula non ſunt effectus naturales, ſed ſupernaturales. 2. Nec ex ſolis miraculis id poterat colligi. Nam etiam Apoſtoli & Prophetæ fecerunt miracula, & tamen ex his ſolis non poterat colligi eorum diuinitas, quæ nulla erat. 3. Poterat tamen id colligi ex miraculis coniunctis cum diuina reuelatione, qua Chriſtus teſtabatur ſe eſſe Filium Dei, & ſuam deitatem miraculis confirmabat, vt Ioan. 5. 36. *Ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia pater miſit me.* Et cap. 10. 25. *Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.*

3. DICES 2. Angelus naturaliter poteſt cognoſcere humanitatem Chriſti priuatam eſſe propria ſubſiſtentia: Ergo etiam poteſt naturaliter cognoſcere quod ſubſiſtat per alienam ſubſiſtentiam: non per creatam: Ergo per increatam. Antecedens patet, quia propria ſubſiſtentia humanitatis eſt ordinis naturalis; Ergo etiam priuatio illius eſt ordinis naturalis. Quidquid autem eſt ordinis naturalis, poteſt angelus naturaliter cognoſcere. Reſpondeo. Priuatio alicuius formæ poteſt dupliciter fieri. 1. Per actionem naturalem; & tunc naturaliter cognoſci poteſt. 2. Per actionem ſupernaturalem; & tunc non ſemper cognoſci poteſt naturaliter. Huiuſmodi autem eſt priuatio ſubſiſtentiæ in huma-

nitate Christi. Deinde, Esto, Angelus naturaliter cognoscat absentiam subsistentiæ humanæ, non ideo cognoscit humanitatem Christi subsistere per subsistentiam diuinam. Potest enim dubitare, an miraculose conseruetur sine omni subsistentia. Hoc enim non implicat. Denique, cognoscat etiam subsistere per subsistentiam diuinam; non ideo cognoscit subsistere per relatiuam subsistentiam personæ Verbi.

Quæstio III.

An incarnatio per se sit conueniens.

1. Dvobvs modis potest aliquod opus Dei esse conueniens. Primò, per se, seu propter propriam bonitatem & excellentiam. Secundò, in ordine ad aliquem finem extrinsecum, ad quem consequendum est vtile vel necessarium. De priori modo hîc dicam. De posteriori in sequenti quæstione. Hîc ergo quæritur, An Incarnatio per se seu ex natura sua, seu propter propriam bonitatem sit conueniens? Quod tripliciter intelligi potest. 1. An ex se sit conueniens Deo? 2. An humanæ naturæ? 3. An toti vniuerso?

2. Prima Conclvsio. Incarnatio per se est conueniens Deo, id est, consentanea diuinæ bonitati & perfectioni. Ita D. Thomas quæst. 1. art. 1. Ratio eius, quia consentaneum est naturæ boni, vt se aliis communicet: Ergo consentaneum est naturæ summi boni, vt se summe communicet: Deus autem est summum bonum:

Ergo Deo consentaneum est, se summe communicare. Hoc fit per Incarnationem: Ergo Incarnatio est Deo consentanea.

3. Dices, Deus excellentiori modo communicat se Filio per æternam generationem, & Spiritui Sancto per æternam spirationem, quam humanitati per Incarnationem: Ergo non summe communicat se per Incarnationem. Respondeo, Deus duobus modis se communicat .1. naturaliter ad intra. 2. libere ad extra. Prior communicatio est duplex. Vna per intellectum, qua communicat se Filio. Altera per voluntatem, qua communicat se Spiritui Sancto. Posterior est triplex. Prima naturæ. Secuda gratiæ. Tertia vnionis hypostaticæ, seu Incarnationis Igitur Incarnatio est summa communicatio, non absolute, sed inter eas, quæ fiunt ad extra.

4. Sed contra: Maior esset communicatio ad extra, si Deus communicaret creaturæ, non tantum subsistentiam suam, sed etiam essentiam. 2. Si plures personæ, & non vna tantum, assumerent humanitatem. 3. Si vna persona assumeret plures humanitates. Respondeo. Prima communicatio est impossibilis, quia tunc creatura per essentiam esset Deus, quod implicat. Secunda & tertia est eiusdem rationis & ordinis cum Incarnatione Verbi; nec est maior, nisi extensiue.

5. Quæres, Quomodo Deus per Incarnationem summe se communicat ad extra? Respondeo. Tripliciter. 1. quasi in genere causę formalis; quia suam subsistentiam communicat humanitati. 2. In genere causæ efficientis; quia effectiue coniungit humanitatem cum sua subsistentia. 3. In genere causæ fi-

nalis; quia per Incarnationem allicit nos ad sui amorem.

6. Secunda conclusio. Incarnatio est etiam conueniens naturæ humanæ, id est magnum bonum & perfectionem ei adferens. Nam per eam factum est, vt homo sit Deus. Vnde multæ excellentiæ consequuntur. 1. vt homo sit superior omnibus Angelis. 2. vt sit caput totius vniuersi. 3. vt sit capax infiniti meriti. 4. vt sit fons salutis & omnium bonorum spiritualium. Quæ dignitates, etsi videantur, esse solius Christi, tamen moraliter in totum henus gumanum redundant. Vide Diuum Augustinum libro De Prædestinatione Sanctorum capite 15.

7. Tertia Conclusio. Etiam ad perfectionem & quasi complementum vniuersi fuit conuenientissimum Incarnationis mysterium. Primo, quia per hoc factum est, vt vniuersum omnes rerum ordines in se comprehenderet: Nempe ordinem naturæ, gratiæ, & vnionis hypostaticæ. Secundo, quia sicut in substantiis creatis est vna natura in vna persona: Et in substantia increata est vna natura in pluribus personis: ita reliquum erat, vt etiã plures naturę essent in vna persona, quod fit per Incarnationem. Simili modo S. Leo in Serm. de Natiuitate probat conueniens fuisse, vt Christus nasceretur ex Virgine, quia inuenitur, inquit, homo productus sine viro & muliere, vt Adam; & productus ex viro & muliere, vt Abel; & productus ex viro sine muliere, vt Eua; Ergo debuit etiam aliquis produci ex muliere sine viro, vt Christus.

QVÆSTIO IV.

An Incarnatio fuerit conueniens ad redimendum genus humanum?

1. EX dictis constat, opus Incarnationis per se, & ex natura sua esse conueniens, quia per se decet diuinam bonitatem; per se nobilitat humanam naturam; per se complet & perficit hoc vniuersum. Vnde etiam per se, & propter suam excellentiam est amabile. Nunc quæstio est, an fuerit etiam conueniens medium ad certum aliquem finem obtinendum, præsertim ad redimendum genus humanum? Ac proinde, an fuerit amabile, non solum propter se, sed etiam propter finem iam dictum? Resolutio ponitur in quarta Conclusione. Reliquæ conclusiones sunt præambulæ.

2. PRIMA CONCLVSIO. Sicut Incarnatio, ita etiam redemptio generis humani, est opus per se conueniens, propter similes rationes. 1. Quia per se decet diuinam bonitatem. 2. per se eximit genus humanum à seruitute, & dat ius libertatis. 3. per se confert ad maiorem perfectionem vniuersi. Vnde sequitur, Deum conuenienter fecisse, redimendo genus humanum à statu peccati.

3. Dices, Ergo conuenienter etiam fecisset, redimendo Angelos à statu peccati, propter easdem causas. Respondeo. Vtrumque conuenienter fecisset, si voluisset. Conuenientius tamen fuit, redimere homines, quàm Angelos, propter

has rationes. 1. quia tota humana natura ceciderat, non autem angelica. 2. homines peccauerant aliena voluntate; Angeli propria. 3. Homines erant decepti; non Angeli. Vide plura apud Suarez disp. 4. sect. 1. concl. 2.

4. Secvnda conclvsio. Redemptio generis humani potuit fieri tribus modis. 1. Ex mera misericordia & liberalitate Dei; vt si Deus gratis condonasset homini totam offensam. 2. Ex perfecta iustitia, vt si exegisset æqualem satisfactionem pro offensa. 3. Ex imperfecta iustitia; vt si contentus fuisset qualicunque satisfactione, & reliquum condonasset.

5. Tertia conclvsio. Redemptio generis humani ex perfecta iustitia per se conuenientior est, quam ex mera liberalitate aut ex imperfecta iustitia. Idque duplici Titulo. Primo ex parte Dei, quia in tali redemptione magis elucent attributa diuina, nempe summa iustitia, summa misericordia, summa sapientia. Nam summæ iustitiæ est, exigere æqualem satisfactionem: summæ misericordiæ est, dare modum & potestatem satisfaciendi ad æqualitatem: summę sapientię, in eodem opere coniungere duas virtutes, quę non videntur posse coniungi, vt summam iustitiam cum summa misericordia. Quo spectat illud Psalm. 84. 11. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt.* Secundo ex parte hominis, quia maior gloria illi accrescit ex eo, quod non indigeat liberali condonatione, sed possit ex perfecta iustitia satisfacere.

6. Dices. 1. Maior est liberalitas, gratis condonare omne debitum, quam satis-

factionem exigere. 2. est maior charitas, quia qui plus amat, plus remittit (Lucæ 7. 47.) Inter homines censetur esse maioris virtutis, gratis remittere iniuriam, quàm satisfactionem postulare. Respondeo, ad 1. & 2. Maioris adhuc charitatis & liberalitatis est donare vires & gratiam ad satisfaciẽdum. Ad 3. Licet in priuatis hominibus sæpè expediat gratuita & liberalis iniuriarum remissio; non tamen in principe, ad quem pertinet regimen, & vindicta delictorum. Non enim expedit, vt delicta maneant impunita. Deindè, Deus aliter exigit vindictam, quam plerique homines. Hi enim faciunt id vel ex odio, vel ex amore proprij commodi, & vtilitatis. At Deus ex iustitia & charitate erga nos, quia vult nobis præstare vires ad satisfaciendum ex iustitia, & ita dignitatem nostram augere.

7. QVARTA CONCLVSIO. Incarnatio fuit conuenientissimum medium ad redimendum genus humanum ex perfecta iustitia. Ita D. Thomas quæst. 1. art. 2. vbi id probat decem rationibus, quæ per se claræ sunt. Nostra ratio est, quia non sunt nisi duo media ad hunc finem, id est, ad redimendum genus humanum ex perfecta iustitia. Vnum est Incarnatio, seu vnio humanæ naturæ cum persona Diuina. Alterum, vnio naturæ Angelicæ cum persona diuina, quæ non est Incarnatio. At inter illa duo, conuenientior est Incarnatio, quam vnio naturæ Angelicæ cum persona diuina, vt patebit ex sequenti quæstione.

QVÆSTIO

Quæstio V.

An Incarnatio fuerit necessaria ad redimendum genus humanum.

1. Prima conclvsio. Quamuis Incarnatio fuerit valde conueniens ad redimendum genus humanum, non tamen omnino necessaria. Ita D. Thomas art. 2. Ratio est, quia homines poterant alio modo redimi, quam per Incarnationem, nempe per liberalem Dei condonationem.

2. Secvnda conclvsio. Si tamē redēptio humani generis fieri debebat ex perfecta iustitia, & per æqualē satisfactionem; necessaria quidem erat vnio hypostatica, non tamen incarnatio. Prior pars patet, quia nec purus Deꝰ, nec pura creatura potuisset æqualem satisfactionē prestare. Non Deus, quia satisfactio pro offensa requirit aliquā subiectionē: At Deꝰ nō habet, cui se subiiciat. Nec creatura, quia sicut offensa fuit infinita, ita satisfactio debuit esse infinita, quæ à pura creatura fieri non potest. Opus ergo fuit vnione hypostatica, per quā natura creata vniretur personæ Diuinæ. Sic enim, ratione naturæ creatæ poterat esse subiectio: Et ratione personæ diuinæ, infinitus valor in subiiciente & satisfaciente.

3. Dices, Nihil virtutis aut potentiæ accessit Deo per vnionem hypostaticam: Ergo si per illam potuit satisfacere, potuisset etiam sine illa. Respondeo. Nō sequitur; quia ad satisfaciendum non tantum requiritur virtus, aut potentia, sed etiam subiectio, vt dixi. Tametsi ergo per vnionem hypostaticam nihil virtutis aut potentiæ accesserit Deo; accessit tamen subiectio, quæ ad satisfactionem erat necessaria.

4. Posterior pars probatur, quia vnio hypostatica potest esse duplex: Vna cum natura Angelica: Altera cum humana. Quælibet illarum sufficisset ad redimendum genus humanum ex perfecta iustitia: Ergo neutra per se fuit necessaria: Ergo potuisset fieri redemptio & satisfactio per vnionem cum natura Angelica, sine Incarnatione.

5. TERTIA CONCLVSIO. Nihilominus Incarnatio fuit conueniētior ad hanc satisfactionem, quam vnio hypostatica cum natura Angelica. 1. quia conuenientius fuit, vt sicut offenderat homo, ita satisfaceret homo. 2. Maior erat confusio Dæmonis, quod ab eadem natura, quam vicerat, ipse quoque vinceretur. 3. Erat maior gloria humanę naturæ. Multa hîc disputari solent de satisfactione Christi, quæ nos infra disputabimus cap. 15.

QVÆSTIO VI.

An Incarnatio potissimum facta sit ad redimendum genus humanum?

1. EX dictis duo habemus. 1. Incarnationem per se esse valde excellentem. 2. eandem esse aptissimum remedium ad redimendum genus humanum. Nunc quęstio est, an potiſſimum à Deo prædestinata & facta sit propter suam excellentiā; an potius propter humani generis redemptionem?

2. Nota. Incarnatio potest dupliciter spectari. 1. quoad suam substantiam, quatenus est vnio humanitatis cum persona Verbi. 2. quoad modum seu circumstantiam accidentalem, quatenus hæc vnio facta est in carne passibili & mortali; cum

alioqui potuisset fieri in carne impassibili & immortali.

3. Hoc posito, aliqui docent, primum motiuum prædestinandæ & faciendę Incarnationis quoad substantiam, fuisse excellentiam ipsius: primum vero motiuum prædestinandæ & faciendę Incarnationis in carne passibili & mortali, fuisse remedium peccati seu humani generis redemptionem. Hinc inferunt. 1. Etiamsi Adam non peccasset, nihilominus Deum fuisse incarnandum; non tamen in carne passibili & mortali, sed in impassibili & immortali. 2. In æterno Dei consilio, prius fuisse decretū Incarnationis quoad substantiam; quam præscientiā peccati Adami. 3. Christum, ante præscientiam peccati Adami; prędestinatum fuisse Deum hominem: post illam vero, passibilem, mortalem, Redemptorem. Ita Rupertus, Albertus, Alexander, Scotus, Catharinus, Pigius, quos citat & sequitur Suarez disp. 5. sect. 2. & sequentibus.

6. PRIMA CONCLVSIO. Incarnatio non solum quoad circunstantiam accidentalem, sed etiā quoad substantiam, facta est ob redemptionē humani generis, tanquā ob causam proximā & primariā. Ita D. Thom. quæst. 1. art. 3. & pleriq; alij. Ratio est, quia scriptura semper assignat hāc causam Incarnationis seu aduentus Christi in hunc mundum. Lucæ 19. 10. *Venit filius hominis quærere & saluum facere, quod perierat.* Et Ioan. 3. 17. *Misit Deus filium suum in mundū, vt saluetur mundus per illum.* Et Galat. 4. 4. *Misit Deus filium suum, vt eos qui sub lege erant, redimeret.* Et 1. Timoth. 1. 15. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus IESVS venit in hunc mūdū peccatores saluos facere.* Et 1. Ioā. 3. 8. *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera dia-*

Loli. Et 1. Ioan. 4. 9. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit in hunc mundum, vt viuamus per eum.* Idem expreſſe habetur in Symbolo Niceno: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.*

5. Dices, Scriptura aſſignat cauſam Incarnationis, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum & circunſtantiam, quatenus ſcilicet facta eſt in carne paſſibili & mortali. Reſpondeo. Hoc dicitur ſine fundamento. Et ſine dubio falſum eſt. Primò, quia Scriptura abſolute loquitur de Incarnatione, non adhibita tali diſtinctione. Secundo, quia Patres, qui explicant Scripturam, diſerte affirmãt, non fuiſſe futuram Incarnationem, etiam quoad ſubſtãtiam, Si Adam non peccaſſet. Eorum teſtimonia citabo quæſt. ſequenti.

6. Et confirmatur. 1. quia remedium neceſſarium ad noſtrã redemptionem, non fuit ſola circunſtãtia Incarnationis, ſed ipſa quoque Incarnatio ſecundum ſuam ſubſtantiã, vt fatetur Suarez diſputat. 5. ſect. 4. concluſ. 3. Ergo Redemptio eſt cauſa finalis Incarnationis, tam quoad ſubſtantiã, quam quoad modũ & circumſtantiam. Secundo, quia quando aliquid eſt cauſa ſolius circunſtantiæ, & non ſubſtantiæ actionis, tunc non rectè dicitur cauſa illius actionis, vt patet in ſimili. Nam meritum Abrahę fuit cauſa vt Deus incarnaretur in carne ab ipſo deſcendente, iuxta illud Gen. 22. 16. *Quia feciſti hanc rem, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Et tamen meritum ipſius non poteſt dici cauſa Incarnationis. Non enim recte dixeris: Abraham meruit incarnationem: Vel, Deus incarnatus eſt propter meritum Abrahæ. Idẽ ſtatuendum de merito B. Virginis. Quamuis enim

meruerit circunstantiam incarnationis, non tamen potest dici causa Incarnationis. Vnde rectè Augustinus serm. 8. de verbis Domini, non longe à fine ait: *Non eum de cœlo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt.* Vbi loquitur de substantia Incarnationis. Nam si de circumstãtia loqueretur, falsum esset, merita nostra non duxisse Christum ad terram, vt patet de meritis Abrahæ & B. Virginis.

7. Secvnda Conclvsio. Præter redemptionẽ generis humani, nulla fuit causa proxima & primaria Incarnationis. Hîc tria suppono. Primo, nos nõ quærere causam finalẽ Incarnationis ex parte Dei, sed ex parte creaturæ. Nam certum est, ex parte Dei non esse aliam causam finalem omnium diuinorũ operũ, quàm ipsius gloriam & bonitatem. Secundo. Inter opera Dei, quędam fieri à Deo propter ipsorũ propriã excellentiam, & non propter alium finem certũ extrinsecum, ex parte creaturæ: quædam vero in aliũ finem ordinari. Quo pacto iustificatio impij ordinatur ad æternam gloriam & beatitudinem: Hæc autẽ beatitudo non ordinatur vlterius ad alium finem ex parte creaturæ; tametsi ordinetur in alium finem ex parte Dei, nempe in gloriam & bonitatem Dei. Tertio certum est, Incarnationem potuisse fieri à Deo, vel propter illius propriam excellentiam, vel propter aliquem finem extrinsecum. Nam hoc pendet ex libera Dei voluntate. Tota ergo quæstio est, vtro modo facta sit? Nos dicimus, proxime & primario factam esse propter solã redẽptionem humani generis, & non propter aliam causam: (loquor semper de causa primaria ex parte creaturæ.) Primo, quia Scriptura non assignat aliam causam, vt dixi. Secundo, quia Patres consentiunt. Clemens

lib.1. Const. Apost. cap. 7. *Saluator noster*, inquit, *non aliam ob causam venit, nisi vt saluaret.* Plures citabo sequenti quęstione.

8. TERTIA CONCLVSIO. Incarnatio, non tantum in executione, sed etiam in æterna Dei prædestinatione, facta est propter salutem hominum, & non propter aliam causam ex parte creaturæ. Sequitur ex dictis, quia quãdo aliquod Dei opus est indifferens, vt ordinari possit in hunc aut illum finẽ; tũc, quod in vnum potius ordinetur, quã in alium, solum potest prouenire ex diuina volũtate, quæ æterna est. Opus autem Incarnationis ex se indifferens est, vt possit ordinari in diuersos fines; Et in executione solum ordinatum est ad salutem hominum: Ergo in eundem finem, & non in alium, ab æterno ordinatum fuit per diuinam voluntatem.

9. Dices 1. Christus est finis omnium operũ diuinorum: Ergo per se primo intentus & prædestinatus est à Deo; non autem propter redemptionẽ humani generis; alioqui non esset finis omnium operũ. Antecedens patet ex illo Hebr. 2. 10. *Decebat eum, propter quem omnia per passionem consummari.* Et 1. Corinth. 3. 22. *Omnia vestra sunt: Vos autem Christi: Christus autem Dei.* Respondeo. 1. Christus secundum humanitatẽ non est finis omnium creaturarũ, sed secundũ diuinitatem. Prior locus Apostoli, qui obiicitur sic legẽdus est: *Decebat eum, propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorũ per passionẽ consũmare.* Non consummari, Sensus est; Decebat Deũ patrẽ, qui est principiũ & finis omniũ creaturarũ, vt Christũ authorẽ salutis nostræ, per passionẽ cõ summaret. Ex quo sensu nõ colligitur, Christũ hominẽ esse finẽ omniũ operum, sed Deum. Vide Riberam ibidẽ. Posterior locus nihil conuincit. Nam

omnes fideles dicuntur esse Christi, non autē Pauli aut Cephæ, quia Christus pro omnibus mortuus est, & omnes in Christi nomine baptizati sunt: quod de Paulo & Cepha dici non potest. Hic sensus colligitur ibidem ex cap. 1. v. 13.

10. Respondeo. 2. Quamuis Christus secundū humanitatē nō sit finis omniū creaturarū absolute; potest tamē dici finis creaturæ per ipsum renouatæ seu restauratæ. 2. Cor. 5. 17. *Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera trāsierunt. Ecce facta sunt omnia noua.* Et Eph. 1. 10. *Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt.* Et cap. 2. 10. *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo IESV in operibus bonis.* Et ratio est, quia creatura renouata tenetur Christū honorare, tāquā authorē suę salutis. Hoc enim meruit per suā passionē & mortē, iuxta illud Philip. 2. 8. *Humiliauit semetipsū factus obediens vsque ad mortem, mortem autē crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.*

11. Dices 2. Christus est à Deo amatus & intētus antę omnes creaturas: Ergo est amatus & intētus ob redēptionē humani generis. Antecedēs patet ex illo Prouerb. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarū, antequā quidquā faceret à principio.* Vel, vt Septuaginta verterūt: *Dominus creauit me initiū viarum suarū:* vbi de se loquitur Sapiētia incarnata, seu Christus secūdū humanitatē, vt docet Ambros. lib. 1. de fide, c. 7. Et probat ex illa particula, *Dominus.* Nā Christus secūdū diuinitatem non potest Deum appellare Dominum suum, sed Patrem. Cum ergo appellet eum Dominum, necessario loquitur de se secundum humanitatem. Quod etiam docent alii Patres

Nam cùm Ariani probarent ex hoc loco, Christum esse creaturam, respondebant Patres, locũ illum intelligi de Christo secundùm humanitatem. Ita Athanas. serm. 4. cont. Arianos, Cyrillus Alex. lib. 5. Thesauri c. 7. & alij apud Vasquez disp. 10. cap. 2. Si ergo Christus secundùm humanitatem est initium viārum, id est, operum Dei, cùm id non possit intelligi de ordine temporis, sed de ordine æternæ prædestinationis; necesse est Christum secundùm humanitatem fuisse priorem omnibus aliis creaturis in æterna prędestinatione; ac proinde non fuisse prędestinatum ob redemptionem humani generis.

12. Respondeo 1. Non est necesse hunc locum intelligere de Sapientia incarnata secundùm humanitatem. nām multi interpretantur de increata secundùm deitatem, vt D. Thomas lib. 4. con. gentes c. 8. Bellarmin. lib. 1. de Christo cap. 8. & 18. Valentia q. 1. de Trinitate p. 1. §. 21. ad 3. obiectionem, & alij ab eo citati. Et recte, quia quod sequitur *Cum eo eram cuncta componens*, non potest intelligi nisi de Sapientia increata ratione Deitatis. Nā sapientia incarnata ratione humanitatis, non fuit ab æterno, nisi in prædestinatione Dei, ac proinde nō potuit reipsa componere hunc mundum, & omnia quæ in eo sunt.

13. Nec obstat 1. quòd Deum vocet Dominũ. Non enim vocat suũ Dominum, sed Dominũ Vniuersorum. Secundò, non obstat illud, *Dominus possedit me*, quia intelligitur de possessione per ęternā generationē. Tertiò, nō obstat illud, *Dominus creauit me*, quia per verbũ creandi intelligitur etiā ęterna filij productio, vt explicāt D. Thom. & Bellarmin. Nam illa productio, cùm nō possit vno vocabulo perfecte explicari, variis modis efferri solet. Aliquādo enim vo-

catur generatio, vt Isai. 53. 8. *Generationē eius quis enarrabit?* Aliquando creatio, vt Eccles. 24. 14. *Ab initio & ante sæcula creata sum.* Nam cum vtraque cōuenit, & ab vtraque differt. Generatio enim significat productionem in eadem substātia, sed cum mutatione generantis. Creatio verò significat productionē alterius substantię, sed sine mutatione creantis. Porro filius Dei ita producitur, vt recipiat substantiā producentis, & sic potest dici generari: sed recipit sine mutatione producētis: & sic dici potest creari. Vtrūque ergo dicitur, & ex vtroque sumit, quod est perfectionis; & omittit, quod est imperfectionis.

14. Respōdeo 2. Patres, qui aliter explicant hunc locū, nēpe de Sapientia incarnata, potiùs pro nobis, quàm contra nos faciunt. Nā per vias Domini (quarū initium dicunt fuisse Christū hominem in ęterna Dei prędestinatione) non intelligunt omnia Dei opera, sed illas tantùm vias, quas Christus sua morte nobis aperuit ad salutem. Ita Hilarius, Augustt. Fulgentius, & alij apud Vasquez disp. 10. cap. 10. n. 115.

15. Dices 3. Christus in æterna prędestinatione est ante omnes creaturas, iuxta illud Colos. 1. 15. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ.* Est autē sermo de Christo secundùm humanitatem, vt exponunt ibi Hieronym. & Anselmus. Et confirmatur 1. ex sequenti textu, vbi vocatur *Caput Ecclesiæ, & primogenitus ex mortuis*; quod intelligendum est de Christo secundùm humanitatem. Deinde ex Cyrillo lib. 10. Thesauri c. 4 vbi ait, Christum dici primogenitū quatenus homo est: vnigenitum, quatenus Deus est.

16. Respōdeo 1. Christus, ratione deitatis, dicitur primogenitus omnis creaturæ, id est, genitus ante omnem creaturam, iuxta illud Ecclesiastici 24. 5.

Ego ex ore Altissimi produi primogenita ante omnem creaturam. Ita Ambrosius, Chrysostomus, & Theodoretus in illum locum, Augustinus, Basilius, & alij apud Bellarminum lib. 1. de Christo cap. 18. circa finem. Et patet ex ipso textu. Sic enim scribit Apostolus: *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia: Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Vbi probat, Christum recte dici primogenitum omnis creaturæ, id est, genitum ante omnem creaturam, quia per ipsum & in ipso condita est omnis creatura. At non est condita per Christum secundum humanitatem, sed secundum Deitatem: Ergo eodem sensu vocatur primogenitus omnis creaturæ.

17. Nec obstat, quod ibidem vocetur primogenitus ex mortuis, quod conueniat illi ratione humanitatis. Nã Apostolus vult ostendere excellentiã Christi, ratione vtriusque naturæ. Et quidẽ ratione Deitatis, vocat illũ imaginẽ Dei inuisibilis, primogenitũ omnis creaturæ, conditorẽ visibilium & inuisibiliũ. Ratione humanitatis, Caput corporis Ecclesiæ, primogenitũ ex mortuis, reconciliatorẽ humani generis. Et postea subdit: *Vt sit in omnibus ipse primatũ tenẽs.* Ita explicãt Theodoretus ibidẽ, Augustinus li. 1. de Trinitate cap. 12. & plures alij. Vnde recte nõnulli colligũt, Christũ Deum omnia creasse; Christum hominem omnia restauraſſe. Vtrũque insinuat Apostolus. Prius, cũ ait: *Omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Posterius, cum subdit: *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia.*

18. Respondeo. 2. Qui dicunt Christum ratione humanitatis esse primogenitũ omnis creaturæ, hoc solũ significãt, Christum ratione vnionis cũ Verbo,

præstantiorem seu excellentiorē esse omni creatura, quia habet excellentiorem modū generationis & filiationis, quam omnes aliæ creaturæ. Quod est verissimum. Hinc tamen nō sequitur, Christum propter hanc suam excellentiam, prædestinatum aut intentū fuisse ante omnes creaturas. Sed contra: Videtur hoc bene sequi, iuxta sequentē Scoti obiectionem.

19. Dices 4. Qui ordinate vult, is post finem intentum, prius vult media propinquiora fini, quā remotiora: At Deus ordinate vult, quod vult: Et vltimus finis, quem intēdit, est ipsius bonitas & gloria, propter quē omnia operatur: Ergo post hunc finē intentū, prius vult media propinquiora isti fini, quā remotiora. At Incarnatio est mediū propinquius Dei gloriæ, quā redēptio humani generis, cū Incarnatio sit multo excellentior, quam redēptio: Ergo Deus prius voluit Incarnationē, quā redemptionē: Ergo nō voluit illā propter redēptionem, tanquā ob causam finalē. Et cōfirmatur, quia id, quod perfectius est, non debet ordinari ad minus perfectū, tanquā ad suum finē: At Incarnatio est perfectior redēptione; Ergo.

20. Respōdeo. Hæc propositio, Qui ordinate vult, prius vult media propinquiora fini, quā remotiora; potest dupliciter intelligi. 1. Quod prius velit media, quę perfectione seu nobilitate sūt propinquiora fini. Sic falsa est. 2. Quod prius velit media, quæ causalitate sunt propinquiora fini. Sic vera est. Quando enim agitur de medio, quo finis acquirēd⁹ est, nō quęritur, quā prędītās aut perfectū sit in entitate; sed quā efficax sit ad finis cōsecutionē. Illud ergo, quod proxime cōducit ad finis consecutionē, cēsetur esse fini propinquius. Et hoc modo redēptio est mediū propinquius gloriæ Dei, quā Incarnatio. Tametsi enim

Incarnatio possit esse propinquius medium ad ostẽsionẽ Diuinæ potentiæ; tamen redẽptio est propinquius medium ad ostensionẽ iustitiæ, misericordię, & dilectionis erga inimicos. Vide, quæ diximus in 1.p.cap.11.quæst.10.§.6.

21. Illud porro, quod obiicitur perfectius non debere ordinari ad minus perfectũ tanquam ad finem; verum quidẽ est de fine vltimo, quo nihil potest esse perfectiꝰ; nõ tamẽ de fine proximo. Nã mediũ, quod ordinatur ad obtinẽdum finem proximũ, sæpe perfectiꝰ esse fine proximo. Quo pacto Sacrificiũ Missę perfectius est sanitate corporis, ad quã obtinendam potest ordinari. Eodem modo Incarnatio perfectior est Redemptione, ad quam, tanquam ad finem proximum fuit ordinata.

22. Dices 5. Si Incarnatio fuisset à Deo præfinita propter redemptionẽ hominum, prius in Dei præfinitione fuisset redemptio hominũ, quã Incarnatio; sicut prius in præfinitione est finis, quã mediũ. Ergo homines prius fuissent prædestinati ad gratiã & gloriam, quam Christus; quia Christus solũ fuisset prædestinatus propter redemptionem hominũ. At consequens est falsum, quia Christiꝰ est caput omniũ prędestinatorum. Respondeo. Negatur illa consequẽtia de prædestinatione. Tametsi enim prius voluerit redemptionem & salutem hominum in communi quam Incarnationem; nõ tamen prius voluit prædestinationem hominum, quam Incarnationem. Vnde hæc duo distinguẽda sunt, volũtas redemptionis humani generis, & prædestinatio hominum. Nam illa volũtas est antecedens, & cõmunis respectu totius humani generis. At prædestinatio est efficax & particularis ordinatio, qua certi homines ordinãtur ad

vitam æternam. Primo igitur in cõsilio Dei fuit redemptio humani generis.

2. Incarnatio, seu prædestinatio Christi. 3. prædestinatio aliorum hominum.

23. Dices 6. Adamus in statu innocentiæ accepit gratiã ex meritis Christi, sicut etiam Angeli: Ergo illa gratia supponit merita Christi, & cõsequẽter Incarnationẽ. At illa gratia fuit anterior peccato originali, vt per se constat: ergo etiam fuit anterior redẽptione: Ergo redẽptionon potuit esse prior Incarnatione. Respondeo. Negatur Antecedẽs. Nam illa gratia non fuit collata ex meritis Chtisti, sed ex mera Dei liberalitate, ante decretum Incarnationis, vt patebit ex sequenti quæstione.

Quæstio VII.

An Deus fuisset incarnatus, si Adam non peccasset?

1. Hoc potest dupliciter intelligi. Primò, An si Adam non peccasset, Deus fuisset incarnatus vi illius decreti, quo nunc reipsa incarnatus est? 2. An per aliquod aliud decretum fuisset incarnatus? In priori sensu disputatur à Theologis. Affirmant Rupertus, Scotus, Albertus, Alexand. Catharinus, Suarez disp. 5. sect. 5. Negant D. Thomas qu. 1. art. 3. & alij plerique. Et rectè negant.

2. Primo, quia ita sentiũt antiqui Patres. Irenæus lib. 5. cap. 14. *Si enim non haberet caro saluari, neque quam Verbum Dei caro factum esset.* Et Origen. homil. 24. in Numer. *Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat, filiũ Dei agnum fieri: sed manisset hoc, quod in principio erat Deus*

Verbum. Et Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 6. *Nam quærat causa Incarnationis, nisi vt caro, quæ peccauerat, perse redimeretur?* Et Augustſerm.8.de verb.Apostoli:*Si homo non periisset, filius hominis non venisset.* Et sermo.seq.*Nulla causa fuit veniendi Christo Domino; nisi peccatores saluos facere.* Hæc verba clara sunt.

3. Secundò.Idem colligitur ex parabolis Euangelij.Nam Christus Luc.1.4.conferens se cum pastore,qui relictis 99. ouibus in deserto, quæsiuit vnam aberrantem. Sicut ergo pastor ille non reliquisset 99 oues, nisi vna aberrasset; ita Christus non descendisset de cœlo ad nos, nisi tanquam oues aberrassemus per peccatum. Hoc ipse indicat Matth. 9. 13.cũ ait:*Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Vide Maldonatũ ibid.Alia parabola est Marc.12.1.vbi dicitur quod paterfamilias postquam agricolæ occiderant seruos eius ad se missos, miserit etiam filium dicens; *Quia reuerebuntur filium meum.* vbi insinuat se missurum non fuisse, si agricolæ non peccassent.

3. Accedit ratio, quia non fuit alia causa Incarnationis, nisi remediũ peccati, vt ex dictis patet: Ergo cessante illa causa, non fuisset Incarnatio. Hac ratione vsus fuit Athanas. serm.3.cont. Arianos, vbi ait: *Necessitas quippe indigẽtiaque hominum anterior est, quàm Verbi natiuitas: qua sublata, carnem non induisset.* Et Augustſerm.8. de verbis Apost.*Venit Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Et Gregorius in lib. 1. Reg. lib.4. c.1. *Nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum carnem susciperenon oporteret. Non enim venit vocare iustos, sed peccatores. Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret.*

4. Et iuxta hanc ſententiam magis commendatur Dei charitas erga nos. Tanti enim nos fecit, vt propter nos ſolos dignatus ſit filium ſuum mittere in hunc mundum. Quod frequenter inculcat Scriptura Ioan.3.16. *Sic Deus dilexit mundũ, vt filium ſuum vnigenitum daret*, &c. Et Rom.5.8. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Et 1. Ioan.4.9. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit in mundum, vt viuamus per eum.* Iuxta contrariam ſententiam non ita commendatur. Quod ſic oſtendo. Maior eſt charitas, Si quis Vienna proficiſcatur Moguntiam, ſolùm ea de cauſa, vt iuuet pauperes in hoſpitali degentes, quam ſi ob aliam cauſam primariam eò iret, & tantum ex occaſione ſuſciperet curam pauperum: Ergo etiam maior eſt charitas, ſi Filius Dei veniat in hunc mundum ſolum ea de cauſa, vt nos liberet à peccato, quàm ſi ob aliam cauſam primariam veniret, & ſolum ex occaſione nos liberaret. Conſtat autem ex Scriptura Filium Dei id feciſſe ex tanta charitate, vt maior eſſe non poſſit.

5. DICES 1. Etiamſi Adam non peccaſſet, nihilominus habuiſſet gratiam ex meritis Chriſti, vt patet ex illo Epheſ.1.3. *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in Chriſto.* Nam illa particula *omni benedictione*, eſt vniuerſalis: Ergo comprehendit etiam benedictionem ſtatus innocentiæ. Reſpondeo. Adamus non habuit gratiam in ſtatu innocentiæ ex meritis Chriſti, ſed ex mera Dei liberalitate. Apoſtolus autem loquitur de omni benedictione quæ fuit poſt maledictionem peccati, vt conſtat ex ſequentibus verbis: *In quo habemus redemptionem.*

6. Dices 2. Si ita est, ergo Adam iam existens in cę-lis, habet aliquos gradus gloriæ seu beatitudinis, qui non dependent à meritis Christi, nępe illos, qui dati sunt illi propter merita in statu innocētiæ facta. Nā illa merita fiebant per gratiam, ex mera liberalitate Dei datā, & omninò indepēdentē à meritis Christi, ex suppositione. Nec obstat, quod per subsequens peccatū mortificata sint. Nā postea per pœnitentiā iterū reuixerunt. Respondeo. Multū hoc obstat. Nā illa reuiuiscētia facta est ex meritis Christi; ac proinde gradus glorię, qui dati sunt illi propter istam meritorū reuiuiscentiā, dependent ex meritis Christi.

7. Dices 3. Adam ante peccatū habuit reuelationem seu fidem venturi Christi, vt docet D. Thomas q. 1. art. 3. ad 5. & alij passim: Ergo etiāsi non peccasset, nihilominus Christus fuisset vēturus, quia reuelatio ista non poterat esse falsa. Confirmatur 1. quia illa fides vēturi Christi nō dependebat à futuro peccato. Nā posita illa fide, adhuc liberū erat Adamo, peccare vel nō peccare; Ergo stāte fide, potuisset nō peccare: Ergo si nō peccasset, nihilominus habuisset fidē vēturi Christi, & cōsequēter Christus fuisset vēturus. 2. quia per reuelationē nō solum cognouit futurū Christi aduētū, sed etiā causam futuri aduētus: At non cognouit se peccaturū: Ergo peccatū nō fuit causa vēturi Christi. Respōdeo. Negatur prima cōsequentia. Tametsi enim Adā ante peccatū habuerit fidem venturi Christi, habuit tamen illa ex meritis Christi præuisis, & dependenter à peccato. Si enim nō fuisset peccaturus, nō fuisset etiā Christus venturus, ac proinde nō fuisset facta reuelatio de venturo Christo. Hinc etiam soluitur prior obiectionis confirmatio. Posterior non vrget. Potest enim fieri, vt

alicui

alicui à Deo reueletur aliquod myſterium, & tamen non reueletur illi cauſa propter quam futurum eſt. Sic contigit Adamo. Reuelatum eſt illi myſterium futuræ Incarnationis, non tamen cauſa illius, vt recte notat D. Thomas loco citato.

8. Dices 4. Inde ſequitur, Adamũ habuiſſe quædã dona ſupernaturalia dependenter à meritis Chriſti, nẽpe fidẽ venturi Chriſti; quædã indepẽdenter, nẽpe gratiã ſtatus innocẽtię. Reſpõdeo. Ita eſt. Neque id mirum aut abſurdũ videri debet. Nam etiã multi Chriſtiani habent quoſdã gradus gratiæ dependenter à propriis meritis, nempe illos quos acceperunt per propria merita poſt Baptiſmum: quoſdam independenter, nempe illos quos acceperunt vi Baptiſmi, antequam haberent propria merita.

9. Dices 5. Auguſt. lib. 1. de nuptiis c. 21. videtur dicere, ſicut in ſtatu innocentiæ futurum fuiſſet matrimonium, ita etiam ſacramentum, de quo Apoſt. Epheſ. 5. Ergo ex ſententia Auguſtini, veniſſet Chriſtus, etiamſi Adam non peccaſſet. Reſpondeo. Dicit quidem Auguſtinus, ante peccatum fuiſſe matrimonium & ſacramentum, i. ſignum vnionis Chriſti cum Eccleſia; non tamen dicit, hanc ſignificationem futuram fuiſſe, ſi Adam non peccaſſet.

QVÆSTIO VIII.

An Incarnatio fuerit à Deo præfinita ante præſcientiam peccati originalis?

1. HIC tria ſpectari poſſunt. 1. Actuale peccatum Adami, cum neceſſitate cõtrahendi peccatũ originale ex Adamo. 2. Ipſum peccatũ originale cõtractum. 3. peccata actualia; quæ ſequuntur. Sit ergo

2. PRIMA CONCLVSIO. Incarnatio fuit à Deo præfinita post præscientiam actualis peccati Adæ, & necessitatis contrahendi peccatū originale ex Adamo. Ratio est, quia fuit præfinita post decretum redemptionis: Ergo etiam post præscientiam peccati, & necessitatis humani generis, cum decretum redemptionis supponat hanc præscientiam. Antecedens patet, quia electio medij est post intentionem finis: sed Incarnatio est medium ad redemptionē: Ergo electa est post intentionē redēptionis.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Incarnatio fuit à Deo præfinita ante præscientiā peccati originalis reipsa contracti à singulis, à quibus contrahitur. Ratio est, quia sicut B. Virgo per gratiam Christi redemptoris fuit præseruata à peccato originali, sic etiam potuissent alij præseruari. Ergo decretum Incarnationis & redemptionis prius fuit in Deo, quā præscientia peccati originalis reipsa contracti à posteris Adæ. Vide Vasquez 1. p. disp. 95. cap. 3.

4. TERTIA CONCLVSIO. Incarnatio fuit à Deo præfinita ante præscientiam peccatorum actualium. Probatur simili discursu, quia omnia peccata actualia, quæ in mundo fiunt, potuissent præueniri & impediri per gratiam Christi, sicut multa aliæ præueniuntur & impediuntur: Ergo decretum Incarnationis & redemptionis fuit in Deo ante permissionem peccatorum actualium, & consequenter ante præscientiam eorundem.

5. Hinc sequitur, quamuis asseramus Christum non fuisse venturum ex vi decreti illius, quo reipsa venit, nisi Adam peccasset, & constituisset posteros suos in necessitate contrahendi peccatum originale; nihilominus fatendum esse, Christum ex vi eiusdem

decreti venturum fuisse, etiamsi nullum peccatum originale aut actuale futurũ fuisset in posteris Adæ.

6. Igitur hic ordo constituendus est in cõsilio Dei. 1. Scientia Dei, qua cognouit varios ordines rerum possibilium, in quibus Adamum creare poterat; & præterea, quid in quolibet ordine futurum esset, si Adamum crearet in tali ordine. 2. Libera Dei voluntas creandi Adamum in eo rerum ordine, in quo eum creauit. 3. Præscientia peccati Adæ, cum necessitate contrahendi peccatum originale in posteris, & certo periculo perpetrãdi peccata actualia. 4. Volũtas seu decretum redimendi genus humanum per Incarnationem, & condignam satisfactionem ex meritis Christi. 5. Voluntas distribuendi dona gratiæ propter merita Christi. Hic incipit prædestinatio hominum, iuxta ea, quæ in 1. p. cap. 15. quæst. 5. dicta sunt.

Quæstio IX.

An Deus præcipue propter peccatum originale fuerit incarnatus?

1. Certum est, Christum venisse ad tollenda omnia peccata, tam originale, quam actualia, vt docet D. Thomas q. 1. art. 4. Et patet ex illo ad Titum 2. 14. *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Ratio est, quia venit, tanquam perfectus redemptor & saluator, qui nos in vitam æternam perduceret, vt ipsemet fatetur. Ioan. 10. 10. *Ego veni vt vitã habeãt, & abundãtius habeãt.* Ergo venit ad tolleda omnia impedimenta vitæ æternæ: At omnia peccata, tã originale, quã actualia, sũt impedi-

menta vitæ æternæ : Ergo venit ad tollenda hæc omnia.

2. Hoc posito, quæstio est, an principalius venerit propter originale, quàm propter actualia? Potest hoc tribus modis intelligi. 1. An remedium peccati Originalis fuerit prius intentum, quam remedium actualiũ? 2. An maior fuerit necessitas & miseria humani generis ex peccato Originali, quam ex Actualibus? 3. An Christus ita venerit propter Originale, vt sine illo nõ venisset? vel, si non fuisset originale an Christus venturus fuisset propter sola actualia.

3. PRIMA CONCLVSIO. Remedium peccati Originalis fuit prius intentũ, quàm remedium peccatorum actualium. Ita Suarez disp. 5. sect. 6. Ratio est, quia peccatum Originale fuit prius permissiũ & prę-uisum, quã actualia, quæ ex illo, tanquã ex radice nata sunt; Ergo etiam prius fuit intentum remedium pro Originali quam pro actualibus, quia actualia nõ poterãt perfecte tolli, nisi radix pri⁹ tolleretur. Hinc sequitur, Christum venturum fuisse propter Originale, etiã si nulla fuissent actualia. Hoc enim fuit primum motiuum veniendi, vt ostensum est.

4. Dices, Christus vi illius decreti, quo reipsa venit non potuit venire, nisi passibilis & mortalis: Ergo vi illius decreti non venisset, nisi præuisa ipsius morte & passione. Ergo nõ venisset, nisi prę-uiso peccato Iudæorũ crucifigentium ipsum: Ergo falsum est, venturũ fuisse, etiamsi nullum futurum fuisset peccatũ actuale. Respõdeo. Negatur secunda consequentia, quia Christus potuisset satisfacere pro peccato Originali per mortem & passionem à natura libus causis infligendã, sine vllo actuali peccato Iudæorum, aut aliorum hominum. Potuisset enim Deus per gratiã

impedire omnia peccata actualia, & decernere, vt Christus naturali, aut violenta morte satisfaceret pro originali.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Maior fuit necessitas & miseria humani generis ex peccato Originali, quã ex actualibus. Ita D. Thomas q.1. art.

4. Ratio est, quia peccatum originale erat commune toti naturę; actualia vero sunt singulorũ hominũ.

6. Dices. 1. Actuale peccatum Adami fuit etiam cõmune toti naturæ, quia omnes posteri in Adamo peccarunt, vt ait Apostolus Rom. 5. 12. Respondeo. Quando D. Thomas loco citato confert peccatum originale cum actualibus, tunc per originale intelligit etiam peccatum Adami, quod fuit quasi radix peccati originalis. Per actualia vero intelligit ea quę postea secuta sunt. Vide Suarez disp. 5. sect. 6.

7. Dices 2. Omnia peccata actualia sunt maius malũ quàm omnia originalia: Ergo ex illis fuit maior miseria & necessitas, quàm ex his. Antecedẽs patet, quia duobus modis potest vnum peccatum esse maius altero, vt notat D. Thomas ibid. 1. intensiuè. 2. Extensiuè. Vtroque modo actuale maius est. 1. quia plus malitiæ habet quam originale, cùm sit magis voluntarium. 2. quia plura sunt actualia quàm originalia. Respondeo. Etsi hæc vera sint, tamen originale peccatum in alio sensu est maius extensiue quam actuale, quia originale inficit totam naturam, quod non facit vllum actuale, prẽter primũ peccatũ Adami, quod debet etiam intelligi per peccatũ originale, vt dictum est. Deinde originale est quasi radix omnium actualium; ac proinde maior est necessitas tollendi illud quàm actualia. Vnde etiam maius beneficium est, auferre originale, quam illo reli-

cto, auferre actualia. An autem, & quomodo fieri possit, vt ab aliquo homine tollantur actualia relicto originali, alibi disputandum est.

8. TERTIA CONCLVSIO. Incertum est, an Christus, si non fuisset originale, venturus fuisset propter sola actualia. Hîc suppono, posteros Adæ, durante statu innocentiæ potuisse peccare, etiamsi Adam non peccasset; & tunc fuissent peccata actualia, sine originali. Est ergo incertum, an in tali statu venturus fuisset Christus. Probabile est, non fuisse venturum vi illius decreti, quo reipsa venit. Nã primum motiuum, propter quod venit, est peccatum originale, quo tota natura humana per Adamum vitiata est, vt ex dictis patet. Et aperte colligitur ex Apostolo Rom. 5. 12. & 1. Corinth. 15. 22. vbi insinuat, Christum ideo venisse, vt sicuti genus humanum perditum fuit per vnum hominem, ita per vnũ hominem restitueretur. Idem confirmant tres Pontifices in Epistolis decretalibus, nempe Caius Epist. 1. Leo in Epist. 83. & Agapetus Epist 4.

9. Dices. Christus ita dilexit singulos homines, & eo affectu pro illis passus est, vt paratus fuerit pro vnoquoque seorsim pati, si vnus tantum peccasset: Ergo si fuisset vel vnũ tantum peccatũ actuale, sine vllo originali, Christus pro illo venturus fuisset. Antecedens patet ex parabola de oue perdita. Nã sicut Pastor sollicitus fuit pro vna tantum oue perdita, ita Christus pro vno peccatore. Respondeo. Christus habuit quidem talem charitatem & affectũ erga singulos, sed tamen subordinatum diuinæ voluntati ac decreto. Prius ergo probandum esset, Deum decreuisse, vt Christus veniret, etiamsi non esset peccatum originale. Hoc autem non potest probari ex

parabola de oue perdita.

10. *Dices* 2. Potest probari ex euentu. Nam Christus magis satisfecit pro peccato actuali, quam pro originali: Ergo principalius venit pro actuali: Ergo etiam venisset pro actuali, etiamsi non fuisset originale. Antecedens patet, quia actuali debetur pœna sensus: originali, pœna damni tantum. At Christus sustinuit pœnam sensus, & non damni: Ergo magis satisfecit pro actuali, quam pro originali. Respondeo. Etiam originali debetur pœna sensus, saltem in hac vita. Christus ergo satisfecit pro originali, quia in hac vita sustinuit pœnam sensus, quę debebatur originali. Vide D. Thomam q. 1. art. 4. ad 3.

11. Nota. In peccatis tria spectari possunt, culpa, pœna sensus, & pœna damni. Christus pro omnibus satisfecit, licet non eodem modo. Nam 1. sustinuit pœnam sensus huius vitæ; non tamen culpam, aut pœnam damni, aut pœnam sensus æternam. 2. Ita satisfecit pro culpa, & pœna damni, & pœna sensus æterna, vt homo iustus plane sit liber ab his omnibus. At pro pœna sensus temporali, non ita satisfecit, vt homo statim sit liber. Hoc alibi fusius explicatum est.

Qvæstio X.

An conuenienti tempore facta sit Incarnatio?

1. Prima conclvsio. Non fuit conueniens, Deum incarnari ab initio mundi, siue ante peccatum, siue statim post peccatum. Ita D. Tho. quęst. 1. art. 5. Prior pars probatur, quia Incarnatio principaliter ordinata est in remedium

peccati: At remedium non adhibetur ante morbũ. Vnde Matth. 9.12. dicitur, *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.* Posterior probatur variis coniecturis. Primo, quia conueniens fuit, vt tantum mysterium multo ante prædiceretur & prefiguraretur. Sic enim maiori affectu & veneratione poterat suscipi ab hominibus. Ita Augustinus tract. 31. in Ioannem. Secundo, conueniens fuit, vt homines multo ante disponerentur ad hoc mysterium suscipiendum, quod dupliciter factum est, 1. per legem naturalem & Mosaicam. 2. per agnitionem propriæ infirmitatis & miseliæ. Ita Diuus Thomas, & alij passim. Tertio, conueniens fuit, diuinam iustitiam manifestari, quod factum est, irascendo & puniendo homines propter peccatum Adæ.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Non fuit etiam conueniens, Incarnationem differri vsque ad finem mundi. Ita Diuus Thomas art. 6. Et probat tripliciter. 1. quia Incarnatio est causa nostræ salutis: causa autem non debet esse postrema. 2. Si tamdiu dilata fuisset Incarnatio, plane fuisset abolita Dei cognitio & reuerentia. 3. Conueniens erat, vt homines pluribus modis ad salutem promouerentur per fidem, nẽpe per fidem Christi venturi, præsentis, præteriti. Sic enim diuina virtus & sapiẽtia magis declaratur.

3. Dices. Scriptura dicit, Christum venturum in nouissimis diebus, vt patet Gen. 49. 1. Isaiæ 2.2. Micheę 4.1. Respõdeo. Totũ tẽpus noui Testamẽti vocatur tẽpus nouissimũ, vt constat 1. Ioan. 2.18. *Filioli, iam nouissima hora est.* Causæ sunt hæ, 1. quia hoc tẽpore data est Lex gratiæ, quæ est vltima, postquam alia nõ speratur. 2. hoc tempore cõplentur omnes prophetiæ & prædictiones Dei. 3. Distinguendo

durationem mundi per ætates, hæc est vltima ætas. Propter has & similes causas asserunt Patres, hoc tẽpus esse mũdi vesperã, vt Origenes hom. 8. in Iosue: vel mũdi senectutẽ, vt Augustinus lib. 1. in Genesim cõtra Manichæos, c. 23. Quãquã li. 83. quęstionũ, quęst. 44. appellet iuuẽtutẽ mũdi, propter vigorẽ gratiæ, vt ipse se exponit lib. 1. Retract. cap. 26.

4. Tertia conclvsio. Incarnatio conueniẽti tẽpore facta est. Ita D. Thomas art. 6. Et probatur 1. ex dictis, quia nec initio mũdi, nec in fine debuit fieri, sed quasi in medio durationis mũdi, ne nimium ab alterutro extremo distaret. Vnde Abacuc. 3. 2. dicitur: *In medio annorum notũ facies*. Secũdo, quia Christus venit eo tẽpore, quo mũdus magis indigebat eius aduentu. Iam enim non tantum Lex naturę, sed etiam Lex scripta pene extincta & abolita erat.

5. Dices. Si Christus citius veniisset, plures potuissent saluari: Ergo debebat citius venire. Hoc olim Porphyrius quidã Paganus obiecit Augustino (epist. 49. quæst. 2.) Et Gentes quotidie obiiciunt Christianis, à quibus audiunt Euangeliũ prædicari. Nam si Deus, inquiũt, propter salutẽ hominũ factus est homo, cur nõ antea venit, ne tanta hominũ multitudo periret? Respõdet Augustinus loco citato, Christum tunc venisse, quãdo pręuidit plures in se credituros. Sed hęc respõsio nec ipsi postea placuit in lib. de bono perseuerãtiæ c. 9. nec placet D. Tho. Primo, quia ex Euangelio constat, dona miraculorum, ex quibus Tyrij & Sidonij credidissent, nõ fuisse illis cõcessa, cum tamẽ concessa fuerint aliis, qui non voluerunt credere: Ergo ratio, ob quam Deus concedit hominibus sua dona, non est illa, quod præuideat eos bene vsuros. Secundo, quia nullum est tempus, quo

Deus non posset conferre talia auxilia gratiæ, quibus homines infallibiliter crederent in Christum: Nec vllum est tempus, quo homines non manerent in sua infidelitate, nisi congruis auxiliis gratiæ præuenirentur. Quod ergo Christus venerit vno potius tempore, quàm alio; non potuit ex eo prouenire, quod homines essent magis credituri vno tempore quam alio; sed ex libero Dei beneplacito, qui in distributione bonorum suorum facit, quod vult, vt bene explicat Molina in 1.p.quæst. 23.disp.1.memb. 4. post medium.

CAPVT II.

De Vnione hypostatica.

NOMEN vnionis sumitur hîc tribus modis: 1. pro actione, qua humanitas Christi in instanti conceptionis vnita est personæ Verbi. 2. pro proximo & immediato termino illius actionis, qui est substantialis coniunctio, qua humanitas Christi actu manet coniuncta seu vnita personæ Verbi 3. Pro relatione, quæ resultat ex hac coniunctione seu vnione. Nam ex eo quod humanitas vnita est Verbo, oritur quædam relatio inter illa duo extrema inter se vnita.

Hoc posito, quæritur 1. Quid sit Vnio, iuxta triplicem illã acceptionẽ? 2. An hęc Vnio sit prętantissima inter omnes vniones? 3. quę sint causę huius vnionis? Et nominatim, quæ causa efficiens, & disponẽs.

QVÆSTIO I.

Quid sit vnio hypostatica iuxta primam acceptionem?

1. PRIMA CONCLVSIO. Vnio primo modo accepta, nihil est aliud, quã actio transiẽs qua Deus vniuit, seu coniunxit humanitatẽ Christi cum persona Verbi. Quæ actio vocari potest Vnitio, vel actio vnitiua, vel Incarnatio. Quæri solet, an per hãc actionẽ, non solũ vnita sit humanitas personę Verbi, sed etiam producta? Vel, an hæc actio non tantũ sit vnitiua, sed etiã productiua, respectu humanitatis Aliqui recentiores Thomistæ affirmant, ex duplici fũdamẽto. Vnũ est, quod omnis productio realis terminetur ad existentiam rei; cum producere rem aliquã nihil aliud sit, quã dare illi existentiam, qua existat in rerum natura. Alterũ, quod humanitas Christi nõ habeat propriam existentiã, sed existat per existentiam Verbi. Hinc inferũt 1. humanitatẽ Christi non in se, sed in Verbo productam esse, quia productio illius fuit terminata ad existentiam Verbi. 2. Eadem actione, qua producta est, fuisse etiam vnitam Verbo, quia eadem actione communicata est illi existentia Verbi.

2. Alij rectius sentiunt, actionem incarnandi esse tantũ vnitiuam, & non productiuã humanitatis. Ita Durandus, & Alexander apud Suarez disp. 8. sect. 2. Ratio sumitur ex contrario fundamẽto, quia humanitas Christi habet propriam existẽtiam distinctã ab existentia Verbi, vt nũc suppono. Si ergo productio humanitatis fuit terminata ad existentiam,

vt Thomistæ fatentur, necesse est ordine naturæ, prius productam esse in propria existentia, quã vnitam personę verbi. Nam prius est, rem aliquam existere per propriam existentiã, si illã habet, quàm vniri seu coniungi alteri rei à se distinctę. Et confirmatur, quia ex opposita sententia sequeretur, quod humanitas Christi, si separaretur à persona Verbi non posset conseruari à Deo, sed necessario deberet perire, & de nouo produci; quod videtur absurdum.

3. Dices 1. Leo Papa Epist. 11. ad Iulianum docet contrarium, his verbis: *Natura nostra nõ sic assumpta est, vt prius creata, post assumeretur; sed vt ipsa assũptione crearetur.* Vbi supponit, eandem esse actionẽ, qua natura Christi fuit producta, & vnita Verbo. Respondeo. Leo nõ disputat de actione, sed de tempore, quo humanitas Christi assumpta est à verbo. Et contendit, non prius tẽpore creatã fuisse, ac deinde assumptam, quod asserebant Euthychiani; sed simul ac eodẽ tẽpore creatam & assumptam. An autem id factum sit vna actione, an potius duabus, non disputat. Eodem sensu intellige Fulgentiũ lib. de Incarnatione & gratia cap. 3.

4. Dices 2. Si actio producti ua humanitatis Christi fuit distincta ab actione vnitiua; necesse est productiuam priorem fuisse vnitiua, quia prius est rem existere, quam alteri vniri: Erg cõceptio humanitatis prior fuit, quam vnio cum Verbo: Ergo Deus nõ est cõceptus ex virgine, sed sola humanitas, quia cõceptio terminata fuit ad solã humanitatem. At consequens falsum est; Ergo & illud, ex quo sequitur. Respondeo. Conceptio humanitatis fuit quidem ordine naturæ prior, quã vnio cum Verbo; sed simul ordine temporis. Hoc autẽ sufficit, vt Deus dicatur

conceptus ex Virgine. Nam eo ipso instanti, quo humanitas concepta fuit ex Virgine, fuit etiam vnita verbo: Ergo in illo instanti licuit dicere, Deus conceptus est ex virgine.

Quæstio II.

Quid sit vnio hypostatica iuxta secundam acceptionem?

1. Proximus & immediatus terminus illius actionis, de qua hactenus dixi: est substantialis coniunctio seu vnio, qua humanitas Christi formaliter & actualiter manet vnita cum persona Verbi. Quæ coniunctio differt ab actione vnitiua, sicut vnio in facto esse, differt ab vnione in fieri. Et sicut creatio in facto esse, differt à creatione in fieri. Ad hoc explicandum, quædam notanda sunt.

2. Nota 1. Tametsi per actionem Vnitiuam non sit producta ipsa humanitas Christi, vt ostendi; tamen aliquid in humanitate productum est, nempe proximus & immediatus terminus illius actionis. Ratio est, quia omnis actio realis producit aliquid reale in subiecto, in quo recipitur: At actio vnitiua recipitur in humanitate: (non enim potest recipi in persona Verbi, cum sit actio Dei transiens) Ergo producit aliquid reale in humanitate.

3. Nota 2. Illud ipsum, quod per actionem vnitiuam productum est in humanitate, est substantialis vnio seu coniunctio humanitatis cũ Verbo. Est enim proximus & immediatus terminus actionis vnitiuæ. Sicut ergo actio Vnitiua est ipsa Vnio seu coniunctio in fieri; ita terminus illius est vnio seu coniunctio in facto esse. Quod autem sit substantialis,

& non accidentalis vnio seu coniunctio, patet ex cõciliis, vbi definitum est, factam esse *substantialiter*, seu *secundum substantiam*) apud Suarez disp. 8. sect.

1. Et ratio est, quia coniunctio substantialis nihil est aliud, quam coniunctio duarum rerum substãtialiũ, per quam resultat vna substãtia composita, quę proprie & vere vna est. At coniunctio humanitatis & Verbi est talis, quia est coniunctio duarum rerum substantialium, ex qua resultat Christus, qui vere ac proprie vnus est. Et cõfirmatur, quia cõiũctio necessario includitur in essẽtia rei compositæ. Non enim potest intelligi rem esse compositã, nisi per coniunctionẽ duorum componẽtiũ. Si ergo res composita est substantialis, debet etiam coniunctio esse substãtialis. At Christus, quatenus constat ex humanitate & Verbo, est compositum substantiale: Ergo coniũctio humanitatis & Verbi debet esse substantialis.

4. Nota 3. Hæc substantialis coniunctio necessario debet esse in humanitate, vt sit fundamentum relationis, qua humanitas vnita refertur ad personã Verbi vnitã: Et similiter dependẽtię, qua humanitas dependet à persona Verbi in subsistẽdo. Hic tria distinguẽda sũt. 1. Mutua relatio, qua humanitas Christi & persona Verbi, tanquam duo extrema, ad se inuicem referũtur. Humanitas enim vnita est personę, & persona vnita est humanitati. 2. Dependentia humanitatis à persona Verbi. Nã humanitas nõ subsistit per propriam subsistentiam, sed per subsistentiã Verbi; ac proinde dependet à Verbo in subsistendo. 3. Fundamentum illius relationis & dependentiæ, quod non potest esse aliud quàm coniunctio humanitatis cum Verbo. Nam posita hac coniunctione ne-

cessario resultat illa relatio & dependentia: Et si tolleretur illa coniunctio, cessaret etiam relatio & dependentia.

5. Dices. In persona Verbi non est necessaria coniunctio substantialis per actionem vnitiuam producta, vt sit fundamentũ relationis, qua persona Verbi refertur ad humanitatem sibi vnitã: Ergo nec in humanitate est necessaria ad hunc finem. Respondeo. Nõ sequitur. Quando enim duo extrema ad se inuicẽ referũtur, necesse quidẽ est, vt sit aliquod fundamentũ relationis; non tamen semper necesse est, vt fundamentũ illud sit in vtroq; extremo, sed sufficit vt sit in altero. Sic fit in præsenti: Nã persona Verbi nõ est capax nouæ entitatis per actionem vnitiuam productæ; quæ sit fundamentũ nouæ relationis; nec illa noua relatio in persona Verbi est realis, sed rationis. Humanitas autem est capax vtriusque, tã nouæ entitatis, quæ sit fundamentum, quam nouæ relationis realis, quæ resultet ex illo fundamento.

6. Nota 4. Hæc coniunctio seu vnio humanitatis cũ Verbo conflata est ex duabus vnionibus partialib⁹, quarũ altera est in corpore, altera in anima Christi. Nã & corpus per se vnitũ est Verbo, & similiter anima per se vnita est eidẽ Verbo. Quod manifeste apparuit in triduo mortis: Tunc enim anima fuit separata à corpore, & tamẽ vtrumque seorsim mansit vnitum cum verbo, tam corpus, quam anima: Ergo in vtroque seorsim mansit vnio partialis. Et quidem vnio, quæ est in corpore, est materialis: quæ in anima, est spiritualis. Hoc enim exigit proportio.

7. Nota 5. Tametsi hæc cõiunctio seu vnio humanitatis cũ verbo sit in sola humanitate, in qua producitur: habet tamen intrinsecam & essentialem

habitudinem transcendentalem ad personam Verbi,& non ad alias personas. Vnde si humanitas coniungeretur personæ Patris, aut Spiritus Sancti, hæc coniunctio esset essentialiter distincta ab ea, qua nunc coniungitur personæ Verbi; quia includeret essentialem respectum ad personam Patris aut Spiritus Sancti, non autem ad personam Verbi.

8. Quæres, An sicut hæc coniunctio seu vnio substantialis, de qua dictū est, tenet se ex parte humanitatis; ita vicissim sit aliqua, quę se teneat ex parte personæ Verbi; vel, an sicut in humanitate est aliquid creatum, quod habet rationem actualis vnionis cum persona Verbi; ita vicissim sit aliquid increatum in persona Verbi, quod habeat rationē actualis vnionis cum humanitate? Ratio dubitandi est, quia sicut humanitas est vnita verbo, ita verbū est vnitum humanitati. Respōdeo. Tota ratio vnionis est in sola humanitate, neque includit aliquid increatū in persona Verbi, quod habeat rationem actualis vnionis. Probatur 1. quia ratio vnionis essentialiter includit respectum ad aliud extremū, cui vnitur id, in quo est vnio. At in persona Verbi nihil est increatum, quod essentialiter includat respectum ad creaturam, vt in prima parte cap. 9. quæst. 13. n. 9. ostensum est: Ergo nihil est increatum, quod habeat rationem vnionis cum humanitate. Maior patet, quia non potest concipi vnio alicuius extremi cum altero, sine intrinseco respectu ad illud alterum.

9. Secundo, si esset aliquid increatum in Deo, quod haberet rationem actualis vnionis seu coniunctionis cum humanitate, vel esset commune toti Trinitati, vel triplex in tribus personis, vel proprium solius personæ Verbi. Non 1. quia sequeretur personā

Verbi

Verbi vnitam esse humanitati per aliquid commune toti Trinitati, & consequenter totam Trinitatem vnitam & incarnatam esse: quod est falsum. Nec 2. quia sequeretur in Deo tres esse vniones actuales, quod similiter falsum est. Nec 3. quia sequeretur solam personam Verbi potuisse vniri humanitati, reliquas non potuisse, quod æque falsum est.

10. Dices 1. Hoc tantum sequeretur, solam personã Verbi, actu vnitam esse humanitati; reliquas non esse actu vnitas, tametsi vniri possint. Respondeo. Nõ potest reipsa dari vnio, quæ nõ faciat duo extrema actualiter vnita. Vel ergo in persona Patris & Spiritus Sancti datur reipsa vnio increata, vel nõ datur. Si nõ datur, sequitur personam Patris & Spiritus Sancti per propriam vnionẽ increatam non posse vniri humanitati. Si datur, sequitur actualiter vnitam esse humanitati; quod est falsum. Et confirmatur, quia ratio vnionis substantialis in eo consistit, quod per eã vna substantia actualiter sit vnita alteri substãtię. Nã si non est illi actualiter vnita, iam non datur vnio. Sicut si humanitas Christi non esset actualiter vnita Verbo, nihil esset in humanitate, quod haberet rationem vnionis cum Verbo.

11. Dices 2. Potest in Deo dari cognitio, quę nõ sit actualis: Ergo etiam vnio. Antecedens patet, quia cognitio, qua Deus cognoscit futura contingentia, tametsi nunc actualis sit; non tamen esset actualis, si Deus ab æterno statuisset nulla permittere futura contingẽtia. Idem dici potest de vnione. Nunc quidem actualis est in persona Verbi, sed non esset, si persona Verbi nõ assumpsisset humanitatem. Respondeo. Negatur Antecedens, quia in Deo non est nisi vnica simplex cognitio, quæ semper est actualis

respectu obiecti primarij, quod est ipse DEVS. semper enim Deus seipsum actualiter cognoscit: neque potest se non cognoscere actualiter. Est etiam semper actualis respectu obiecti secundarij, id est, creaturarum. Semper enim actualiter cognoscit creaturas, neque ab hac actuali cognitione potest cessare. Quod si ab æterno statuisset nullas creaturas producere, tunc quidem non cognouisset eas actualiter, vt futuras; nihilominus cognouisset eas actualiter, vt possibiles.

12. Dices 3. Verbum non minus intrinsece vnitum est humanitati, quàm humanitas Verbo (quando enim duo vnita sunt, non minus vnum alteri vnitũ est quam è contrario. Sicut quãdo duo corpora propinqua sunt, non est vnum alteri propinquius, quam alterum ipsi.) At humanitas per intrinsecam vnionẽ creatam vnita est Verbo: ergo etiam Verbum per intrinsecam vnionem increatã vnitũ est humanitati. Respondeo. Maior distinguenda est. Nam vnio potest dupliciter se habere, respectu humanitatis, & Verbi. Primo, respectu vtriusque, tanquam termini. Secundo, respectu vtriusque, tamquã subiecti. Priori modo vera est; quia vnio æque immediate & intrinsece respicit vtrumque, vt Terminũ. Posteriori modo falsa, quia vnio intrinsece est in humanitate, vt in subiecto, non autem in Verbo.

13. Dices 4. Sicut Verbum per seipsum terminat humanitatem, ita per seipsum debet esse vnitum humanitati. At non potest per seipsum vnitum esse humanitati, nisi ex parte ipsius sit vnio cum humanitate. Ergo vnio integre considerata, non solum est aliquid creatum in humanitate, sed etiã aliquid in-

creatum in Verbo. Respondeo. Maior tripliciter potest intelligi. 1. Verbum per seipsum est vnitũ humanitati, tanquam terminus humanitatis. Sic vera est, quia per seipsum, id est, per suam subsistentiam terminat humanitatem. 2. per seipsum vnitum est humanitati, tanquam extremum constituens totum compositum. Sic etiam vera est: quia humanitas & verbum sunt duo extrema, quæ per seipsa constituũt Christum. 3. Per seipsum vnitum est humanitati, tanquam vinculum seu actualis coniunctio. Sic falsa est, vt sæpe dixi. Nihil enim increatum est in Verbo, quod habeat rationem actualis vinculi seu vnionis, sed tota ratio vnionis est in humanitate.

Qvæstio III.

Quid sit Vnio iuxta tertiam acceptionem?

1. Dixi, Vnionem sumi tripliciter. 1 Pro actione incarnandi. 2. pro immediato illius termino, qui est substantialis coniunctio humanitatis cum Verbo. 3. pro relatione, quæ inde resultat. Est ergo quęstio, qualis sit hæc relatio, & quod fundamentum illius?

2. Conclvsio. Præter relationem essentialẽ & trãscendentalem, quæ intrinsece includitur in substantiali coniunctione humanitatis cum Verbo, potest spectari duplex relatio accidentalis. Vna, quæ est immediate inter humanitatem & Verbum tanquam inter duo extrema immediate inter se vnita. Et hæc, ex parte humanitatis, est realis; ex parte Verbi, non realis, sed rationis. Altera quæ est

inter duas naturas, diuinam & humanam, quatenus in vna eademque Verbi subsistentia vniuntur. Prioris fundamentum est, vt dixi, substantialis coniunctio humanitatis cum Verbo. Nam omnia quæ requiruntur ad fundamentum relationis, illi conueniunt. Posita enim tali coniunctione, necessario resultat hæc relatio: non posita, non resultat. Posterior quod ad rem attinet, non differt à priori. Nam illæ duæ naturæ, quæ in vna Verbi subsistentia vniuntur, non habent immediatam vnionẽ inter se, sed solum in subsistentia Verbi: Ac proinde non referuntur inter se immediata relatione vnionis, sed denominantur vnitæ à relatione vel vnione quæ est inter humanitatem & subsistentiam Verbi.

3. Nota. Inter duas naturas diuinam & humanam potest esse triplex relatio. Prima vnionis: Secunda vnitatis, seu identitatis: Tertia causæ & effectus. De prima iam dixi. Secunda fundatur in vnitate subsistentiæ. Nam ex eo, quod ambæ naturæ subsistunt vna eademque Verbi subsistentia, resultat relatio vnitatis seu identitatis. Sicut ex eo, quod tres personæ diuinæ sunt vnius eiusdemque essentiæ, resultat relatio similitudinis, seu identitatis. Et sicut hæc fundatur in vnitate essentiæ, sic illa in vnitate subsistentiæ. Tertia relatio, quæ est causæ & effectus, non est præcise inter duas naturas, sed potius inter Deũ vt Deum, & Christum vt hominem. Nam Deus est causa efficiens humanitatis & vnionis hypostaticæ. An præter has tres relationes sit aliqua alia inter humanitatem & diuinitatem, dicemus infra cùm agemus de adoptione Christi.

QVÆSTIO IV.

An vnio hypostatica sit præstantissima inter omnes vniones?

1. PErfectio huius vnionis potest dupliciter spectari. Primò in ratione vnionis. Secundò, in genere Entis, seu donorum gratiæ. Potest ergo duplex esse quæstio: Vna, an hæc vnio in ratione vnionis sit omnium maxima? Altera, an in genere Entis seu donorum gratiæ sit præstantissima? Durandus, in genere vnionis, præfert vnionem materiæ & formæ; in genere gratiæ, visionem beatificam.

2. PRIMA CONCLVSIO. Vnio hypostatica inter humanitatem & personam Verbi, est omnium maxima in ratione vnionis, loquendo de vnionibus seu cõpositionibus ex rebus realiter distinctis. Hoc aliqui probant dupliciter. 1. Quia hæc vnio à nullo agente creato dissolui potest. 2. Quia tam efficax est, vt res infinite distãtes arctissime inter se coniungat. Sed propria ratio est hæc: Vnio naturâ suâ tendit ad vnitatẽ: Ergo eo maior aut minor censeri debet, quo compositum, quod ex ea resultat, magis aut minùs est vnum. Atqui compositum quod resultat ex vnione hypostatica, est magis vnum quàm vllum aliud compositũ ex rebus distinctis, vt patet inductione. Nam primò, magis est vnum, quàm compositum ex substantia & accidente. Hoc enim est vnum per accidens: illud per se. 2. magis est vnum, quàm cõpositum substantiale ex partibus integrãtibus; quia hoc includit quodãmodo infinitam compositionẽ partium, quæ tantum copulantur secundum aliquem extremum terminum, & non secundum se totas.

2. Magis est vnum, quam compositum substantiale ex materia & forma, quia tam materia quam forma minus simplex est, quam persona Verbi. Maior autem simplicitas componentis facit ad maiorem vnitatem compositi. Nam quo extremum componens est perfectius, & simplicius, eo perfectius & intimius coniungi potest alteri extremo.

3. Dices cum Durando, Maior est vnitas essentiæ, quam vnitas personæ: sed ex materia & forma fit vna essentia; & ex Verbo & humanitate fit vna persona: Ergo. Respondeo. Duplex est essentia: vna simplex, vt essentia Dei, & Angeli: Altera composita ex rebus distinctis, vt essentia hominis, bouis, equi. Similiter duplex est persona: vna simplex, vt persona Patris, & Spiritus Sancti: altera composita, vt persona Christi, Petri, Pauli. Igitur hoc loco non conferimus vnitatem essentiæ simplicis cũ vnitate personæ simplicis; sed vnitatem essentiæ compositæ ex materia & forma, cum vnitate personæ compositæ ex natura & substentia. Dicimus ergo, si præcise loquamur de hac vtraque vnitate, quatenus vna non includit aliam, maiorem esse vnitatem personæ compositæ ex natura & subsistentia, quam vnitatem essentiæ compositæ ex materia & forma. 1. Quia illa reperitur in Angelis; hæc non item. 2. illa potest esse pure spiritualis, vt in Angelo: hæc vel pure materialis est, vt in equo; vel mixta, vt in homine.

4. Dices 2. Materia & forma habent maiorem inter se proportionem, quàm humanitas & Verbũ: Ergo ex illis resultat maior vnitas, quam ex his. Respondeo. Antecedens verum est, de proportione naturali,; falsum de obedientiali.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Vnio hypostа-

tica est etiam perfectissima in genere donorum gratiæ. Et quidem ex duplici capite. Primo ex parte ipsius vnionis. Nam hæc vnio constituit humanitatem in altiori ordine, quam vllum aliud donum supernaturale. Facit enim, vt homo sit Deus: quod nullum aliud donum gratiæ præstare potest. Secundo ex parte termini adæquati, resultantis ex hac vnione, qui est Christus. Nam hic terminus est perfectior, quam vlla alia res creata.

6. Dices. Visio beatifica videtur esse perfectior vnione hypostatica. Primo, quia per vnionẽ sola persona verbi coniungitur humanitati: per visionẽ, tota essentia Diuina, & omnes personæ coniunguntur homini beato. 2. Vnio solum tribuit humanitati, vt subsistat: Visio tribuit illi, vt beata sit: Plus autem est, beatum esse, quam subsistere. 3. Vnio indifferenter potest cõmunicari creaturæ rationali & irrationali: Visio, soli rationali. 4. Vnio est tantum modus substantialis, qui realiter nõ differt ab humanitate, ac proinde sicut humanitas est ordinis naturalis, ita etiam vnio. At visio in sua entitate est omnino supernaturalis. Respondeo ad singula.

7. Ad 1. Verum est, solam personam Verbi cõiungi humanitati per vnionẽ: totã essentiam, & omnes personas coniungi beatis per visionẽ. Sed hinc tantq sequitur, posteriorẽ coniunctionẽ esse perfectiorẽ extensiue, non autem intensiue. At prior intensiue perfectior est. Nam persona Verbi per se & substantialiter coniungitur humanitati per vnionem hypostaticam: Essentia autem diuina, & tres personæ coniunguntur homini, aut Angelo beato per visionem, non substantialiter, sed tantum accidentaliter.

8. Ad 2. Vnio non ſolum tribuit humanitati, vt ſubſiſtat, ſed etiã vt beata ſit, diuerſo tamẽ modo. Nã proxime & immediate tribuit illi vt ſubſiſtat; quia proxime & immediate coniungit humanitatẽ cum ſubſiſtentia Verbi. Conſequenter autẽ tribuit illi vt ſit beata. Nã humanitati Chriſti ratione vnionis hypoſtaticæ, debetur ius ad viſionem beatificã (inf. c. 9. q. 2. Vnde hæc eſt differentia inter vnionẽ & viſionem. 1. Quòd vnio tribuat ſubſiſtentiam & beatitudinem: viſio ſolam beatitudinẽ. 2. quod vnio trahat ſecum ius beatitudinis, vt patet in Chriſto: At viſio nõ trahit ſecum ius vnionis hypoſtaticæ, vt patet in aliis beatis. Non enim ratione viſionis beatificæ debetur illis vnio hypoſtatica.

9. Ad 3. Vnio, vt iam inſinuaui, habet duplicem effectum. Vnum proximum & immediatum, nempe, tribuere ſubſiſtentiam: Alterum remotum, nempe tribuere beatitudinem, ſeu ius ad viſionem beatificam. Igitur, quoad priorẽ effectũ, poteſt indifferenter communicari creaturæ rationali & irrationali: At quoad poſteriorem, ſoli rationali.

10. Ad 4. Vnio, licet ſit modus ſubſtantialis reſpectu humanitatis, nihilominus in ſua Entitate magis eſt ſupernaturalis, quam viſio; quia magis eſt ſupra debitum naturæ, hominem eſſe Deum, quam hominem videre Deum.

QVÆSTIO V.

Quæ ſit cauſa efficiens vnionis hypoſtaticæ?

1. DIctum eſt hactenus de natura & excellentia vnionis hypoſtaticæ. Nunc cauſæ illius ex-

plicandæ sunt, præsertim efficiens & disponens. De causa finali dictum est in 1. cap. Materialis & formalis non habent hîc locũ, quia hæc vnio non componitur ex materia & forma. De materia dicendum est cap. 14.

2. PRIMA CONCLVSIO. Solus Deus est principalis causa efficiens vnionis hypostaticæ. Nam Scriptura soli Deo tribuit hunc effectũ. Matth. 1. 20. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Et Luc. 1. 35. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quæres. An solus Spiritus Sanctus fuerit causa efficiens. Respõdeo. Omnes tres personæ simul. Nã opera Trinitatis ad extra, sunt indiuisa. Procedũt n. à tribus personis quatenus sunt vnum in essentia, voluntate, & potentia. Vnde Scriptura non solũ Spiritui Sancto, sed etiam Patri & Filio tribuit effectum Incarnationis. Gal. 4. 4. *Misit Deus filium suum factũ ex muliere.* Et Phil. 2. 7. *Seipsũ exinanuit formã serui accipiẽs.*

3. SECVNDA CONCLVSIO. Nulla creatura potest esse causa principalis huius vnionis: quia nec virtute naturali, neque supernaturali potest eã efficere. Non prius, quia nulla creatura virtute naturali potest efficere vt homo sit Deus: alioqui homo naturaliter esset Deus, quod est falsum. Nec posterius, quia vnio hypostatica est altioris ordinis quam vllũ aliud donũ supernaturale (nam nullum aliud est quod possit hominẽ in tanto gradu constituere sicut vnio hypostatica facit) Ergo nulla qualitas supernaturalis potest esse sufficiens, vt sit principalis causa efficiens vnionis.

4. TERTIA CONCLVSIO. Potest tamen creatura esse causa instrumentaria huius vnionis. 1. Quia nulla hîc apparet repugnãtia. 2. quia si potest esse instrumẽtũ in productione gratiæ & donorũ superna-

turalium, potest etiã in productione huius vnionis. Est enim par ratio. Nam licet hæc vnio sit altioris ordinis, quã donum gratiæ, hoc tamẽ non obstat, quominus produci possit à creatura, tãquã ab instrumẽto Diuino; quia Deus potest vti quolibet instrumento ad quemlibet effectum possibilem, si aliunde non sit repugnantia.

5. Quæres. An aliqua creatura reipsa fuerit instrumentum in productione vnionis hypostaticę? Quod dupliciter potest intelligi. 1. de prima productione vnionis, quæ facta est in instãti cõceptionis. 2. de ea, quæ postea facta est in nutritione corporis Christi. Nã quotidie per nutritionem, nouæ partis carnes & sanguinis vnitæ sunt, nõ solũ animæ Christi; sed etiã personę Verbi. Igitur aliqui putant B. Virginẽ per modũ instrumenti cõcurrisse ad primã productionẽ Vnionis: Humanitatis autẽ Christi, ad alterã. Sed nihil certi de hac re definiri potest. Tametsi enim vtrũque fuerit possibile; an tamen factũ sit, non constat.

6. Dices: qui vnit duo extrema inter se, debet habere virtutẽ actiuã supra vtrũque, quia debet vtrũq; coniũgere: Sed nulla creatura potest habere virtutem actiuã supra personam Verbi: Ergo. Respondeo Maior est vera de agente principali, quod vnit duo extrema à se distincta, per immutationẽ vtriusq; extremi. Nã sic debet vtrũque immutare. At in nostro casu nõ dicimus, creaturã esse agens principale. Nec extrema sunt distincta ab agẽte principali, quia persona Verbi simul est agens principale, & alterum extremum. Nec vtrumque extremum immutatur per actionem agentis principalis.

Quæstio VI.

An fuerit aliqua dispositio præuia ad hanc vnionem?

1. Conclvsio. Nulla dispositio fuit necessaria in humanitate Christi ad vnionē hypostaticam: Ac primo, non fuit necessaria ex parte Dei, quia Deus, cum sit infinitæ virtutis, potest aliquid producere sine prę uia dispositione. Secundo, nec ex parte humanitatis quia humanitas per potētiā obedientialem est capax vnionis sine dispositione. Tertio, Nec ex parte ipsius vnionis, quia vnio ex natura sua, nō requirit dispositionem, cum sit vnio substātialis, quę immediate cōiungit extrema substātialia.

2. Quęres, Esto; non fuerit necessaria vlla dispositio, an saltē reipsa aliqua pręcesserit? Respōdeo; Nō. Ratio est, quia in humanitate aliorum hominum nō prędedit aliqua dispositio ad propriam subsistentiā: Ergo nec in humanitate Christi præcessit aliqua ad subsistentiam Verbi, seu ad vnionē cum subsistentia Verbi. Antecedens patet, quia humanitas aliorum hominū priº natura subsistit, quā accidētaliter perficiatur. Nā subsistētia est magis intrinseca humanitati, quam vllū accidēs. Sequela patet, quia subsistētia Verbi supplet locum subsistentiæ creatæ in humanitate Christi: Ergo sicut humanitas Christi priº natura subsisterer propria subsistentia, quam perficeretur vllo antecedente; ita etiā prius natura subsistit subsistentia Verbi, quā habeat vllum accidens.

3. Quęres. An saltem præcesserit gratia habitualis in humanitate Christi ante vnionē, nō tanquam dis-

positio, sed veluti ornamẽtum illius? Negat D. Thomas quæst. 6. art. 6. vbi expresse dicit, gratiam habitualem esse quendam effectum consequentem ex vnione hypostatica. Et quæst. 7. art. 3. vbi ait, Vnionẽ esse priorem gratia habituali, non ordine temporis, sed naturæ. Et probatur 1. generatim ex dictis, quia nullum accidẽs præcedit vnionem: Ergo nec gratia. 2. Speciatim, quia gratia habitualis in Christo, non est gratia adoptionis, sicut in nobis; nec per eam Christus constituitur Filius Dei adoptiuus, sicut nos constituimur: Ergo illa gratia debetur Christo ratione vnionis: Ergo præsupponit vnionem. Vis huius argumenti explicabitur infra cap. 18. de adoptione Christi quæstione 4.

CAPVT III.

De assumptione humanitatis ad personam Verbi.

HAEC Assumptio significat actionem, & connotat duplicem respectum. Actio, quam significat, est ipsa Incarnatio, seu Vnio primo modo sumpta pro actione vnitiua. Connotat autem duplicem respectum: Alterum ad principium efficiens: Alterum ad principium terminans. Vtroque modo conjunctim dicitur *Assumptio*, quasi ad se sumptio. Nam persona Verbi, tanquam principium efficiens, sumit humanitatem ad se, tanquam ad principium terminans. In quo differt ab aliis duabus personis. Tametsi enim omnes personę sint principium efficiens, sola tamen persona Verbi est principium terminans. Hoc magis explicabitur sequenti capite, quæst. 1.

2. Hinc patet, quomodo Assumptio sit idem cum Incarnatione & vnione: & quomodo ab iis differat. Est idem cum illis; quatenus præcise est actio. Nam sicut Incarnatio & vnio significant actionẽ, qua humanitas vnita est Verbo; sic etiam Assumptio. Differt abiisdem, quatenus cõnotat respectum ad principium terminans, quem non connotat Incarnatio & vnio. Deinde speciatim differt ab vnione, quod nomen vnionis non tantum significet actionem, sed etiam immediatum terminum illius actionis, qui est substantialis coniunctio humanitatis cum Verbo; & relationem inde resultantem. Quæ duo posteriora non significantur nomine Assumptionis.

CAPVT IV.

De Persona Assumente.

HIXI hactenus de ipsa vnione. Nunc agendum de duobus extremis, quæ inter se vniuntur, nempe de persona Verbi assumente, & de humanitate Christi assumpta. Et quidem de persona assumente solent hæc disputari. 1. An sola persona Filij assumpserit humanitatem? 2. An natura diuina possit assumere humanitatem? 3. An plures personæ diuinæ possint eandem naturam assumere? 4. An vna persona diuina possit assumere plures naturas? 5. An etiam persona creata possit aliquam naturam assumere? Prima quæstio est de facto: reliquæ de possibili.

QVÆSTIO I.

An sola persona filij assumpserit humanitatem?

1. SAbelliani docuerunt, non modo Filium, sed etiam Patrē & Spiritum Sanctum fuisse incarnatum, per assumptionem humanitatis. Putabant enim Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non esse tres personas, sed vnam, quæ ratione diuersorum officiorum haberet diuersa nomina. Sed hic error in 1.p.c.3. de Trinitate, quæst. 1. refutatus est.

2. Alij, qui agnoscunt Trinitatem personarum, fatētur solam personam Filij assumpsisse humanitatē. Non desunt tamen argumenta in contrarium, præsertim hæc duo. 1. Opera Dei ad extra sunt communia tribus personis: Assumptio humanitatis, seu Incarnatio, est opus Dei ad extra: Ergo est communis toti Trinitati. 2. Vna persona non potest terminare visionem beatificam sine aliis: Ergo nec vnionem hypostaticam. Sed his non obstantibus, sit

3. PRIMA CONCLVSIO. Quamuis tota Trinitas effectiue operata sit Incarnationem, sola tamē persona Filij incarnata est, & humanitatē assumpsit. Est de Fide, vt patet ex variis conciliis. Et probatur 1. quia in Scriptura nec Pater, nec Spiritus Sanctus, sed solus Filius dicitur incarnatus. Ioan. 1. 14. *Verbum caro factum est.* Secundo; quia Pater dicitur dedisse nobis Filium, Ioan. 3. 16. *Sic DEVS dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Tertio, quia Filius, ratione humanitatis assumptæ, dicitur minor Patre.

4. Quæres, Cur Filius potius quam Pater, aut Spiritus Sanctus est incarnatus? Respondeo. Variæ assi-

gnantur rationes à Patribus. 1. Vt is, qui ab æterno erat Filius Dei, in tempore fieret filius hominis. 2. Vt qui erat Filius Dei naturalis, faceret nos filios Dei adoptiuos. 3. Vt qui erat sapientia increata, per quam omnia facta sunt, fieret sapientia incarnata, per quam omnia restaurarentur. 4. Vt qui erat media persona inter Patrem & Spiritum Sanctum, fieret mediator inter Deum & hominem. 5. Vt Adam, qui appetendo scientiam boni & mali perierat, per veram Dei scientiam reuiuisceret. 6. Vt Adam, qui peccauerat appetendo similitudinem Dei, rediret in gratiam per verã imaginem & similitudinem Dei. Vide Damascenum lib. 4. cap. 4. Anselmum lib. de Incarnatione cap. 4. D. Thomam quæst. 3. art. 8. & alios.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Persona filij assumpsit humanitatẽ, non solũ effectiue, sed etiã terminatiue. Ita D. Tho. q. 3. art. 1. & 2. vbi docet, assũptionem duo includere; efficientiam, qua humanitas assumpta & vnita est Verbo; & terminum, ad quem assumpta est. Vtrumque conuenit Filio, sed diuersimode. Prius conuenit illi & toti Trinitati: posterius illi soli: Hinc soluitur primum argumentum initio allatum. Nam assumptio humanitatis, quoad efficientiam, est opus totius Trinitatis: quoad terminationem, solius Filij.

6. TERTIA CONCLVSIO. Persona Filij effectiue assumpsit humanitatẽ per potentiã actiuam, quæ est communis tribus personis: terminatiue vero per relatiuam subsistentiam, quæ est illi propria. Vnde prima ratio efficiẽdi Incarnationẽ, est potentia diuina: prima ratio terminãdi, est personalitas seu subsistẽtia Filij. Probatur ex concilio Toletano 6. in con-

fessione fidei, vbi sic habetur: *Quamuis tres personæ cooperatæ fuerint Incarnationi, solus tamen Filius suscepit humanitatem in eo, quod proprium est Filij, non quod commune est Trinitati.* Ratio est, quia si assumpsisset humanitatem terminatiue per aliquid absolutum, quod sit commune toti Trinitati, iam omnes personæ dicerentur eam assumpsisse, seu incarnatæ esse, quod aperte falsum est.

7. Dices. Si vna persona sola potest vniri humanitati, cur nõ vna sola potest videri à beatis? Respõdeo. Est dispar ratio. 1. quia visio per se primo terminatur ad essentiam diuinam, quatenus est idem cum personis omnibus. Vnio vero per se primo terminatur ad subsistentiam Verbi, quatenus distinguitur à subsistentia Patris & Spiritus Sancti. 2. Visio, cum sit clara, distincta, & intuitiua cognitio rei, sicut in se est; necessario attingit rem totam adæquate, sicut in se est. Vnio hoc non requirit. Non enim necesse est, vt res quæ alicui vnitur, vniatur illi adæquate secundum omnem entitatem & modum realem, quem in se habet. Vide quæ dicta sunt in 1. parte, cap. 9. quæst. 12. §. 18.

QVÆSTIO II.

An natura diuina possit assumere humanitatem?

1. EX dictis constat, quid reipsa factum sit. Nunc incipim⁹ disputare de possibili. Et 1. quęritur, an natura diuina, seclusis personalitatibus seu subsistentiis relatiuis, possit assumere humanitatẽ, vel aliquam aliam naturã creatã? Affirmãt Scotus, Richardus, Durandus, & nõnulli alij, quos citat & sequitur Suarez disp. 13. sect. 1. Hi tamen Authores non conue-

conueniunt in modo. Nam aliqui putant, naturam Diuinam id posse facere per suam existentiam: alij per subsistentiam absolutam. Ratio est, quia Diuina natura, quatenus est existens vel subsistens, secluſis personalitatibus relatiuis, est infinite perfecta: Ergo potest supplere officium subsistentiæ creatæ. Et confirmatur 1. quia si subsistentia diuina relatiua potest supplere officium subsistentiæ creatæ, cur non etiam subsistentia diuina absoluta? 2. quia hæc subsistentia, cum sit infinitæ perfectionis, continet in se eminenter quidquid est perfectionis in subsistentia creata. Hæc potest terminare humanitatem: Ergo & illa potest. Alij contrarium docent, vt Alexander, Bonauentura, Capreolus, quos citat & sequitur Vasquez, disp. 27. cap. 2.

2. Repeto, quod supra dixi, nomine assumptionis, in hoc mysterio, duo significari, vnionem, & terminationem. Nam persona Verbi, quæ de facto assumpsit humanitatem, non solum vniuit sibi eam substantialiter, sed eandem quoque terminat per suam relatiuam subsistentiam seu personalitatem. Nec posset eam hoc modo terminare, nisi esset illi substantialiter vnita. Duplex igitur debet esse pars quęstionis. Vna, an natura Diuina, secluſis personalitatibus relatiuis, possit substantialiter vniri humanitati? Altera, an possit eam terminare? Et per quid? an pręcise per seipsam? an per suam existentiam, communem tribus personis? an per subsistentiam absolutam, quam aliqui admittunt præter tres subsistentias relatiuas?

3. Prima conclvsio. Natura diuina, nec per seipsam immediate, nec per suam existentiam, nec per subsistentiam absolutam, potest substan-

tialiter vniri humanitati. Primo, non per seipsam. Quando enim duæ naturæ, secundum se præcise spectatæ, inter se vniuntur, tunc ex illis non potest conflari, nisi vna totalis natura seu essentia; sicut ex corpore & anima conflatur humanitas, seu totalis natura hominis. At impossibile est, ex natura diuina & humana conflari vnam naturam totalem: Ergo impossibile est, Diuinam & humanam substantialiter inter se vniri. Minor patebit inferius cap. 6. quæst. 1. vbi contra hæresim Eutychetis probandum est, in Christo non esse vnam natutam compositam ex diuina & humana.

4. SECVNDO, Nec per suam existentiam. Nam existentia Dei nihil aliud est, quàm ipsa natura seu essentia Dei: At hæc non potest substantialiter vniri humanitati, vt dictum est: Ergo nec illa. Maior patet, quia essentia Dei, intrinsece & essentialiter est infinite perfecta: Ergo intrinsece & essentialiter est existens: Ergo per seipsam existit. Quod etiam docet Diuus Thomas in 1. p. quæst. 3. art. 4. Et confirmatur, quia in eo distinguitur natura Diuina à creata, quod hæc dupliciter spectari possit. 1. vt possibilis, 2. Vt actu existens. Illa non possit concipi, vt possibilis, sed tantum vt actu existens. Si enim conciperetur vt possibilis, necessariò conciperetur creabilis vel factibilis ab aliqua causa productiua, quod est absurdum. Si ergo non potest vere concipi, nisi vt actu existens, necesse est, vt per seipsam existat. Vnde sequitur, si vniretur humanitati per suam existentiam, quod vniretur illi per seipsam. Hoc autem, vt dixi, impossibile est.

5. TERTIO, Nec per subsistentiam absolutam. quia nulla datur in Deo subsistentia absoluta, sed

tantum tres relatiuæ, vt cap. 3. de Trinitate ostensum est. 2. Etiam si daretur talis subsistentia, non tamen posset substantialiter vniri humanitati. Ratio est, quia nulla absoluta perfectio Diuina potest illi substantialiter vniri seu communicari: At talis subsistentia si datur est absoluta perfectio Diuina: Ergo non potest substantialiter vniri seu communicari humanitati. Maior probatur, quia quælibet absoluta perfectio Diuina intrinsece & necessario includit omnes absolutas perfectiones Diuinas. Ergo si vna substantialiter vniretur aut communicaretur humanitati, omnes illi vnirentur & communicarentur. At impossibile est, omnes vniri & communicari: Ergo etiam impossibile est, vnam aliquam vniri & communicari. Minor patet, quia sunt aliquæ absolutæ perfectiones Diuinę, de quibus certum est, quod non possint substantialiter communicari humanitati: cuiusmodi potissimum sunt hæ tres. 1. Esse actum purum. 2. Esse æternum. 3. Esse omnipotentem: Cum enim humanitas sit res composita ex materia & forma, non potest esse actus purus: Et cum sit creata in tempore, non potest esse æterna: Et cum sit dependens à Deo, non potest esse omnipotens & independens. Hoc discursu vtitur Suarez disp. 35. sect 1. & alij Catholici, quando probant contra Lutheranos, humanitati Christi non potuisse communicari diuinam immensitatem seu omnipræsentiam.

6. Secvnda conclvsio. Natura Diuina, nec immediate per seipsam, nec per suam existentiam, nec per suam subsistentiam absolutam, potest terminare humanitatem. Probatur 1. quia nullo istorum modorum potest substantialiter vniri hu-

manitati, vt probatum est: At terminatio, de qua agimus, supponit substantialem vnionem. 2. Nec vllo istorum modorum potest supplere terminationem subsistentiæ creatæ. Nam subsistentia creata, quæ est in aliis hominibus, incommunicabiliter terminat humanitatem; ita vt ex subsistentia & humanitate constituatur persona, quæ incommunicabilis est. At natura Diuina, nec per seipsam, nec per suam existentiam, nec per absolutam subsistentiam est incommunicabilis: Ergo nullo istorum modorum potest cum humanitate constituere personam incommunicabilem. Et hoc sensu dicit D. Thomas quæst. 3. art. 2. ad 2. quod assumere conueniat soli personæ, non autem naturæ Diuinæ.

7. Ratio in contrarium allata non conuincit. 1. quia potest retorqueri hoc modo: Natura Diuina est infinite perfecta: Ergo poterit supplere officium subsistentiæ creatæ: Vel sic: Sapientia Diuina est infinite perfecta: Ergo potest supplere officium subsistentiæ creatæ. Neutrum sequitur. Ratio est, quia ad terminandam humanitatem non sufficit perfectio terminantis, sed etiam necessaria est vnio, & incommunicabilitas: At natura Diuina neque per se, neque per suam existentiam, neque per absolutam subsistentiam potest vniri humanitati. Et si vniretur, non posset cum ea constituere personam incommunicabilem: Ergo, &c.

QVÆSTIO III.

An plures personæ diuinæ possint simul eandem naturam assumere?

1. NEgant Albertus, Scotus, & nonnulli alij, apud Suarez disp. 13. sect. 2. Et probatur 1. authoritate Aselmi lib. 2. Cur Deus homo, cap. 9. vbi ait: *Plures personæ nequeunt vnum eumdemque hominem assumere in vnitatem personæ.* 2. quia natura creata adæquate terminatur ab vna persona diuina, id est, omni modo, quo terminabilis est: Ergo non potest simul terminari à pluribus personis Diuinis. Antecedens patet, quia non minus terminatur ab vna persona Diuina, quam à propria personalitate: sed ab hac terminatur adæquate: Ergo & ab illa: 3. Idem effectus non potest simul dependere à pluribus causis totalibus, & per se sufficientibus: Ergo eadem natura non potest simul terminari à pluribus Diuinis personis, quia quælibet earum est causa totalis & sufficiens ad terminandam naturam creatam.

2. PRIMA CONCLVSIO. Plures personæ Diuinæ possunt assumere eandem naturam, & terminare illam propriis subsistentiis relatiuis: Ita D. Thomas quæst 3. art. 6. & alij plures. Ratio est, quia tres personę Diuinæ terminant vnam naturam Diuinam: Ergo possunt etiam terminare vnam naturam humanam. DICES, non sequitur, quia Diuina natura est infinita, & ideo potest terminari à pluribus personis. Humana autem finita est, & ideo non potest à pluribus terminari. Respondeo.

Tametsi natura humana, quia finita est non possit per potentiam naturalem terminari a pluribus personis: potest tamen per potentiam obedientialem.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Si tres personæ assumerent eandem humanitatem, quod fieri posse iam dixi, tres personæ non essent tres homines, vt putant Nominales, sed vnus homo, vt docet D. Thomas art. 6. ad 1. Ratio est, quia sicut tres personæ sunt vnus Deus propter vnam Deitatem: sic essent vnus homo, propter vnam humanitatem. Confirmatur à priori, quia ad vnitatem termini substantiui sufficit vnitas formæ, vt docet idem D. Thomas in 1. p. q. 36. art. 4. & quæst. 39. art. 3. Nam terminus substantiuus formaliter significat formam seu naturam, ac proinde vt simpliciter dicatur vnus sufficit vnitates naturæ seu formæ.

4. Ad Argumenta contraria sic respondeo. Ad 1. Anselmus potest dupliciter explicari. Primo, quod plures personæ possint quidem assumere vnã humanitatem, non tamen vnum hominem. Sic explicat Diuus Thomas quæst. 3. art. 6. Secundo, quod plures personæ non possint assumere vnum hominem, id est, vnam humanitatem, in vnitatem personæ. Nam si plures personæ assumerent vnam humanitatem, essent tres personæ humanæ, non vna: non tamen essent tres homines, sed vnus. Vtraque explicatio continet veram doctrinam: sed posterior magis est ad mentem Anselmi.

5. Ad. 2. Negatur antecedens, quia tametsi natura creata tota terminetur ab vna persona Diuina, non tamen adæquate. Sic enim ab vna terminatur, vt possit etiam ab aliis simul terminari, per poten-

tiam obedientialem. Quod autem obiicitur, naturam creatam non minus terminari à Diuina personalitate, quàm à propria, verum est, si loquamur de dignitate & excellentia: falsum, si de modo subsistendi. Nam secundum hunc modum plus terminatur à propria personalitate, quam à Diuina. Sic enim terminatur à propria, vt non possit simul terminari ab alia Diuina: Ratio est, quia propria personalitas facit eam seorsim in se subsistere, & separatim ab omni externa substantia. At Diuina non facit eam in se seorsim, sed in alio subsistere. Non potest autem fieri, vt natura subsistat in se separatim: & simul subsistat in alio. Potest tamen fieri, vt simul subsistat in aliis duobus suppositis. Vide infra capite 5. quæst. 6.

6. Ad 3. Quidquid sit de Antecedente, negatur consequentia; quia licet eadem natura terminaretur à pluribus personis, non ideo sequeretur eundem effectum pendere à pluribus causis totalibus, sed potiùs plures terminationes vnius naturæ dependere à pluribus personis. Hæc enim tria distinguenda sunt. 1. Vna natura humana terminata, 2. plures personæ terminantes, 3. plures terminationes vnius naturæ, dependentes à pluribus personis terminantibus.

QVÆSTIO IV.

An vna persona diuina possit assumere plures naturas?

1. PRIMA CONCLVSIO. Certum est, id fieri posse. Ita D. Thomas q. 3. art. 7. & alij

passim. Ratio est, quia neque ex parte diuinę personę est repugnantia, cum illa sit infinita, & habeat infinitam vim terminandi: nec ex parte naturarum, cum singulæ sint assumptibiles & terminabiles, & inter eas non sit formalis repugnantia, respectu eiusdem personę: licet aliquando sit respectu eiusdem subiecti. Et confirmatur, quia vna persona diuina de facto terminat duas naturas, diuinam & humanam, vt patet in persona Christi: Ergo posset etiam terminare duas humanas.

2. Dices. Ex eo, quod persona Diuina habeat infinitam vim terminandi, non recte colligitur, quod possit plures naturas terminare. Nam etiam persona Patris habet infinitam vim generandi, & tamen non potest generare nisi vnum filium. Respondeo. Illa infinita vis generandi expletur vno actu adęquato, cui respondet vnus terminus adęquatus. At vero infinita vis terminandi, non potest expleri terminatione vnius naturæ creatę, quia talis terminatio est finita, ac proinde non est adæquata virtuti terminandi.

3. Sed contra, quia hinc sequitur, personam Filij non posse terminare naturam humanam, quia licet habeat infinitam vim terminandi, illa tamen expleta est terminatione naturæ Diuinæ. Respondeo. Hoc non sequitur. Tametsi enim expleta sit terminatione ad intra, non tamen terminatione ad extra. Vel quod idem est, tametsi adæquate terminet naturam Diuinam, quæ est infinita: non tamen adæquate, sed inadæquate terminat naturam creatam, quæ est finita. Simile est de amore & cognitione Dei. Nam infinita vis amandi & cognoscendi

in Deo, tametsi expleta sit ad intra, non tamen ad extra. Vel, tametsi Deus adæquate amet & cognoscat seipsum: non tamen adæquate, sed inadæquate amat, & cognoscit creaturas.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Si vna persona diuina assumeret plures humanitates, probabile quidem est, illam vnam personam subsistentem in pluribus humanitatibus, fore plures homines: longe tamen probabilius est, fore vnum tantum hominem. Priorem partem tenet Diuus Thomas in 3. distinctione 1. quæstione 2. articulo 5. ad 2. & 3. Scotus ibidem quęstione 3. Durandus quęstione 3. Altisiodorensis lib. 4. Summę, tract. 1. capite 1. quęstione 5. Ratio sumitur ex precedenti quęstione, quia ad vnitatẽ substantiui sufficit vnitas formę: Ergo ad pluralitatem sufficit pluralitas. Nam si tres personę dicuntur vnus homo propter vnam humanitatem: cur vna persona non dicatur tres homines, propter tres humanitates?

5. Posteriorem sequitur idem D. Thomas in hac 3. parte, quęst. 3. art. 7. ad 2. vbi retractat priorem sententiam, & alij plures. Ratio est, quia in tali casu, ex pluribus humanitatibus constitueretur vna persona humana, vt per se constat: At vna persona non dicitur plures, etiamsi habeat plures formas: Verbi gratia: Vnus Petrus non dicitur plures artifices, tametsi habet plures artes: nec plures patres, etiamsi habeat plures paternitates. Similiter Christus non dicitur plures substantię, etiamsi habeat plures naturas substantiales. Et confirmatur, quia plures homines illi sunt, quorum vnus non est alius: Sed si Verbum assumeret plures humanitates, & sub vna vocaretur IESVS, & sub

alia Ioannes, verum esset dicere, Iesus est Ioannes: sicut verum est dicere, Verbum est IESVS: Ergo hic homo non esset alius ab alio: ac proinde non essent plures.

6. Ad contrariam rationem sic Respondeo. Primo ad Antecedens, ad vnitatem substantiui sufficit vnitas formæ, sed non requiritur. Nam sicut sufficit vnitas formæ, sic etiam potest sufficere vnio formarum in eodem suppositō, vt ex dictis patet. Secundo, negatur consequentia, quia quamuis ad vnitatem substantiui sufficiat vnitas formæ, non tamen ad pluralitatem substantiui sufficit pluralitas formæ, sed vlterius requiritur pluralitas suppositi, vel habentis formam. Vnde licet plures personæ dicantur vnus homo, propter vnitatem humanitatis: tamen vna persona non potest dici plures homines propter plures humanitates. Ratio est, quia vnitas formaliter significat vnionem seu indiuisionem. Vnde vt aliqua sint vnum sub aliqua ratione, sufficit vt sub illa ratione vniantur. At multitudo significat diuisionem, & negationem vnionis seu vnitatis. Vt ergo aliqua dicantur multa seu plura, necesse est, vt sint diuisa & non vnita. Plures autem humanitates non sunt diuisæ, si sint in vna persona: ac proinde vna persona non potest dici tres homines, sed vnus homo.

7. Quæres, Quid dicendum esset, si tres personæ assumerent tres humanitates: ita vt quælibet humanitas assumeretur ab illis omnibus? Respondeo. Tunc tres personæ comparatæ ad distinctas humanitates, essent tres homines: comparatæ vero ad eandem humanitatem, essent vnus homo.

Qvæstio V.

An persona creata possit alienam naturam assumere?

1. Certum est, id fieri non posse naturaliter: quia nulla persona creata potest sua virtute impedire naturalem resultentiam subsistentiæ in aliena natura: Ergo non potest illam assumere ad suam subsistentiam. An autem diuina virtute id fieri possit, quæstio est. Negant Paludanus, Durandus, Henricus, & alij citati apud Suarez disp. 13. sect. 4. quibus fauet D. Thomas q. 3. art. 1. ad 2. vbi dicit: *Proprium esse diuinæ personæ, propter eius infinitatem: vt fiat in ea concursus naturarum secundum subsistentiam.*

2. Sed probabilius est, virtute diuina id fieri posse. Ita Scotus, Ocham, Maior, & nonnullli recentiores. Ratio est, quia nulla hic apparet repugnantia, nec ex parte naturæ, nec ex parte personæ: Et confirmatur primo, quia vt persona creata possit terminare alienam naturam creatam, tria tantum requiruntur. 1. vt persona habeat vim terminandi. 2. Vt natura possit separari à propria subsistentia. 3. Vt separata à propria subsistentia, possit coniungi cum aliena persona, quæ habeat vim terminandi. Hæc omnia fieri possunt. 1. quia quælibet persona habet vim terminandi. Nec requiritur vis infinita, quia actualis terminatio non est infinita. 2. quia natura potest separari à propria subsistentia, vt patet in humanitate Christi. 3. quia Deus potest naturam creatam vnire cum persona

creata aliena non minus, quam cum increata persona Verbi, cùm hæc magis distet à compositione & vnione, quam illa.

3. Confirmatur 2. quia multi Patres non solum putarunt hac vnionem esse possibilem, sed etiam reipsa factam, asserentes Malachiam, Aggæum, Ioannem Baptistam, Melchisedecum fuisse Angegelos incarnatos, eo modo, quo Christus est Verbum incarnatum. Vnde sequitur ex illorum sententia personam Angelicam assumpsisse naturam humanam. Vide D. Hieronymum in præfatione super Malachiam, & circa cap. 1. Aggæi, ad illa verba, *Dixit Aggæus nuncius Domini.* Et epist. 126. ad Euagtium. Adde, quosdam etiam putare, Antichristum fore Dęmonem incarnatum, vt refert Bellarminus lib. 3. de Pontifice, cap. 12.

4. Dices 1. Vna persona creata non continet eminenter perfectionem alterius personalitatis creatæ sicut persona Diuina: Ergo non potest supplere locum illius, & consequenter non potest terminare naturam alienam. Respondeo. Non sequitur, quia talis eminentia non requiritur. Non enim necesse est, vt suppleat locum illius, quoad perfectionem, sed satis est si suppleat quoad rationem termini, seu in communicabilitatis. Iam vero quælibet persona creata, ex se, est vltimus terminus incommunicabilis, ac proinde ex se potest terminare quamlibet naturam, cum qua potest vniri. DEVS autem potest personalitatem Angelicam vnire cum natura humana, per potentiam obedientialem. Potest ergo personalitas Angelica terminare naturam humanam: Et viciſſim. Simile est de figura, quę terminat quantitatem. Quelibet

enim figura, siue rotunda, siue quadrata, siue triangularis, ex se est terminus quantitatis: ac proinde quælibet potest terminare illam quantitatem, cui potest vniri. Neque necesse est, vt quando vna figura supplet locum alterius in terminando, contineat eam eminenter quoad perfectionem: sed sufficit, si habeat eandem vel similem vim terminandi.

5. Dices 2. Si persona creata assumeret naturam extraneam, vel id faceret per virtutem propriam, per alienam. Non prius, vt notum est. Nec posterius, quia nihil potest intelligi superadditum personæ creatæ, per quod possit assumere naturam extraneam, vt fuse persequitur Durandus apud Suarez disp. 13. sect. 4. Respondeo. Si persona creata assumeret naturam extraneam, faceret id partim virtute propria terminatiua: partim virtute aliena effectiua. Si enim Deus effectiue vniret humanitatem cum persona Angelica, posset persona Angelica propria virtute terminatiua illam terminare. Nec opus esset, vt virtus illa terminatiua augeretur. Sicut enim anima, si vniretur duobus corporibus, posset vtrumque informare per naturalem vim informatiuam, minime auctam: sic etiam, seruata proportione, de vi terminatiua statuendum est.

6. Dices 3. Personalitas creata est adæquatus terminus naturę, cui est connaturalis v. g. Personalitas Angelica est adęquatus terminus naturę Angelicę: Ergo non potest alienam naturam terminare. Respondeo. Est adęquatus illius terminus secundum virtutem naturalem, & quæ naturali modo reduci possit in actum: Non tamen est adæquatus secundum virtutem obedientialem. Nam

per hanc potest à Deo coniungi cum alia natura, vt eam terminet. Nota. duo hîc spectanda sunt, vt dixi. 1. Vnio personæ Angelicæ cum natura aliena. Hæc non potest fieri secundum virtutem naturalem, sed obedientialem. Nam aliena natura non est capax personalitatis Angelicæ per potentiam naturalem, sed per obedientialem. 2. Terminatio. Hęc potest fieri per virtutem naturalem terminatiuam ex parte personæ. Nam persona Angelica non requireret nouam, aut maiorem virtutem terminandi, si vniretur naturæ alienę, sed per eandem virtutem terminaret alienam, per quam terminat propriam naturam. Iuxta hanc solutionem intelligendus est D. Thomas cum ait: *proprium esse diuinæ personæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus duarum naturarum secundum subsistentiam.* Nam in persona creata non potest id fieri, nempe per virtutem naturalem, vt dixi. Persona enim creata, tametsi posset propria virtute terminare extraneam naturam, non potest propria virtute eam sibi vnire, ac proinde non potest eam assumere. Nam assumptio vtrumque includit, vnitionem, & terminationem, vt sæpe dictum est.

CAPVT V.

De natura assumpta.

CONSTAT, personam Verbi de facto assumpsisse humanam naturam, & non aliam. Quæritur 1. An omnes partes humanę naturę assumpserit? 2. Quo ordine eas assumpserit? An etiam alia natura, præter humanam, sit assumptibilis? 4. An materia & forma seorsim? 5. an accidens? 6. an natura creata existens cum propria personalitate? Vide D. Thomam quæst. 4. 5. & 6.

QVÆSTIO I.

An persona Verbi assumpserit omnes partes humanæ naturæ.

1. CERTVM est, quod assumpserit corpus & animam. Difficultas est de quibusdam partibus corporis. Ac 1. de sanguine. 2. de aliis tribus humoribus. 3. de Spiritibus vitalibus ac sensitiuis. 4. de vnguibus, dentibus, capillis. Constat quidem, Christum hæc omnia habuisse in suo corpore: sed quæritur, an hæc omnia assumpserit immediate ad suam subsistentiam, sicut assumpsit carnem & animam? Vel, an hæc omnia immedia-

te fuerint vnita personæ seu subsistentiæ Verbi? Negant Durandus, Gabriel, Richardus, apud Suarez disp. 15. sect. 6. Ratio est, quia persona Verbi non assumpsit immediate vllam partem corporis, nisi animatam: sed supradictæ partes non sunt animatæ: Ergo nec immediate assumptæ.

2. PRIMA CONCLVSIO. Sanguis Christi fuit immediate vnitus personæ Verbi. Ita D. Thomas quæst. 5. art. 2. Et definitum est à Clemente 6. in Extrauagante *Vnigenitus*, de pœnitentiis & remissionibus, vbi diserte ait, Modicam guttam sanguinis Christi potuisse sufficere pro redemptione totius humani generis, *propter vnionem ad Verbum.* Nã ab hac vnione habuit vim redimendi genus humanum, & liberandi nos à peccatis. Et hoc sensu intelligi possunt hæc Scripturæ testimonia. Ephes. 1. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Et 1. Ioan. 1. 7. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* Et 1. Petri 1. 18. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine agni immaculati.* Vbi sanguis Christi non solum dicitur pretiosus, sed etiam incorruptibilis, propter vnionem cum Verbo.

3. Et confirmatur 1. ex Concilio Ephesino, in Epistola ad Nestorium, vbi dicitur, *Verbum factum esse hominem, assumptione carnis & sanguinis.* Secundo ex Concilio Chalcedonensi, act. 1. vbi lecta & approbata est quædam Epistola Cyrilli, in qua ipse ait: *Verbum caro factum est, id est, carnem & sanguinem assumpsit:* Tertio ex eodem Cyrillo, Epist. 29. quæ est ad Acacium, post medium, vbi sic scribit: *Cum enim Deus sit, homo factus est, non amisso, quod Deus est, sed magis propter carnis & sanguinis assumptionem.* Ratio

tio est, quia persona Verbi assumpsit omnes partes, quæ pertinent ad veritatem naturæ humanæ; (Christus enim fuit verus homo, sicut nos sumus) At sanguis pertinet ad veritatem naturæ humanæ duplici titulo. 1. quia natura humana non potest subsistere, seu vitam conseruare sine sanguine, iuxta illud Leuit. 17. 14. *Anima omnis carnis in sanguine est.* 2. Nec potest operari sine sanguine, quia caro non est apta ad sentiendum, nisi per sanguinem, qui calidus & humidus est, temperata. Cum ergo Christus ideo assumpserit humanam naturam, vt in carne possit pati, & sensibilem dolorem substinere, necesse erat, vt etiam assumeret sanguinem, sine quo sensibilis dolor in carne esse non potest. Hoc insinuat Apostolus Hebr. 2. 14. cum ait, Filium Dei communicasse carni & sanguini, vt esset nobis similis, & posset pro nobis pati.

5. Quæres 1. An totus Christi sanguis fuerit hypostatice vnitus Verbo? Caietanus quæst. 5. art. 2. & quæstione 54. art. 2. distinguit duplicem sanguinem: alterum nutrimentalem, qui nondum conuersus est in substantiam hominis, ac proinde nondum animatus: alterum perfectum, qui iam conuersus est. Hunc ait hypostatice vnitum esse Verbo, non illum. Simili modo Syluester in Rosa aurea, tract. 3. quæstione 31. ponit duplicem sanguinem in Christo, alterum salubrem, qui ex vi propriæ vnionis cum Verbo, habet infinitum valorem: alterum non quidem salubrem, sed tamen salubriter effusum, qui licet ex se non sit efficax, cum non sit vnitus Verbo: tamen effusio eius fuit efficax propter dignitatem personæ effundentis, sicut etiam effusio lachrymarum.

6. Hæc opinio potest confirmari, quia Christus in resurrectione, non resumpsit omnem sanguinẽ, sed tantum aliquem: Ergo non omnis fuit hypostatice vnitus Verbo. Antecedens patet, quia in multis locis adhuc aliquid asseruatur ex illo sanguine. Sequela probatur ex illo dicto Damasceni: *Quod Verbum semel assumpsit, numquam dimisit*: At certum est, quod dimiserit illum sanguinem, qui in terra reseruatur: Ergo ille sanguis numquam fuit assumptus.

7. Sed probabilius est, totum sanguinem, qui erat in corpore Christi, fuisse vnitum Verbo. 1. quia Scriptura, Patres, & concilia superius citata non distinguunt duplicem sanguinem in Christo: sed absolute & indifferenter loquuntur de sanguine. 2. quia totus sanguis, qui est in humano corpore, pertinet ad veritatem naturæ humanæ: Ergo totus fuit assumptus hypostatice.

8. Quod autem obiicitur, Christum in resurrectione non resumpsisse omnem sanguinem, non est certum. Tametsi enim aliqui affirment: tamen D. Thomas quæst. 54. art. 2. ad 3. negat. Asserit enim hæc duo. Primo, Christum resumpsisse totum sanguinem, quem effuderat in passione, quia totus ille sanguis pertinebat ad veritatem naturæ humanæ. 2. sanguinem illum, qui in quibusdam Ecclesiis pro reliquiis asseruatur, non fluxisse ex corpore Christi, sed ex quadam Christi imagine percussa, miraculose emanasse.

9. Quæres 2. Si ponamus aliquam partem sanguinis Christi effluxisse de corpore Christi, quæ postea non fuerit resumpta, sed asseruetur in terris, vt multi putant: an illa pars adhuc maneat vnita

Verbo? Aliqui affirmant. 1. propter axioma Damaſceni. 2. Niſi maneret vnita Verbo, non poſſet adorari. Alij rectius negant, quia eiuſmodi ſanguis non eſt amplius pars corporis Chriſti: Ergo non amplius vnitur Verbo. Nam propter eandem cauſam, partes materiæ, quæ per continuam nutritionem reſoluebantur ex corpore Chriſti, non amplius ſunt vnitæ Verbo: quia non amplius ſunt partes illius corporis. Nec obſtant contraria argumenta. 1. quia axioma Damaſceni debet intelligi de anima & corpore, quæ ſemel aſſumpta ſunt, & numquam dimiſſa: non autem de ſingulis corporis particulis. 2. quia ſanguis poteſt adorari, propter præcedentem vnionem: etiam ſi nunc Verbo vnitus non ſit. Ita Suarez tom. 2. diſp. 47. ſect. 3.

10. SECVNDA CONCLVSIO. Probabile etiam eſt, alios tres humores, itemque ſpiritus vitales & animales; dentes & vngues, fuiſſe vnitos Verbo, ſeu hypoſtatice aſſumptos. Hæc concluſio pendet ex duplici principio. Vnum eſt, quod omnes partes corporis, quæ pertinent ad veritatem & integritatem humanæ naturæ, aſſumptæ ſint à Verbo, vt docet D. Thomas quæſt. 54. art. 2. ad 3. Quia Verbum aſſumpſit veram humanitatem. Alterum, quod tres reliqui humores, itemque ſpiritus vitales & animales, dentes & vngues, pertineant ad veritatem humanę naturæ. Quod probabile eſt. De capillis plus eſt dubij. Nihilominus aliqui putant, illos etiam fuiſſe vnitos Verbo. 1. quia pertinent ad ornamentum, & quaſi complementum corporis. 2. quia futuri ſunt in corporibus reſurgentium, vt tradit Auguſtinus lib. 22 de Ciuitate Dei cap. 19. & in Enchiridio cap. 88.

11. Dices, Si ita est, sequitur in Christo fuisse quotidie nouam vnionem ad Verbum, & nouam separationem à Verbo, quia quotidie crescebant & resoluebantur capilli, vngues, spiritus vitales, & similia. Respondeo. Hoc non est mirum, quia idem fiebat in quotidiana nutritione & resolutione carnis, & aliarum partium animatarum.

12. Ratio initio quæstionis allata facile dissoluitur. Nam Verbum non tantum assumpsit partes corporis animatas, sed etiam inanimatas, quæ pertinent ad veritatem humanitatis. Cum ergo quæritur, An hæc vel illa pars corporis Christi fuerit vnita Verbo, non debet attendi, an sit animata, sed potius an pertineat ad veritatem humanæ naturæ.

QVÆSTIO II.

Quo ordine assumptæ sint partes humanæ naturæ.

1. POtest spectari triplex ordo, nempe durationis, dignitatis, & causalitatis. Ordo causalitatis iterum duplex est: alter intentionis, qui est secundum causalitatem finalem: alter executionis, qui est secundum causalitatem efficientem.

2. PRIMA CONCLVSIO. Si loquamur de ordine durationis seu temporis, certum est, omnia facta esse in eodem instanti, sine vllo ordine prioris & posterioris. Nam & corpus Christi formatum fuit vnico instanti, & anima simul creata & infusa corpori: & tam anima, quam corpus simul vnita

Verbo, vt docte explicat Sophronius in 6. Synodo, act. 11. & Damascenus lib. 3. de fide cap. 2. Vide Suarez disp. 16.

3. SECVNDA CONCLVSIO. De ordine dignitatis res est facilior. Constat assumptionem totius naturæ perfectiorem esse assumptione singularum partium: Et rursum assumptionem animæ rationalis secundum se digniorem & congruentiorem esse assumptione corporis, quia corpus habuit ab anima congruitatem, vt assumeretur.

4. TERTIA CONCLVSIO. Quod attinet ad ordinem causalitatis, maior est difficultas. Probabilius est, ordine intensionis partes naturæ humanæ, nempe corpus & animam prius inter se vnitas esse, quam cum Verbo: Ordine autem executionis, prius vnitas esse Verbo, quam inter se. Ita D. Thomas q. 6. art. 5. ad 1. Caietanus, Capreolus, & nonnulli alij apud Suarez disp. 17. Prior pars patet, quia assumptio totius humanitatis est primario intenta: Ergo ordine intensionis prior est, quam assumptio singularum partium. Posterior probatur, quia in executione, manet vnio singularū partium cum Verbo, non manente vnione partium inter se, vt patet in triduo mortis: Ergo in executione, vnio partium cum Verbo non dependet ab vnione partium inter se: Ergo non potest esse posterior ordine causalitatis efficientis, sed debet esse prior. Vide plura apud Suarez disp. 17.

QVÆSTIO III.

An etiam alia natura, præter humanam, sit assumptibilis?

1. POtest esse quæstio, vel de natura superiori, vt est Angelica: vel de inferiori, vt est irrationalis aut insensibilis. Albertus negat Angelicam assumi posse, quia putat naturam & personam in Angelis non distingui. Si ergo persona assumi non potest ex communi sententia: neque natura, quæ est eadem cum persona, assumi poterit. Alij negant naturam irrationalem assumi posse, quia non est capax gratiæ & sanctitatis. Vide Suarez disp. 14. sect. 2.

2. PRIMA CONCLVSIO. Natura angelica potest à Deo hypostatice assumi. Ita D. Thomas q. 4. art. 1. ad 3. Caietanus, & plerique alij. Et colligitur ex illo Hebr. 2. 16. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Vbi Apostolus commendat charitatem Dei erga genus humanum, quod potius humanam, quam Angelicam naturam assumere dignatus sit. Quæ comparatio nulla esset, si Angelica natura non posset assumi. Nec verũ est, quod putat Albertus, naturam à persona in Angelis non distingui. Omnino distinguitur, vt nunc suppono.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Non implicat, naturam irrationalem aut insensibilem vniri Deo hypostatice. Ita D. Thomas, Scotus, Paludanus, Durandus in 3. dist. 2. quæst. 1. Probatur 1. quia Corpus Christi mortuum fuit hypostatice v-

nitum Verbo in triduo mortis: Ergo &c. 2. quia vnio hypoſtatica proxime & per ſe terminatur ad ſubſiſtentiam: ſed quælibet natura ſubſtantialis eſt capax ſubſiſtentiæ. 3. quia nulla apparet repugnantia.

4. Dices 1. Forma non poteſt vniri niſi illi, cui poteſt tribuere effectum formalem: Sed perſona Diuina non poteſt formalem effectum hypoſtaticæ vnionis tribuere naturæ irrationali, quia non poteſt illam ſanctificare, & facere filiam adoptiuã: Ergo non poteſt illi vniri. Reſpondeo. Maior diſtinguenda eſt. Forma enim non poteſt alicui vniri, cui non poteſt tribuere primarium effectum: poteſt tamen vniri, licet non tribuat ſecundarium. Primarius autem effectus hypoſtaticæ vnionis, non eſt ſanctificatio naturæ aſſumptæ, ſed hypoſtatica terminatio: Ex quo effectu ſequitur etiam effectus ſanctificationis, ſi natura aſſumpta ſit illius capax. Vide ſupra cap. 2. quæſt. 4. §. 8. & 9.

5. Dices 2. Primarius effectus hypoſtaticæ vnionis non ſolum eſt terminatio hypoſtatica, ſed etiam perſonalis, cum terminus huius vnionis ſit perſona Diuina: ſed natura irrationalis non eſt capax terminationis perſonalis, quia non poteſt conſtituere perſonam: Ergo non poteſt aſſumi à perſona Diuina. Reſpondeo. Quando natura aſſumpta eſt intellectualis, tunc effectus vnionis hypoſtaticæ eſt terminatio perſonalis: quando non eſt intellectualis, tunc effectus non eſt perſonalis, ſed hypoſtatica, ſeu ſuppoſitalis. Nam terminatio ideo eſt perſonalis vel non perſonalis, quia natura terminata eſt intellectualis vel non intellectualis. Nihil enim aliud eſt perſona, quam ſuppoſitum in na-

tura intellectuali: ac proinde à supposito, quod non est persona, non differt per aliquem diuersum modum terminationis, sed per respectum ad naturam connotatam. Hinc sequitur, si eadem subsistentia terminaret duas naturas, alteram intellectualem, alteram irrationalem; tunc cum vna constitueret personam, & cum altera suppositum.

QVÆSTIO IV.

An materia & forma seorsim sint assumptibiles?

1. MAteria prima per se assumptibilis est sine forma: quod dupliciter fieri potest. 1. Conseruando materiam sine omni forma, & sic vniendo illam Verbo. 2. Relinquendo materiam cum forma in toto composito, & præcise assumendo materiam. Vtrumque possibile est, quia nulla apparet repugnantia. Imo aliqui putant, corpus Christi, in triduo mortis, sine omni forma substantiali mansisse vnitum Verbo.

2. Forma quoque est assumptibilis sine materia in vtroque sensu. Et quidem de anima rationali non est difficultas. De aliis formis, quæ dependent à materia dubitari potest. An quando actu informant materiam, præcise assumi possint, non assumendo materiam? Ratio dubij est, quia formæ, quæ actu informant materiam, actu etiam dependent à materia, tanquam à substentante: Ergo actu non possunt per se subsistere: Ergo non possunt assumi ad subsistentiam Verbi. Respondeo. Licet illæ formæ naturaliter dependeant à materia, quam informant, fieri tamen potest, vt

Deus tollat illam dependentiam, manente informatione. Nam sicut anima rationalis actu informat materiam, & tamen non dependet à materia, quia habet propriam subsistentiam à materia independentem: ita forma equi vel bouis actu posset informare materiam, & tamen non dependeret à materia, quia haberet subsistentiam diuinam, qua independenter à materia subsisteret.

Qvæstio V.

An accidens sit assumptibile?

1. Dupliciter hoc intelligi potest. 1. Vt accidens immediate assumatur à Verbo. 2. Vt mediate. Prior assumptio vocatur secundum hypostasim: posterior in hypostasi. Vide supra quæst. 1. § 1.

2. Prima conclvsio. Certum est accidens mediate assumi posse à persona Verbi. Hoc enim factum est in Christo. Nam persona Verbi immediate assumpsit corpus & animam Christi, in quibus sunt accidentia: Ergo etiam assumpsit accidentia, mediante corpore & anima. Verbi gratia, longitudinem, colorem, & figuram, mediante corpore: voluntatem & intellectum, mediante anima.

3. Secvnda conclvsio. Quamuis probabile sit, accidens etiam immediate vniri posse personæ Verbi; tamen probabilius est non posse. Priorem partem tenent Gabriel, Marsilius, Maior, & Almaynus apud Suarez disp. 14. sect. 4. Ratio est, quia accidens separatum à subiecto, (vt quantitas in Eucharistia) habet modum per se essendi, simile

ſubſiſtentiæ: Ergo Deus per ſuam ſubſiſtentiam poteſt ſupplere illum modum. Hic enim nulla eſt repugnantia. 2. quia ſi Deus facit, vt anima Chriſti ſubſiſtat ſubſiſtentia increata: poteſt etiam facere, vt intellectus vel albedo Chriſti ſubſiſtat ſubſiſtentia increata. Videtur enim par eſſe ratio.

4. Poſteriorem tenent Baſolis, Palatius, & Suarez loco citato. Ratio eſt, quia perſonalitas ex natura ſua eſt terminus ſubſtantialis: Ergo ex natura ſua conſtituit compoſitum ſubſtantiale: Ergo non poteſt immediate terminare accidens, nec cum illo compoſitum conſtituere. Et confirmatur, quia ſicut ſubſtantia non poteſt inhærere alteri per modum accidentis: ita accidens non poteſt ſubſtantialiter ſubſiſtere per modum ſubſtantiæ. Nam ſi ſubſtantia inhæreret alteri, iam non eſſet ſubſtantia, cui eſſentiale & intrinſecum eſt, non inhærere, ſed per ſe eſſe. Et ſimiliter, ſi accidens ſubſtantialiter ſubſiſteret, iam non eſſet accidens, cui eſſentiale & intrinſecum eſt, non ſubſiſtere ſubſtantialiter, ſed inhærere vel exiſtere accidentaliter.

5. Ratio contraria non conuincit. Nam ille modus eſſendi per ſe, quem habet accidens ſeparatum à ſubiecto, non eſt ſubſtantialis, ſed accidentalis: ac proinde toto genere differt à ſubſiſtentia ſeu perſonalitate, quæ neceſſario eſt ſubſtantialis. Neque ſequitur, ſi anima Chriſti poteſt ſubſiſtere ſubſiſtentia increata, etiam accidens poſſe. Nã anima, cum ſit ſubſtantia, poteſt ſubſtantialiter ſubſiſtere; accidens non poteſt.

QVÆSTIO VI.

An natura creata, existens cum propria personalitate, sit assumptibilis?

1. CONstat, naturam creatam & personalitatem illius non posse simul assumi hypostaticæ, vt passim docent Theologi. Ratio est: quia personalitas est vltimus terminus naturæ: ac proinde non potest vlterius hypostatice terminari. At dubium est, an natura terminata propria personalitate, possit assumi præcise, ita vt ipsa sola assumatur, & non personalitas? Ratio dubitandi est; quia natura semel terminata ab vna persona Diuina, potest iterum assumi ab altera, per distinctam vnionem (supra cap. 4. quæst. 3. Ergo etiam natura terminata à propria personalitate, potest iterum terminari à persona diuina. Nam si eadem natura potest terminari à duabus personis alienis: potest etiã ab vna propria, & altera aliena.

2. CONCLVSIO. Probabilius tamen est, id fieri non posse: vt passim docent Theologi, apud Suarez disp. 14. sect. 1. Variæ solent adferri rationes. Præcipua est, quia personalitas creata duo habet. 1. quòd sit terminus incommunicabilis, seu incommunicabiliter terminans naturam creatam, cuius est personalitas. 2. quod essentialiter sit ratio, quæ facit naturam creatam, quam terminat, seorsim existere in se, & separatim ab omni substantia extranea. Ex hoc posteriori, sic argumentor. Impossibile est, naturam creatam existere separatim ab omni substan-

tia extranea; & simul vnitam esse cum substantia extranea: Ergo impossibile est, illam existere cum propria personalitate, & simul vnitam esse cum aliena personalitate. Nam hi duo modi sunt repugnantes: Existere in se separatim ab alio, &, Existere in alieno supposito.

3. Dices, Repugnant quidem inter se naturaliter, sed tamen Deus potest supernaturaliter facere, vt simul coniungantur: Sicut potest supernaturaliter facere, vt calor & frigus, quæ naturaliter inter se pugnant, existant simul in eodem subiecto. Respondeo. Deus potest facere, vt duo repugnantia, ex quibus non sequitur contradictio, simul sint in eodem subiecto: Non tamen, si ex illis sequatur cõtradictio. Sic potest facere, vt calor & frigus sint in eodem subiecto, quia inde non sequitur contradictio. Non tamen potest efficere, vt personalitas propria & aliena terminent simul eandem naturam, quia inde sequitur contradictio. Nam personalitas propria, vt ante dixi, essentialiter hoc habet, vt faciat naturam seorsim in se subsistere. Si ergo natura per propriam personalitatem necessario subsistit separatim in se, non potest simul subsistere in alio. Nã inde sequeretur hæc contradictio: Subsistere separatim, & non subsistere separatim. Quæ contradictio non sequeretur, si eadem natura subsisteret per duas personalitates alienas. Et sic manet soluta ratio dubitandi initio allata.

CAPVT VI.

De Christo, qui est adæquatus terminus vnionis hypostaticæ, resultans ex persona assumente, & natura assumpta

DIVVS Thomas quæst. 2. & alij ibidem multa disputant de termino vnionis hypostaticæ, & præsertim hæc, 1. An terminus vnionis sit natura? 2. An sit persona vel hypostasis? 3 An sit persona composita? 4. An sit aliquid creatum? Quæ omnia quod ad rem attinet, perinde valent, ac si quæras. 1. An in Christo, post vnionem hypostaticam manserint duæ naturæ integræ, Diuina & humana? an vero ex vnione duarum naturarum conflata sit vna tertia? 2. An sicut in Christo sunt duæ naturæ, sic etiam sint duæ personæ? an potius sit vna persona, ex duabus & in duabus naturis subsistens? 3. An ista persona sit composita? 4. An creata seu producta?

QVÆSTIO I.

An in Christo manserint duæ naturæ, diuina & humana?

1. FVit olim hæresis Eutychetis, Dioscori, & Acephalorum, qui docebant in Christo esse vnam naturam conflatam seu resultantem ex

vnione duarum naturarum, Diuinæ & humanæ: Ac proinde Christum subsistere ex duabus naturis, non tamen in duabus, sed in vna. Hoc 4. modis intelligi potest. 1. Vt hæc vnio facta sit per confusionem, mixtionem, & transmutationem duarũ naturarum in vnam tertiam sicut fit in productione mixti ex elementis. 2. Vt facta sit conuersio humanitatis in Diuinitatem. 3. Vt è contrario facta sit conuersio Diuinitatis in humanitatem. 4. Vt per compositionem resultauerit vna natura ex duabus, manente vtraque salua & integra: sicut ex corpore & anima resultat humana natura. Non satis constat inter Theologos, quo sensu supradicti hęretici docuerint, vnam naturam ex duabus in Christo resultasse. Videatur Bellarminus lib. 3. de Christo ca. 3. Suarez disp. 7. sect. 2. Vasquez disp. 14. cap. 1. & alij.

2. Fundamentum Eutychetis fuit, quia putabat naturam indiuiduam & personam esse idem. In Christo autem est vna tantum persona: Ergo & vna tantum natura. Ex eodem fundamento, vt postea dicam; colligebat Nestorius in Christo duas esse personas, hoc modo: Natura & persona sunt idem: In Christo sunt duę naturę, diuina & humana: Ergo in Christo sunt duæ personę. Hoc fundamentum falsum est, vt suppono ex Philosophia. Et ex eo sequeretur, in Deo esse tres naturas, quia sunt tres personæ.

7. PRIMA CONCLVSIO. In Christo, post incarnationem, manent duę naturę integræ & incõfusæ, Diuina & humana. Est de fide. Et probatur 1. Ex variis conciliis, præsertim ex generali concilio Chalcedonensi, vbi hoc speciatim contra Eutych-

tem definitũ est. 2. Ex antiquis Patribus apud Bellarmin. 3. Ex principiis fidei, quia Christus post incarnationem permãsit verus Deus, & verus homo: Ergo seruauit veram diuinitatem & humanitatem. 4. Ex illis Scripturæ testimoniis, vbi tribuuntur illi proprietates Diuinitatis, vt quod sit imago & figura paternæ substantiæ. (Heb. 1.3.) Quod sit vnum cum Patre, (Ioan. 10.30.) Quod sit Principium Spiritus Sancti (Ioan. 16. 7.) Item, vbi tribuuntur illi partes humanæ naturæ, vt caro, anima, sanguis. 5. Ex illis testimoniis, vbi Christus dicit se esse nunc æqualem Patri, nunc minorem. Hæc enim propter diuersas naturas dicuntur: Denique, quia Christi Diuinitas fuit declarata testimonio Dei Patris: Humanitas morte, passione, & aliis defectibus.

4. Secvnda Conclvsio. Ex duabus naturis, Diuina & humana, non potuit conflari vna natura in Christo. Ac primo, non potuit id fieri per mixtionem. 1. quia tunc Christus nec esset verus Deus, nec verus homo. 2. Nec Patri, nec nobis esset consubstantialis. 3. Diuinitas esset mutata per illam mixtionem. 4. Non minus Pater & Spiritus Sanctus essent incarnati, quàm Filius, quia illa mixtio facta esset ex natura Diuina, quæ est communis toti Trinitati.

5. Secundo, non potuit fieri per conuersionem humanitatis in Diuinitatem. 1. quia tunc Christus non esset verus homo. 2. Non potuisset mori, & pati, nisi secundum Diuinitatem. 3. Incarnatio esset communis toti Trinitati.

6. Tertio, Nec per conuersionẽ diuinitatis in humanitatẽ. 1. quia tũc Christus nõ esset verus Deus, 2. Deitas esset mutata. 3. Tota Trinitas esset homo.

7. Quarto. nec per compositionem, qualis est compositio ex materia & forma, seu ex corpore & anima. 1. quia natura Diuina & humana non sunt partiales & imperfectæ, sed totales & integræ: Ergo non concurrunt ad compositionem vnius integræ per modum partium. Implicat n. aliquam naturam esse completam & perfectam, & nihilominus esse partem naturę, quia vnus terminus includit negationem alterius. 2. quia natura Diuina est actus purus, immutabilis, & independens: Ergo nec materiæ, nec formę rationem habere potest. 3. Si ex Deitate & humanitate resultaret vna natura composita, sine dubio esset communicabilis, & reipsa communicata tribus personis, & sic essent tres Christi, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: quod est falsum.

8. Primo obiicitur illud Ioann. 1. 14. *Verbum caro factum est.* Hinc enim colligitur: Verbum esse mutatum in carnem. Sicut ex illo Ioan. 2. 9. *Aqua vinum facta est*, recte colligitur, aquam fuisse conuersam in vinum. Respondeo. Verbum dicitur caro factum, non quia mutatum est in carnem (hoc enim impossibile est) sed quia carnem assumpsit. Sicut homo dicitur fieri sanus, non quia conuertitur in sanitatem, sed quia sanitatem acquirit. Simili modo Aaron dicitur factus Pontifex, & Dauid Rex, quia hic assumpsit officium Regis, ille Pontificis. Quo etiam spectat illud Gal. 3. 13. *Christus factus est pro nobis maledictum*, vt notat Athanasius in Epistola ad Epictetũ. Quæ omnia confirmat Gregorius lib. 9. epist. 61. cum ait. *Verbum carnem dicimus factum: non immutando, quod erat, sed suscippiendo, quod non erat.* Nec est simile de aqua conuersa in vinum. Tametsi enim sit similis locutio: non tamen similis significatio.

Nam

Nam ex ipsa re, de qua agitur, itemque ex antecedentibus & consequentibus oportet sensum locutionis inuestigare. Constat autem aquam ita factam esse vinum, vt non manserit aqua, sed substantialiter mutata sit in vinum. E contrario constat, Verbum ita factum esse carnem, vt tamen manserit Verbum.

9. Secundo obiicitur authoritas eorum Patrum, qui asserunt, ita Verbum carnem esse factum, sicut in Eucharistia panis fit corpus Christi, vt patet ex Iustino Martyre Apolog. 2. pro Christianis, & ex aliis, qui citari solent in materia de Eucharistia. Respondeo. In eo solum est comparatio, quod sicut Verbum incarnatum habet veram carnem & sanguinem: ita in Eucharistia sit vera caro & sanguis Christi, vt ex ipsis Iustini verbis colligitur. Itaque similitudo non est posita in modo mutationis vel vnionis, sed in rebus ipsis præsentibus.

10. Tertio obiicitur authoritas eorum, qui comparant vnionem humanitatis & Diuinitatis cum vnione corporis & animæ, vt Athanasius in Symbolo, Leo Papa epist. 11. Iustinus in expositione fidei, Augustinus epist. 57. & alij. At corpus & anima ita vniuntur, vt ex illis resultet vna natura: Ergo etiam ex vnione humanitatis & Diuinitatis resultat vna natura. Respondeo. Vnio hypostatica, cum sit plane singularis & mirabilis, non potest commode explicari à nobis, nisi per quædam similia exempla, quæ tamen non in multis sint dissimilia, vt notat Damascenus lib. 3. c. 26. Hilarius lib. 10. de Trinitate, Augustinus epist. 3. ad Volusianū. Igitur vnio hypostatica in duobus similis est vnioni corporis & animæ. 1. quod sicut corpus & anima

conueniunt in vna persona humana: ita humanitas & Diuinitas vniantur in vna persona Diuina. 2. quod sicut anima operatur per corpus, tanquam per organum substantialiter sibi coniunctum, ita Diuinitas per humanitatem. In eo porro dissimilis est quod corpus & anima sint duæ naturæ imperfectæ, & essentiales partes vnius integræ naturæ. Humanitas autem & Diuinitas sint duæ naturæ integræ & perfectæ, quæ non possint immediatè coniungi ad vnius naturæ compositionem.

11. Quarto obiicitur authoritas Cyrilli in Epistola ad Successum, vbi sic habet: *Non oportet intelligere duas naturas, sed vnam naturam Verbi Dei incarnatam.* Respondeo. Prior pars verborum, quæ negat duas naturas, non est in Cyrillo, sed illi affingitur. Posterior, quæ affirmat vnam naturam incarnatam, sic debet intelligi, quod in Christo sint quidem duæ naturæ, sed vna diuina, quæ est incarnata; altera humana, per quam illa est incarnata. Vide Suarez, disp. 7. sect. 2. in fine.

QVÆSTIO II.

An in Christo sit vna tantum persona?

1. ALtera fuit hæresis Nestorij, asserentis in Christo esse duas personas, humanam & diuinam, ac proinde terminum vnionis nõ esse vnam personam, sed duas accidentaliter cõiunctas. Hanc autem coniunctionem in eo cõsistere, quod Diuina persona per singularem quendã affectum, & per eximia quædam dona gratiæ habitet in per-

sona humana Christi : ideoque Christus propter illam inhabitationem vocetur tẽplum Dei, Filius Dei, & etiam Deus, non per essentiam vel substantiam, sed per singularem quandam participationem. Ita refertur in Concilio Ephesino, & in variis epistolis, quæ ibi recensentur. Fundamentum Nestorij est idem, quod præcedentium hæreticorum, quia non distinxit inter naturam & personam. Cum ergo in Christo sint duæ naturæ, consequenter dixit esse duas personas.

2. PRIMA CONCLVSIO. In Christo est vna tantum persona, ex duabus & in duabus naturis existens. Est de fide. Et probatur 1. Ex Cõcilio Ephesino, vbi id contra Nestorium definitum est. 2. Ex Patribus, ac nominatim ex Symbolo Athanasij, vbi dicitur: *Sicut anima & corpus vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* 3. Ex praxi Ecclesiæ. Nam in cõsecratione Episcoporum, cum ab eis petitur professio fidei, proponitur illis hæc quæstio: *Credis Christum in duabus naturis, & ex duabus naturis subsistentem?* Respondent: *Credo.* Vbi per priorem particulam, *In duabus naturis*: fit professio fidei contra errorem Eutychetis: per posteriorem, *Ex duabus naturis*, contra errorem Nestorij, qui ex sola natura humana dicebat Christum subsistere. 4. Ex principio fidei, quia vnus & idem Christus dicitur verus Deus & verus homo: quod non esset, nisi ratione vnius personæ ex duabus, & in duabus naturis subsistentis.

3. Confirmatur 1. quia duæ formæ, quæ in abstracto non prædicantur de se inuicem, non possunt etiã de se inuicẽ prædicari in cõcreto, nisi propter coniunctionẽ in eodem supposito, vt patet in calore & luce: At humanitas & Diuinitas sunt distinctæ

formæ, nec vna de altera prædicatur in abstracto: Ergo nec in concreto possunt de se inuicem prædicari, nisi vniantur in eadem persona. In Christo autem prædicãtur de se inuicem, quia recte dicimus, Deus est homo, &, homo est Deus: Ergo in Christo vniuntur in eadem persona, 2. quią duæ substantiæ integrę accidentaliter vnitæ, non denominant se substantialiter, sed tãtum denominatiue: vt homo dicitur vestitus, non vestis: At in nostro casu denominatio est substantialis, quia Deus dicitur homo, & non tãtum humanatus: & vicissim homo dicitur Deus, & non tantum Deifer, vt Nestorius dicebat.

4. Denique ex sententia Nestorij sequitur, non solum personam Filij, sed etiam Patris & Spiritus Sancti accidentaliter vnitam esse personæ humanæ; quia illa accidentalis vnio, secundum Nestorium, in eo consistit, quod persona Filij habitet in Christo per eximia quædam dona gratiæ, vt supra dictum est. Hæc autem dona non communicantur à solo Filio, sed à tota Trinitate.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Sicut in Christo est vna tantum persona, ita & vna tantum hypostasis. Hæc Conclusio ponitur propter quosdam, qui olim concedebant vnam personam in Christo, non tamen vnam hypostasim. Putabant enim hypostasim non significare personam seu suppositum, sed naturam. Vnde sicut in Christo sunt duæ naturę, ita ponebant duas hypostases. Vide D. Hier. epist. 57. ad Damasum, vbi scribit, olim dubitatum fuisse inter Latinos de nomine hypostasis, an naturam, vel potius suppositum significaret. Postea tamen satis declaratum est, significare suppositum, vt patet ex Nysseno li. de Differentia essentiæ & hypostaseos,

& ex aliis antiquis Scriptoribus. Vnde ſequitur, hanc concluſionem iiſdem argumentis probãdam eſſe, quibus præcedens probata eſt, cum perſona & hypoſtaſis pro eodem ſumantur. Hoc ſolum intereſt, quod nomen perſonæ, ex communi vſu loquẽdi, ſolum habeat locum in natura intellectuali, vt in Deo, Angelo, homine: non autem in aliis.

6. Ex dictis patet, terminum vnionis hypoſtaticæ non eſſe naturam, ſed perſonam Chriſti, ſeu Chriſtum ſubſiſtentem in duabus naturis. Dices, Terminus actionis non præexiſtit actioni: At perſona Chriſti, præexiſtit incarnationi: Ergo non eſt terminus Incarnationis. Ita obiicit Durandus in 3. diſt. 5. quæſt. 2. Reſpõdeo. Minor diſtinguenda eſt. Nam perſona Chriſti, quatenus ſubſiſtit in natura Diuina præexiſtit Incarnationi; quatenus vero ſubſiſtit in natura humana, non præexiſtit Incarnationi, ſed eſt terminus reſultans per Incarnationem.

QVÆSTIO III.

An perſona Chriſti ſit compoſita?

1. ALiqui Scholaſtici non audent ſimpliciter & abſolute fateri, perſonam Chriſti eſſe compoſitam: aut vnionem humanitatis cum perſona Verbi, eſſe veram & proprie dictam compoſitionem. Ita Bonauentura, Richardus, & Scotus in 3. diſt. 6. & Caietanus hic quæſt. 2. art. 4. Ratio eſt, quia compoſitio includit aliquam imperfectionem in vtroque componente. Nam componẽtia habent rationem partium, & ſe mutuo perfi-

ciunt, & natura sua ordinantur ad totum componendum. Quæ omnia repugnant personæ Diuinæ. 1. Quia non habet rationem partis. 2. non potest perfici ab humanitate. 3. Nec ex natura sua ordinatur ad compositionem. Propterea D. Thomas in 1. p. q. 3. expresse docet, Deum non posse venire in cōpositionem alterius. Notat tamen Caietanus, admitti posse compositionem, non quidem simpliciter & absolute, sed cum aliqua limitatione, quę excludat imperfectionem: vt si dicas, personam Christi ineffabiliter compositam esse.

2. PRIMA CONCLVSIO. Si quæstio sit de re ipsa, certum est, Personam Christi non esse omnino simplicem, sicut est persona Verbi. Nam persona Verbi secundum se præexistit vnioni: Cum ergo per vnionem aliquid illi addatur, nempe humanitas, non posset esse tā simplex, quam ante erat.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Si quæstio sit de modo loquendi, absolute dicendum est, personam Christi esse compositam, & vnionem hypostaticam esse veram compositionem. Ita D. Thom. q. 2. art. 4. Et plerique Patres, vt testatur Petrus Diaconus lib. de Incarnatione & gratia c. 3. cū ait; *A Sanctis Patribus adunatione Diuinitatis & humanitatis, Christus Dominus compositus prædicatur.* Vnde etiam in S. Synodo act. 8. can. 4. dicitur: *Si quis non confitetur vnionem secundum compositionem*, &c. Et ratio est, quia Christus seu persona Verbi, quatenus resultat per vnionem hypostaticam, constat ex diuersis rebus: proxime quidem & mediate, ex humanitate & subsistentia Verbi: consequenter autem & immediate, ex natura humana & diuina.

4. DICES 1. Compositum, quod resultat ex ve-

ra & reali compositione, debet realiter distingui à singulis componentibus, sicut homo realiter distinguitur ab anima, & realiter à corpore. At Christus, qui resultat ex vnione hypostatica, non distinguitur realiter à Verbo, quod est alterum componens: Ergo non est vera & realis cõpositio. Minor patet, quia recte dicimus, Christus est Verbum, &, Verbũ est Christus: quod nõ fieret, si distinguerẽtur realiter. Respondeo. Hoc nomen, Christus, potest dupliciter sumi, 1. precise pro persona Verbi. 2. coniunctim pro persona Verbi & humanitate. Et hoc modo realiter distinguitur à persona Verbi precise sumpta: tanquã compositũ ab altero componẽte. Hæc igitur propositio, Christus est Verbũ, &, Verbum est Christus, priori sensu vera est.

5. DICES 2. In vera & reali compositione requiruntur hæc duo. 1. Vt sint partes componentes. 2. Vt singulæ partes sint minus perfectæ, quam totum compositum. Neutrũ fit in hac vnione. 1. quia Verbũ Diuinũ non potest dici pars componens. 2. Nec minus perfectũ est, quã Christus, qui est totũ compositum. Respondeo. Maior vera est, quando cõponẽtia sunt finitę perfectionis. Tunc n. singula minus perfecta sunt, quã compositũ, quod ex illis fit. Nã compositũ accipit à singulis aliquid perfectionis: Et sic perfectio ipsius maior est, quã singulorũ componẽtium. Vnde etiam fit, vt huiusmodi cõponẽtia dicãtur partes cõpositi, propter partialẽ perfectionẽ, quã illi tribuunt. At falsa est, quãdo alterũ cõponẽtiũ est infinitæ perfectionis, sicut est in nostro casu. Tũc n. nec potest dici pars cõpositi, nec minoris perfectionis, quam cõpositũ: quia infinita perfectione nõ potest dari maior perfectio.

6. DICES 3. Ex dictis sequitur, duas esse personas in Christo: vnã simplicem, quæ est persona Verbi, præexistens vnioni, alterã compositã, quæ est persona Christi, resultans ex vnione. Respondeo. Est vna eademque persona, quæ dupliciter spectatur. 1. quatenus præcise est persona Verbi: Et sic est omnino simplex. 2. quatenus subsistit in aliena natura; & sic est cõposita. Sed contra: Persona simplex & persona composita sunt distinctæ personæ. Respõdeo. Sunt quidem distinctę ratione naturę: non tamen in ratione personæ. Nam id, quod formaliter constituit personam in ratione personæ, non est natura, sed personalitas. Hæc autem non multiplicatur in Christo, quamuis naturæ multiplicentur. Contrariũ fit in mysterio Trinitatis. Ibi enim multiplicantur personalitates, & est vna tãtum natura: Ac proinde sunt tres personæ, & vnus tantũ Deus.

7. Obiici potest hoc sophisma: Hoc compositum est persona: Hoc compositum est distinctũ à Verbo componẽte: Ergo est distincta persona. Respõdeo. Negatur consequentia. Nam ille terminus, *Distinctum esse*, aliter accipitur in minore, aliter in Conclusione. In minore sumitur pro distinctione ex parte naturæ: in conclusione, ex parte personalitatis. Itaque minor sic debet intelligi: Hoc cõpositum est distinctum à verbo, non ratione personalitatis (cum eadem sit persona compositi & Verbi) sed ratione naturæ, quia hoc compositum includit naturam humanam, quam Verbum præcise non includit. Hinc solum sequitur: Ergo hoc compositum est distincta persona ratione naturæ: non autem est distincta persona ratione personalitatis.

8. Ratio initio quæstionis allata facile ex dictis

dissoluitur. Nam essentia compositionis in eo consistit, vt sit coniunctio seu vnio duarum rerum, ex quibus aliquid vnum resultat. Reliqua, quæ imperfectionem dicunt, non sunt de essentia compositionis, vt sic. Itaque non est de illius essentia, vt componentia se mutuo perficiant: vt sint partes compositi: vt singula sint minus perfecta, quam compositum. Tametsi enim in plerisque compositionibus ista fiant, non tamen sunt essentialia. D. Thomas solum negat, Deum posse venire in compositionem alicuius per modum materiæ aut formę: Vel, posse venire in compositionem vnius naturæ. Quod verissimum est.

QVÆSTIO IV.

An persona Christi sit creata?

1. SVppono 1. personam Christi, quatenus precise est persona Verbi, increatam esse. 2. Eandem personam, quatenus est Terminus, ad quem fit vnio vtriusque naturæ, esse etiam increatam. 3. Christum esse compositum ex persona increata, & humanitate creata. Quæstio ergo est, an hoc compositum, quod est Christus, debeat dici creatum, an increatum? Cum enim constet ex vno componente creato, & altero increato, merito dubitari potest, an denominandum sit creatum à componente creato, an potius increatum à componente increato.

2. PRIMA CONCLVSIO. Quod ad rem attinet, hoc compositum, quod est Christus, non est creatum eo sensu, quasi ex nihilo sit factum, quia constat fa-

ctum esse ex persona increata & humanitate creata: Est tamen creatum alio sensu, quia scilicet in tempore per veram & realem actionem productũ est, cum antea non esset: & iterum dissolui posset, si Deus vellet. Quæres, Cur potius dicitur creatum, quam increatum, cum non minus conflatum sit ex componente increato, quam creato? Respondeo. Quia non denominatur à componentibus secundum se sumptis, sed ex vnitate & vnione componentium. Hæc autem vnitas & vnio est aliquid creatum, seu in tempore productum.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Quod ad modum loquendi attinet, duo seruanda sunt: Primo, Si hoc compositũ, quod productum est per actionem vnitiuam, significetur nomine personæ aut Verbi, aut Filij Dei, tunc dicendum est, esse increatum. Ratio est, quia hæc nomina, vi sua non significant personam, vt est terminus resultãs per vnionem, sed potius, vt est terminus præexistens vnioni, & ad quem fit vnio. Sic autem est persona increata. Secundo, Si hoc compositum, quod productum est per vnionem, significetur nomine Christi, aut aliquo simili, tunc dici potest, esse quid creatum, id est, per veram actionem effectum. De quo plura cap. sequenti quæst. 6.

CAPVT VII.

De communicatione Idiomatum.

DIcam 1. quid sentiant Catholici de communicatione Idiomatũ. 2. quæ difficultates occurrant in hac materia, præsertim circa modum loquendi. 3. quid sen-

riant Lutherani. 4. An humanitas Christi per communicationem Idiomatum sit vbique, vt Lutherani contendunt.

QVÆSTIO I.

Quid sit communicatio Idiomatum secundum Catholicos?

1. HÆc res apparet difficilis propter obscuritatem terminorum. Potest autem sic clare explicari. Vnio hypostatica, vt ex dictis patet, hoc efficit, vt natura humana immediate vniatur personæ Verbi: Et consequenter, vt duæ naturæ, Diuina & humana, vniantur in eadem persona Verbi, & in illa subsistant. Hinc oritur duplex communicatio, respectu illius personæ: Vna duarum naturarum; altera proprietatum seu attributorum vtriusque naturę, & hæc græce vocatur κοινωνία τῶν ἰδιωμάτων. Prior in eo cõsistit, quod duæ naturę prædicentur de persona Verbi in concreto. Posterior in eo, quod etiam attributa vtriusque naturæ prædicentur de eadem persona in concreto.

2. Iuxta priorem recte dicimus: Persona Verbi est Deus, &, persona Verbi est homo. Item, Verbum est Deus, &, Verbum est homo. Item, Filius Dei est Deus, &, Filius Dei est homo. Item, Iesus est Deus, &, Iesus est homo. Deniq; Deus est homo, &, Homo est Deus. Iuxta posteriorẽ: Christ⁹ est æternus, immortalis, infinitus: Et, Christus est temporalis, mortalis, finitus. Quod sic intellige: Est æternus secundum diuinam naturam; temporalis secundum humanam. Et sic de cæteris. Et hoc modo conciliã-

tur illa duo Scripturæ teſtimonia: *Ego & Pater vnum ſumus*, &, *Pater maior me eſt*. Nam in priori loquitur Chriſtus de ſe ſecũdum Diuinitatem: in poſteriori, ſecundum humanitatem. Vide Auguſt. lib. 1. de Trinit. c. 11. & 13.

3. Hæc eſt recepta Catholicorum ſententia apud D. Thomam q. 16. ar. 4. Et ratio eſt, quia quando plures naturæ vel formæ vniuntur in vna eademq; perſona, tunc poſſunt de illa in cõcreto prædicari. Sicut in perſona Petri vniuntur corpus, anima, intellectus, ſciẽtia, probitas, albedo: Et ideo recte dicimus: Petrus eſt corporeus, animatus, intellectualis, ſcientificus, probus, albus. Eodem modo fit in perſona Chriſti, in qua vniuntur humanitas & diuinitas, mortale & immortale, finitum & infinitũ. Vnde ſimiliter recte dicimus, Chriſtus eſt homo & Deus, mortalis & immortalis, finitus & infinitus. Quæ omnia perinde valent, ac ſi dicas: Petrus ſeu perſona Petri habet corpus, animam, intellectum, virtutem, ſcientiam, probitatem, albedinem. Item, Chriſtus ſeu perſona Chriſti habet diuinitatem & humanitatem, immortalitatem & mortalitatem, finitatem & infinitatem. Quod veriſſimum eſt.

4. Vbi notandũ eſt ex Cyrillo in epiſt. ad Acaciũ in Concilio Epheſino c. 7. triplicia eſſe Chriſti attributa. Quędã cõueniũt illi ratione Diuinitatis: vt eſſe æternũ, infinitũ, omnipotẽtẽ, facere miracula, remittere peccata. Quædã, ratione humanitatis: vt eſſe natum in tempore, dormire, ambulare, comedere. Quædã ratione vtriuſq;, vt eſſe mediatorẽ & Redẽptorem: vel, mereri & ſatisfacere, Duo n. ſpectari poſſunt in actione merẽdi & ſatisfaciẽdi, nẽpe ſubſtãtia ſeu entitas actionis, & infinit⁹ ipſi⁹ va-

lor. Substantia attribuitur humanitati Christi: infinitus autem valor proficiscitur à persona Verbi, cui humanitas coniuncta est. Hinc potest distingui triplex prædicandi modus. 1. Christus in quantum Deus, est æternus. 2. Christus in quantum homo, est natus in tempore. 3. Christus in quantum Deus & homo simul, meritus est & satisfecit. Vel, Christus meritus est & satisfecit secundum humanitatem in persona Verbi.

5. Præter hæc triplicia attributa, quæ Christo cõueniunt ratione vnionis hypostaticæ, sunt alia quæ illi non conueniunt, vt esse purum hominem, esse peccabilem, esse filium adoptiuũ, esse alium à Deo. Non enim licet dicere: Christus est purus homo, est peccabilis, est filius Dei adoptiuus, est alius à Deo. Ratio est, quia hæc attributa includunt personam creatam, & excludunt diuinam: At in Christo nõ est persona creata, sed tãtũ diuina seu increata. Atque hæc est breuis explicatio huius rei, de qua supersunt aliquæ difficultates, vt iam sequitur.

QVÆSTIO II.

Qui difficultates occurrant in hac materia?

1. DIxi, duplicem esse in Christo communicationem, respectu personæ verbi: Vnam duarum naturarum: alteram idiomatum seu attributorum vtriusque naturæ, vt explicatum est. Circa vtramque occurrunt aliquę difficultates. Circa priorem quidem, inter solos Catholicos: Circa posteriorem, inter Catholicos & Lutheranos. Prioris generis difficultates sunt hę.

2. Prima difficultas: Quomodo differant hæ tres propositiones: Deus est homo, Iesus est homo, Christus est homo? Non videntur differre, quia in omnibus est idem subiectum & prædicatum. Nam subiectum est persona Verbi, quæ in concreto vocatur; *Deus*, *Iesus*, *Christus*. Prædicatum est homo. Resp. Differunt ex parte subiecti. Tametsi enim hi tres termini, *Deus*, *Iesus*, *Christus*, significent eandem personam Verbi, non tamen eodem modo. Nam persona Verbi potest tripliciter spectari. 1. quatenus præcise est persona Diuinæ naturæ. 2. quatenus præcise est persona humanæ naturæ. 3. quatenus est persona vtriusque naturæ. Primo modo significatur nomine DEI. Secundo, nomine Iesu: tertio, nomine Christi.

3. Itaque prima propositio, *Deus est homo*, est libera seu contingens, quia contingens est, Deum seu personam diuinæ naturæ esse hominem. Secunda est necessaria, quia necesse est, personam humanæ naturæ esse hominem. Tertia similiter est necessaria, quia necesse est, personam vtriusque naturæ esse Deum & hominem. Rursum prima, tametsi sit contingens, est tamen substantialis, quia Diuinitas & humanitas substantialiter vniuntur in persona Verbi. Reliquę duę sunt essentiales, quia personę seu supposito humanæ naturæ essentiale est, esse hominem.

4. Secunda difficultas: An hæc propositio, *Deus est homo*, quam dixi esse cõtingentem, non possit etiam dici necessaria, sicut hæ duę, *Iesus est homo*, & *Christus est homo*? Respondeo. Potest. Nã Deus, qui est subiectũ illius propositionis, potest dupliciter spectari. 1. quatenus præcise est persona naturæ Diuinæ: & sic

propositio est contingens, vt dixi. 2. quatenus est persona Verbi composita, subsistens in vtraque natura, diuina & humana. Et sic propositio est necessaria. Nam sicut hęc necessaria est: Persona Verbi, quatenus subsistit in Diuinitate, est Deus: sic etiam illa, Persona Verbi, quatenus subsistit in humanitate, est homo. Vide D. Thomam quæst. 16. art. 1. & Caietanum ibidem.

5. Tertia difficultas. An homo sit prædicatum vniuocum in his propositionibus, *Deus est homo, Iesus est homo, Christus est homo*? Vel, quod idem est, an *homo* sit aliquid vniuocum respectu Dei & nostri, respectu Iesu & nostri, & respectu Christi & nostri? Resp. duo certa sunt. 1. quod natura humana sit eiusdem essentiæ ac rationis in illis omnibus. 2. quod sicut nos sumus veri homines, cõpositi ex anima & corpore: ita etiam Verbum Diuinum (siue vocetur Deus, siue Iesus, siue Christus) sit verus homo, cõstans ex anima & corpore. Et hoc sensu dicitur in Symbolo Athanasij: Christũ esse perfectum Deũ, & perfectum hominem. Et in Synodo 5. can. 8. Christum esse consubstantialem Patri secundum diuinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem. Hinc vlterius sequitur, naturam humanam esse quid vniuocum respectu Christi & nostri, quia est eiusdẽ rationis in Christo & in nobis.

6. DICES, Homo non tantum significat naturam humanam, sed etiam suppositum: At Christus & alij homines non conueniũt vniuoce in ratione suppositi, seu personæ, quia Christus includit personã diuinã & infinitã: alij homines humanã & finitam. Resp. *Homo*, quãdo est subiectũ propositionis, supponit pro supposito: quãdo vero est prędicatũ, sup-

ponit pro humanitate. Cũ igitur humanitas Christi sit eiusdem speciei cum humanitate aliorum hominum: necesse est, hoc prædicatum: *Homo*, vniuoce prędicari de Christo & aliis hominibus.

7. DICES 2. (& in idem fere recidit.) Homo prædicatur de Christo tanquã de supposito Diuino: At de nobis, tanquã de suppositis humanis: Ergo non prędicatur vniuoce. Nã suppositũ Diuinũ & suppositum humanũ, nõ cõueniũt vniuoce in ratione suppositi. Resp. nõ sequitur, quia nõ est necesse, vt subiecta vtriusq; propositionis vniuoce cõueniant in omnibus, sed satis est, si vniuoce conueniãt prædicato. Hoc autem fit in proposito. Nam Christus & alij homines, licet non conueniant vniuoce in ratione suppositi seu personæ, conueniunt tamen vniuoce in ratione hominis seu humanæ naturæ. Ac proinde homo potest de illis vniuoce prædicari. Simile contingit in his duabus propositionibus, Petrus est albus, & equus est albus, tametsi enim Petrus & equus non conueniant, vniuoce in supposito, vel etiam in specifica natura: tamen vniuoce conueniunt in albedine: Ac proinde albedo potest vniuoce de illis prędicari in concreto.

8. Quarta difficultas. An hæc sit vera, *Deus factus est homo*? Resp. Est vera. Probatur 1. ex scripturis Ioa. 1. 14. *Verbum caro factum est*. Et Rom. 1. 3. *Qui factus est ei ex semine Dauid, secundum carnem*. Deinde ex Symbolo, *Et homo factus est*. Accedit ratio, quia suppositum, quod prius simpliciter subsistit, & non est homo, si postea est homo, necesse est, factum esse hominem. At suppositum Verbi prius simpliciter subsistebat, & non erat homo, & nunc est homo: Ergo necesse est, vt factum sit homo.

9. Quinta

9. Quinta difficultas. An etiam hæc sit vera, *Deus factus est hic homo*? Respondeo affirmatiue. Ratio sumitur ex dictis, quia Deus factus est homo: Et non est factus homo in communi: ergo factus est hic homo. Et cõfirmatur 1. quia non assumpsit humanitatem in communi, sed hanc humanitatem. 2. quia factus est filius Virginis Mariæ.

10. Dices 1. Hic homo designat hoc suppositum: sed Deus non est factus hoc suppositum: Ergo non est factus hic homo. Respondeo. Hic homo, quando est prædicatum in propositione, non significat hoc suppositum, sed hanc humanitatem subsistentem. Cum ergo dicimus, Deus factus est hic homo, sensus est, Deus assumpsit hanc humanitatem subsistentem. Vel factum est, vt Deus subsisteret in hac humanitate.

11. Dices 2. Si Deus factus est hic homo, sequitur Verbum factũ esse Deum, quod est falsum. Sequela patet hoc syllogismo expositorio: Hic homo est Deus: Verbum factum est hic homo: Ergo Verbum factum est Deus. Respondeo. Negatur consequentia, quia sunt quatuor termini. Nam in conclusione additur aliquid maiori termino, quod in antecedente non erat positum, nempe illa particula, *factum*. Maior terminus est *DEVS*. eius loco in conclusione ponitur, *factum est Deus*. Idem fit in minori termino, qui est, *hic homo*. Nam eius loco in antecedente ponitur, *Factum est hic homo*.

12. Sexta difficultas. An hæc propositio, *Deus factus est homo*, non solum sit vera, sed etiam propria? Negat Bonauentura in 3. distin. 7. art. 1. quæst. 2. Ratio eius est, quia si esset propria, significaret Deum mutatum esse. Sicut hæc, Petrus factus est calidus, si

gnificat Petrum mutatum esse. At Deus non est mutatus: Ergo non proprie factus est homo. Respondeo. Oppositum est probabilius, quia Deus nunc proprie est homo, cum anteà non esset: Ergo proprie factus est homo. Nec tamen ideo mutatus est, quia quamuis interceſſerit aliqua mutatio, illa tamen, non est facta in Deo, sed in humanitate per vnionem hypostaticam, vt suprà explicatum est. Simile est, si dicam, Petrus mihi factus est dexter aut siniſter. Hoc enim fieri potest, non quidem sine mutatione, sed tamen sine mutatione in Petro facta, per solam mutationem in me factam. Vide Diuum Thomam quæst. 16. art. 6. ad 2.

13. Quæres. An saltem per communicationem idiomatum dici possit, Deum mutatum esse, quando factus est homo? Ratio dubij est, quia illa mutatio facta est in humanitate: Ergo per communicationem idiomatum potest tribui Deo. Confirmatur à simili, quia ambulatio, comestio, & similes mutationes humanitatis Christi vere prædicantur de Deo per communicationem idiomatum: Ergo etiam illa mutatio, per quam humanitas vnita est Verbo. Respondeo. Non est simile, quia prædicata humana, quæ prædicantur de Deo per communicationem idiomatum, supponunt vnionem hypostaticam. Hæc autem mutatio, de qua agimus, ordine naturæ præcedit vnionem. Est enim actio, per quam fit vnio.

14. Dices. Ergo Deus non potest dici genitus ex Virgine, per cõmunicationem idiomatũ, quia generatio prius natura facta est in humanitate, quá humanitas vnita fuerit Verbo. Respõdeo. Nõ sequitur 1. quia generatio substantialis non denominat subie-

ctum, quod est humanitas, sed terminũ, qui est ipsum suppositum. 2. quia hęc generatio nihil aliud est, quã vnio formæ cum materia, naturali modo facta: Hæc autem ordine naturæ supponit vnionem singularum partium ad Verbum, vt supra dictum est.

15. Septima difficultas. An sicut hæc est vera, *Deus factus est homo*, ita etiam ista, *Homo factus est Deus*? Respondeo. Illa potest dupliciter intelligi. 1. improprie, hoc sensu, Homo factus est Deus, id est, Factũ est, vt homo sit Deus. Et sic vera est. 2. Proprie; hoc sensu, Homo acquisiuit esse Diuinũ, seu naturam Diuinã, per realẽ effectionem. Et sic falsa est, quia homo cũ sit subiectum in illa propositione, supponit pro persona seu supposito humanę naturę. Sed de nulla persona humanæ naturæ dici potest, factam esse Deum. Nam maximè diceretur de persona Christi, quæ tamẽ non est facta Deus, cum per se & ex natura sua sit Deus.

16. Dices 1. Hæc est vera, *Homo genitus est Deus*: Ergo etiam hæc, Homo factus est Deus. Respondeo. Non sequitur, quia aliud est loqui de æterna generatione, aliud de temporali effectione. Nã hic homo (nempe persona Verbi subsistens in hac humanitate) genitus est Deus per æternam generationẽ. Non tamen hic homo, id est, persona Verbi, factus est Deus per temporalem effectionem.

17. Dices 2. Per simplicem conuersionem videtur recte sequi, Deus factus est homo: Ergo homo factus est Deus. Confirmatur ex patribus, qui ita loquuntur, vt Augustin. lib. 1. de Trinitate cap. 13. cùm ait: *Talis erat illa susceptio, vt Deum hominem faceret, & hominem Deum.* Et Damascenus lib. 3. cap. 11. *Verbum caro factum est, & caro Verbum; Deus homo, & homo Deus.*

Respondeo. Illa simplex conuersio non valet, quia mutatur suppositio terminorum. Debet autem sic fieri; Deus factus est homo: Ergo is qui factus est homo, est Deus. Sicut in simili, Hic homo factus est Cæsar: Ergo is, qui factus est. Cæsar, est hic homo Non autem sic: Ergo Cæsar factus est hic homo. Hoc enim falsum est.

18. Octaua difficultas, An hæc propositio, *Homo factus est Deus*; tametsi vera non sit, vt dictum est, possit tamen esse vera, si humanitas Christi prius tempore extitisset in alio supposito, quam assumeretur à Verbo? Respondeo. Nec tunc quidem vera esset. Nam si humanitas Christi prius extitisset in supposito creato, & postea fuisset assumpta à supposito Verbi, iam suppositum illud creatum non fuisset factum Deus, sed desiisset esse in rerum natura, & aliud suppositum increatum in locum eius successisset. Si autem humanitas Christi prius extitisset in supposito increato, vt in supposito Patris aut Spiritus sancti; & postea fuisset assumpta à supposito Filij; ne sic quidem suppositum Patris aut Spiritus sancti factum esset Deus, sed per se, & ex natura sua fuisset Deus.

19. Nona difficultas, An hęc sit vera, *Christus est creatura*? Negant Magister in 3. distinctione 11. Diuus Thomas, Durandus, Paludanus, & Capreolus ibidem. primo, quia Patres ita sentiunt, vt Basilius libro secundo contra Eunomium, Ambrosius libro primo de fide capite sexto, Chrysostomus homilia 3. in Ioannem. Secundo, quia omnis creatura aliquando non fuit: At Christus semper fuit: Ergo non est creatura. Tertio, quia sequeretur Verbum esse creaturam, quod est hæreticum. Se-

quela patet hoc syllogismo: Christus est creatura: Christus est Verbum: Ergo Verbum est creatura.

20. Respondeo 1. Si nomen creaturæ significet rem ex nihilo productam, Christus non potest dici creatura, quia non est productus ex nihilo. Includit enim suppositum diuinũ, quod non est ex nihilo productum.

21. Respondeo 2. Si nomen creaturæ significet quamcunque rem in tempore productam per aliquã actionem vel effectionem, Christus secundum humanitatem potest dici creatura. Ita D. Thomas q. 16. art. 8. Ratio est, quia secundum humanitatem est aliquid productum in tempore per veram actionem. Quæres, An simpliciter dici possit, Christum esse creaturam, in hoc sensu? D. Thomas suadet, vt dicamus hoc modo, Christus secundum humanam naturam est creatura; non autem absolute, Christus est creatura. Ratio est, quia Ariani dicebant, Christum esse creaturam, & minorem Patre, non solum ratione humanæ naturæ, sed etiam ratione diuinæ personæ. Vnde ne videamur fauere illorum errori, non debemus simpliciter dicere, Christum esse creaturam, sed cum determinatione, Christum secundũ humanitatem esse creaturam.

22. Respondeo 3. Quamuis hoc ita sit, tamen in rigore potest hæc esse vera *Christus est creatura.* Sic enim loquuntur Patres. Leo Papa Serm. 3. Pentecost. *Si homo ad imaginem Dei factus, legem Dei seruasset, creator hominum creatura non fieret.* Et Nazianzenus orat. 34. *O nouam mistionem & admirandam temperationem: qui est, fit: Et qui non est creatus, creatur.* Et Augustinus in Enchiridio c. 38. *Illam creaturam, quam virgo concepit.* Accedit ratio, quia proprietates creaturæ

dicuntur de Christo, vt esse mutabilem, finitum, passibilem: Ergo etiam dici potest, Christum esse creaturam.

12. Ad argumenta contraria sic respondeo. Ad 1. Patres citati negant solum contra Arianos, Christum secundum Diuinitatem esse creaturam. Ad 2. Omnis creatura secundum id, quo est creatura, aliquando non fuit. Ad 3. Negatur consequētia, quia sunt quatuor termini. Nam Christus aliter sumitur in Minore; aliter in Maiori. Deinde concedi potest, in aliquo sensu, Verbum esse creaturam. Sicut n. Verbum vocatur homo, quia assumpsit humanam naturam; sic potest vocari creatura, quia assumpsit creaturam.

QVÆSTIO III.

Quid sentiant Lutherani de communicatione Idiomatum?

1. LVtherani docent communicationē idiomatū in eo consistere, quod proprietates seu attributa Diuinæ naturæ, cuiusmodi sunt, omnipotētia, omniscientia, immensitas seu omnipræsentia, & alia similia realiter cōmunicata sint humanitati Christi, ac proinde, quod verę sint hæ propositiones: Humanitas Christi est omnipotēs, omniscia, vbiq; præsens. Itē, Christus secundum humanitatem est omnipotēs, omniscius, & vbique præsens.

2. Nota, tripliciter intelligi posse, attributa Diuina communicata esse humanitati Christi. Primo, quod communicata sint humanitati, non in se, sed in supposito seu persona Verbi. Sic verum est. Nā humanitati datum est, vt subsistat in persona Verbi, quæ est omnipotens, omniscia, vbique præsēs. Vel, vt alij lo-

quuntur, per vnionem hypoſtaticam factum eſt, non quidem, vt humanitas in ſe ſit omnipotens, omniſcia, & vbique præsẽs; ſed vt ſit humanitas illius perſonæ, quæ eſt omnipotens, omniſcia, & vbique præſens. Vide Bellarminum lib. 3. de Chriſto. cap 15. §. *quæ cum ita ſint.*

3. Secundo, quod communicata ſint humanitati, non ſolum in perſona Verbi, ſed etiam in ipſa humanitate: Non tamen proxime, immediate & formaliter; ſed tantum mediate, conſequenter, & identice. Sic etiam verum eſt. Nam ſola ſubſiſtentia Verbi proxime, immediate & formaliter communicata eſt humanitati in ſe, & per illam proxime, immediate, & formaliter ſubſiſtit humanitas. Sed quia illa ſubſiſtentia reipſa idem eſt cum eſſentia & attributis diuinis, ideo conſequenter & identice eſſentia & attributa diuina communicata ſunt humanitati. Non vt humanitas per illa ſit omnipotens, omniſcia, & vbique præſens, ſed vt per illa, quatenus identificantur cum ſubſiſtentia, ſubſiſtat. Vide Valentiam quæſt. 2. punct. 3. §. 3.

4. Tertio quod communicata ſint ipſi humanitati in ſe proxime, immediate, realiter, & ſicut ſubſiſtentia illi communicata eſt. Ac proinde ſicut recte dicimus, Humanitatem Chriſti ſubſiſtere ſubſiſtentia Diuina: ſic etiam recte dici humanitatem Chriſti omnipotentem eſſe omnipotentia Diuina; & omniſciam omniſcientia Diuina; & vbiq; præſentem immenſitate Diuina. Sic intelligunt Lutherani. Et hoc ſenſu nos impugnamus Lutheranos.

5. Dicimus ergo, attributa Diuina hoc ſenſu non eſſe communicata humanitati Chriſti, ac proinde in tali communicatione non conſiſtere com-

municationem idiomatum, de qua disputamus. Ratio sumitur ex iis, quæ dicta sunt c. 4. quæst. 2. §. 3. quia impossibile est, attributa Diuina substantialiter vniri seu communicari humanitati Christi. Cum enim quodlibet attributum intrinsece & essentialiter includat reliqua, necesse est, vt si vnum vniatur, seu communicetur humanitati, reliqua omnia illi vniantur seu communicentur. At omnia non possunt illi vniri: Ergo nullum potest. Minor probatur, quia constat hæc tria non posse 1. esse actum purum. 2. esse æternum, 3. esse independentem. Cum humanitas essentialiter sit composita, non potest esse actus purus. Et cum sit creata in tempore, non potest esse ab æterno: Et cum sit dependens à Deo, non potest esse independens.

6. Dices 1. Subsistentia Diuina potest substantialiter communicari humanitati, & reipsa communicata est: Ergo etiam potest illi communicari esse actum purum, esse æternum, esse independentem. Nam subsistentia Diuina est actus purus, est æterna, est independens. Respondeo. Non sequitur, quia licet subsistentia communicetur humanitati in ratione subsistentiæ, non tamen in ratione puri actus aut æterni, aut independentis. Non enim repugnat humanitati subsistere per subsistentiam Diuinam; sicut repugnat illi, esse actum purum, æternum, independentem.

7. Dices 2. Ergo falsum est, quod ante diximus, si vnum attributum Diuinum posset communicari humanitati, reliqua omnia posse. Nam subsistentia potest illi communicari, & tamen reliqua non possunt. Respondeo. Subsistentia non est attributum Diuinum. 1. Quia attributa Diuina sunt ali-

quid absolutum in Deo: subsistentia est relatiua. 2. Vnum attributum est de intrinseca ratione alterius; At subsistentia Verbi nec est de intrinseca ratione subsistentiæ Patris aut Spiritus Sancti; nec de intrinseca ratione vllius atttributi. Hinc sequitur 1. subsistentiam relatiuam Verbi posse communicari, & reipsa communicatam esse humanitati Christi, sine subsistentia relatiua Patris aut Spiritus Sancti; quia vna alteram intrinsece & essentialiter non includit. 2. eandem subsistentiam relatiuam communicari posse, & reipsa communicatam esse humanitati Christi, sine attributis Diuinis; quia relatiua subsistentia non includit intrinsece & essentialiter attributa Diuina. Nec obstat, quod supra dixi, subsistentiam relatiuam esse realiter idem cum essentia & attributis Diuinis. est quidem realiter idem cum illis; sed tamen, intrinsece & essentialiter non includit illa.

8. Lutherani multa obiiciunt. Primo, illud Coloss. 2. 9. *In ipso habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* At plenitudo Diuinitatis complectitur essentiam Diuinam, & omnia illius attributa: Ergo hæc omnia corporaliter habitant in humanitate Christi. Respondeo. Aliud est loqui de humanitate Christi, aliud de ipso Christo. Igitur verba Apostoli possunt dupliciter exponi. Primo, quod plenitudo Diuinitatis habitet in humanitate Christi. Hoc quidem Apostolus expresse non dicit, sed tamẽ aliquo sensu verum est. Habitat enim in humanitate, non per se & formaliter, sed identice seu per aliquid, quod est idem cum Diuinitate, nempe per subsistentiam relatiuam Verbi. Nam hæc subsistẽtia per se & formaliter communicata est hu-

manitati. Et quia identificatur cũ essentia & attributis, ideo essẽtia & attributa sunt illi communicata per subsistentiã quæ est realiter idẽ cũ illis. (Vide supra. §. 3.) Et sic exponit Valentia quæst 2. punct 3. §. 2. & 11. Secundo, quod plenitudo diuinitatis habitet in ipso Christo. Cum enim Christus sit verus Deus, & verus homo, necesse est, vt sicut in eo est plenitudo humanitatis, sic etiam sit plenitudo diuinitatis. Vel, quod idem est, sicut in eo est natura humana cum suis proprietatibus & attributis, sic etiam sit natura diuina cum suis proprietatibus & attributis.

9. Hinc constat discrimen inter Christum & humanitatem Christi. Nam essentia & attributa diuina non sunt formaliter & per se communicata humanitati, sed tantum identice, quatenus sunt realiter idem cum subsistentia relatiua, vt dictum est. At Christo per se & formaliter communicata sunt in persona Verbi. Nam persona Verbi subsistit in vera diuinitate & vera humanitate: Et sicut subsistentia relatiua per se & formaliter est in persona Verbi, sic etiam essentia diuina & omnia illius attributa. Vnde etiam fit, quod sola subsistentia Verbi possit in concreto prædicari de humanitate, non autem essentia aut attributa. Nam verum est dicere, Humanitas Christi subsistit per subsistentiam Verbi: Falsum, humanitas Christi est, Deus est omnipotẽs, infinita, independens. Quæ tamen omnia possunt prædicari de ipso Christo. Nam omnia per se & formaliter sunt in Christo. Itaque verum est dicere, Christus est Deus, omnipotens, infinitus, independens, subsistens.

10. Notandæ sunt autem hæ duæ particulæ. 1. *Plenitudo diuinitatis*. 2. *corporaliter*. Nam illæ signifi-

cant, aliter in Christo, aliter in aliis sanctis habitare diuinitatem. In Christo habitat per plenitudinem: In aliis per diuisionem. (1. Corinth. 12.4. In Christo corporaliter, id est, vere & substantialiter, in aliis participatiue. Nam ipsa diuinitas vere & substantialiter est in Christo: in aliis per dona quædam à diuinitate participata.

11. Secundo obiiciunt illud Matth. 11. 27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Si omnia, ergo etiam attributa diuina. Respondeo. Hoc dictum est de Christo, non de humanitate Christi. Potest autem dupliciter intelligi. 1. quod omnia sint illi tradita per æternam generationem. Et sic non est ad propositum. 2. quod omnia sint illi tradita per vnionem hypostaticam: non tamen in ipsa humanitate, sed in persona Verbi quæ subsistit in humanitate. Vide supra §. 2. Eodem modo explicari potest illud Ioan. 13. 3. *Omnia dedit ei pater in manus.*

12. Tertio obiiciunt illud Math. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Respondeo. Hoc etiam de Christo, non de humanitate dictum est. Et potest etiam dupliciter intelligi. 1. De potestate diuina seu increata, quæ data est Christo, non in humanitate, sed in persona Verbi. 2. De imperio, quod datum est illi in omnes creaturas, iuxta illud Hebræorum 2. 7. *Constituisti eum super opera manuum tuarum.* Et ibidem, *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Reliquæ obiectiones pertinent ad sequentem quæstionem.

QVÆSTIO IV.

An humanitas Christi per communicationem idiomatum sit vbique?

1. AFfirmant Lutherani, vt ex dictis patet. Sicut enim generatim docent, omnia attributa diuina realiter communicata esse humanitati Christi; ita etiam speciatim, attributum immensitatis, seu omnipotentiæ communicatum illi esse: Ac proinde Christum, non solum secundum diuinitatem, sed etiam secundum humanitatem esse vbique. Et ab hoc speciali dogmate vocati sunt vbiquetarij, seu Vbiquistæ.

2. Sed facile refelluntur. Primo ex dictis, quia nullum attributum diuinum potest humanitati aut vlli alteri creaturæ substantialiter vniri aut communicari, vt probatum est. 2. quia ex Scriptura cõstat, Christum secundum humanitatem non esse vbique. Ioan. 6. 24. *Cum vidisset turba, quod Iesus non esset ibi.* Et Marci 16. 6. *Surrexit, non est hic.* 3. quia similiter constat, Christum secundum humanitatem mutasse locum: Et nunc fuisse in vtero materno, nunc extra vterum: nunc in Iudæa, nunc in Samaria, nunc in Galilæa, nunc in Ægypto: postea pependisse in cruce, positum fuisse in sepulchro; resurrexisse, ad cœlos ascendisse. Quę omnia manifeste docent, non fuisse vbique.

3. Respondent Lutherani, hoc solum colligi ex dictis, Christum non esse vbique localiter & visibiliter; Esse nihilominus vbique illocaliter & inuisibiliter. Sed hæc distinctio non iuuat. Primo, quia ex illa sequitur, Christum secundum humanitatem in

instanti conceptionis fuisse localiter in vtero materno, & illocaciter in toto mundo: Ac proinde in vtero conceptum esse localiter; extra vterum, illocaliter. Item, in cruce passum & mortuum esse localiter & visibiliter: In toto mundo, illocaliter & iuuisibiliter. Imo duplici modo conceptum esse in vtero, & passum in cruce: semel localiter, & semel illocaliter. Nam si eo tempore, quo fuit localiter in vtero & in cruce, fuit vbique illocaliter & inuisibiliter; necesse est fuisse etiam in vtero & in cruce illocaliter & inuisibiliter. Quę omnia inaudita & absurda sunt.

4. Deinde, distinctio illa non habet locum in anima Christi pro eo tempore, quo fuit separata à corpore in triduo mortis. Tunc enim nusquam fuit localiter & visibiliter, sed vbicunque tunc fuit, ibi fuit illocaliter & inuisibiliter. Ac certum est, non fuisse tunc vbique, quia quando deseruit corpus & descendit ad inferos, non mansit in corpore. Et similiter, quando ab inferis rediit ad corpus, non mansit apud inferos. Quomodo ergo potuit esse vbique? Si enim illocaliter & inuisibiliter discessit à corpore, certe illocaliter & inuisibiliter non mansit in corpore. Et rursum, si illocaliter & inuisibiliter rediit ad corpus, certe illocaliter & inuisibiliter non mansit apud inferos.

5. Variæ sunt Lutheranorum obiectiones. Prima sumitur ex vi vnionis hypostaticæ. hoc modo. Quãdo duæ res inseparabiliter inter se vnitæ sunt, tunc vbi est vna, ibi necesse est alteram esse; alioqui, si vna esse alicubi, vbi altera non est, iam non essent inseparabiliter inter se vnitæ. Sed humanitas Christi & persona Verbi sunt inseparabiliter inter se vnitæ: Ergo vbi est persona Verbi, ibi est humanitas Christi:

At persona Verbi est vbique: Ergo & humanitas est vbique. Et confirmatur ex Damasceno libro 3. cap. 3. vbi ait, humanitatem & personam Verbi, non solum inseparabiliter, sed etiam indistanter vnitas esse. Itaque non distat ab alia. Distaret autem, si vna esset vbique, & altera in certo tantum loco. Respondeo. Maior falsa est, si nihil aliud addatur. Nam vnio duarum rerum inseparabilium & indistãtium non requirit, vt vbicunque est vna, ibi sit altera; sed solum, vt alicubi sint simul, & non distent. Si enim nulli essent simul, iam essent separatæ & distantes. Hoc patet primo in anima & capite Christi, quæ inseparabiliter & indistanter vnita sunt; Et tamen non vbicunque est anima, ibi est caput, cum anima sit in pedibus, vbi caput non est. Sunt tamen alicubi simul, & non distant: quod satis est ad vnionem. Secundo, idem patet in Sole & orbe solari, quę eodem modo vnita sunt: Et tamen sol non est in toto terræ circuitu, sicut est orbis Solaris.

6. Dices, Hoc Exemplum de Sole non est ad rem, quia Sol non est vnitus toti orbi Solari, sed tantum parti. At humanitas Christi vnita est toti Verbo. Respondeo. Hoc non obstat, quia etiam caput Christi vnitum est toti animæ: Et tamen non vbicunque est anima, ibi est caput. Itaque hæc regula tenenda est; Quando duæ res totaliter & adæquate inter se vnitæ sunt, tunc vbi est vna, ibi est altera. Quando autem non totaliter & adæquate vnitæ sunt, tunc vna potest esse alicubi, vbi altera non est. Priori modo vnita sunt superficies chartę & albedo; materia & forma Solis; materia & forma aquæ; intellectus & voluntas Angeli. Posteriori, caput & anima, Sol & orbis Solaris, clauus & rota,

finitum & infinitum.

7. Dices. 2. Si persona Verbi est alicubi, vbi non est humanitas, iam Verbum alicubi est homo, & alicubi non est homo, quod est absurdum. Respondeo. Non sequitur. Nam hæ duæ propositiones sunt distinctæ. Verbum alicubi est sine humanitate, &, Verbum alicubi existens non est homo. Prior vera est, & bene sequitur ex illo antecedente: Posterior falsa est, & non bene sequitur.

8. Secunda obiectio sumitur ex communicatione Idiomatum, hoc modo; Verbū est vbique: Christus homo est Verbum: Ergo Christus homo est vbique: Ergo & humanitas est vbique. Nam sine humanitate non est homo. Et confirmatur, quia Christus vbique est homo: Ergo vbique habet suam humanitatem. Si enim alicubi non haberet suam humanitatem, iam alicubi esset homo sine humanitate, quod est absurdum. Respondeo. Prior consequentia, *Ergo Christus homo est vbique*, conceditur. Nam vt Christus homo, per communicationem idiomatum, dicatur esse vbique, satis est, quod persona Christi sit vbique, tametsi humanitas non sit vbique. Vnde neganda est posterior consequentia. Non enim sequitur, Christus homo est vbique: Ergo humanitas est vbique. Nam Christus homo non est vbique ratione humanitatis, sed ratione personæ Verbi. Sicut etiam non sequitur, Christus homo est æternus: Ergo humanitas est æterna. Non enim est æternus ratione humanitatis; sed ratione personæ.

9. Illa autem propositio, *Christus vbique est homo*, distinguenda est. Nam si illa particula *vbique*, cadit supra prædicatum *homo*, tunc falsa est propositio. Ratio est, quia prædicata supponunt pro formali

significato: Ergo homo, quando est prædicatum, supponit pro humanitate. Cum ergo dicitur, *Christus vbique est homo*, sensus est Christus vbique habet suam humanitatem. Quod falsum est. Sicut etiam falsum est dicere, Christus ab æterno est homo, id est, ab æterno habet suam humanitatem. Si autem particula *vbique*, coniungitur præcise cum subiecto, tunc admitti potest illa propositio, *Christus vbique est homo*, id est, Christus, qui est vbique, est homo. Vel Christus vbique existens, est homo. Hinc patet, eodem modo distinguendam esse hanc propositionem: *Verbum alicubi non est homo.* Nam vera est hoc sensu: Verbum alicubi est sine humanitate. Vel, Verbum alicubi non habet suam humanitatem. Falsa est hoc sensu: Verbum alicubi existens non potest dici homo: Vel, Verbum alicubi existens non est homo: Similes sunt hæ duæ: Anima alicubi est sine capite; &, anima alicubi existens, non est forma capitis. Hæc enim falsa est, illa vera.

10. Tertia obiectio sumitur ab inconuenienti. Nã si humanitas Christi non est vbique, sequitur verbum diuinum moueri localiter, quod est absurdum. Sequela patet, quia si humanitas non est vbique, ergo potest moueri de loco in locum: Ergo cum mouetur, vel defert secum personam Verbi sibi vnitam, vel non. Si defert, mouetur persona Verbi. Si non defert, desinit esse vnita personæ Verbi. Vtrumque absurdum est. Respondeo. Humanitas Christi quãdo mouetur de loco in locum, non defert secum personam Verbi, quæ vbique est, sed defert secum vnionem cum persona Verbi, quæ non est vbique.

11. Quarta obiectio sumitur ex illo Eph. 4. 10. *Qui descendit, ipse est, qui ascendit supra omnes cœlos, vt impleret*

omnia

omnia. Hinc colligunt Lutherani, Christum post ascensionem cepisse esse vbique secundum humanitatem, quia cepit omnia loca implere. Ideo enim ascendit, vt omnia impleret. Respondeo. Sensus Apostoli est alius; nempe Christum prius descendisse ad inferos, ac deinde ascendisse supra omnes cœlos; vt omnia loca, infima, media, suprema, successiuè impleret per suam præsentiam, virtutem, gloriam, victoriam, triumphum: Et sic caperet possessionem sui imperij in omnes creaturas, & tanquam Rex solenni pompa inauguraretur. Sic explicant Theophylactus, Oecumenius, Cornelius in Commentario, & S. Bernardus serm. 2. de ascensione Domini, vbi ait: *Ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia. Iam n. cum se Dominum vniuersorum quæ sunt in terra, & in mari, & in inferno probasset, non restabat, nisi vt aeris & cælorum se esse Dominum approbaret*, &c.

12. Hinc sequitur, Lutheranos & sibi ipsis, & Apostolo contradicere: Sibi quidem, quia docent humanitatem Christi propter vnionem hypostaticam esse vbique; ac proinde ab instanti cõceptionis, quo facta est vnio hypostatica, cepisse esse vbique. Non ergo post ascensionem cepit esse vbique. Apostolo autem, quia Apostolus dicit, Christum secundum humanitatem descendisse ad inferos. Ergo prius non erat apud inferos. Item, ascendisse ad cœlos: Ergo prius non erat in cœlis. Ergo vi vnionis hypostaticæ non erat vbique.

13. Quinta obiectio sumitur ex illo Rom. 8. 34. *Christus IESVS, qui est ad dexteram Dei.* Et Colos. 3. 1. *Quæ sursum sunt, quærite, Vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Et Heb. 1. 13. *Sede à dextris meis.* Hinc etiam colligunt, Christũ secundũ humanitatẽ esse vbique,

quia ſedet ad dexteram Dei Patris, quæ eſt vbique? Reſpondeo. Duplex eſt explicatio illius ſeſſionis. Vna, quod per dexteram Dei intelligatur beatitudo æterna. Ita Hieronymus in cap. 1. ad Eph. & Auguſtinus lib. de Fide & Symbolo cap. 7. & lib. de Agone Chriſtiano cap. 26. qui non ſolum Chriſtum, ſed etiam alios beatos vult ſedere ad dexteram Dei, iuxta illud Eph. 2. 6. *Conſedere nos fecit in cœleſtibus in Chriſto.* Et Matth. 25. 33. *Statuet oues à dextris ſuis: hœdos autem à ſiniſtris.* Hęc explicatio nihil fauet Vbiquetariis.

14. Altera eſt probabilior, quod per dexteram Dei intelligatur æqualitas potentiæ, gloriæ, & maieſtatis Dei; vt ſenſus ſit, Chriſtum ſedere ad dexteram Dei, id eſt, æqualem eſſe Deo in potentia, gloria, & maieſtate: Vel pari potentia, gloria, & maieſtate regnare & gubernare cum Deo Patre. Ita Athanaſius, Baſilius, vterque Cyrillus, Damaſcenus, Chryſoſtomus, Ambroſius, & alij apud Bellarminum lib. 3. de Chriſto cap. 15. Hæc expoſitio videtur fauere Lutheranis, ſed reuera non fauet. Tametſi enim hæc æqualitas data ſit Chriſto homini, non tamen data eſt illi in humanitate, ſed in perſona Verbi. Non enim factum eſt, vt humanitas in ſeipſa ſit æqualis Deo in potentia, gloria, & maieſtate; ſed vt ſit humanitas perſonæ Verbi, quæ habet æqualem potentiam, gloriam, & maieſtatem cum perſona Patris. Vide ſupra quæſt. 3. §. 2.

15. Dices, Hoc factum eſt in inſtanti Incarnationis, quando humanitas Chriſti vnita fuit perſonæ Verbi. Apoſtolus autem loquitur de ſeſſione ad dexteram Dei Patris, quæ contigit poſt aſcenſionem. Reſpondeo. In illa ſeſſione duo ſpectari debent: æqualitas Chriſti cum Deo Patre. Hæc illi data eſt

in instanti Incarnationis. 2. Manifestatio illius qualitatis. Hæc facta est per ascensionem, quando Christus tanquam victor & triumphator cum solenni pompa ascendit in cœlum. Tunc enim cepit, quoad externam celebritatem, sedere à dextris Dei Patris, id est, tunc cepit agnosci & honorari tãquam Deus, vt patet ex illo Philip. 2. 9. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est supra omne nõmen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS Christus est in gloria Dei Patris.* Nota, Vt omnis lingua confiteatur, Christum esse in gloria Patris, quod antea confessa non erat, quia antea non innotuerat omnibus.

16. Sexta obiectio sumitur ex illo Matth. 18. 20. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et cap. 28. 20. *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Respondeo. Hinc solum colligitur, Christum adesse omnibus bonis & fidelibus per suam gratiam & directionem; non tamen per præsentiam corporalem. Nam si Christus loqueretur de præsentia corporali, nõ tantum adesset bonis, sed etiam improbis, secundum expositionem Lutheranorum; quod tamen est alienum à mente Christi. Hic iterum patet, Lutheranos & sibi ipsis, & Christo contradicere. Sibi, quia paulo ante asserebant, Christum post ascensionem cepisse esse vbique. At hic cõtendunt, eum antea fuisse vbique. Christo autem, quia Christus solum asserit, se præsentem esse & fore bonis: At Lutherani volunt cõuincere, præsentem esse omnibus, tã bonis, quam malis: Nec tantũ hominibus, sed etiam aliis creaturis, quod nullo modo conuinci potest, nec ex

verbis Christi, neque ex ipsius mẽte ac intentione.

17. Septima obiectio sumitur ex quibusdam Patribus, qui videntur fauere Vbiquitati, præsertim Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Ambrosius, Hieronymus, & Gelasius: sed re vera non fauent, vt ostendit Bellarminus lib. 3. de Christo c. 18.

CAPVT VIII.

De gratia Christi.

INCEPS agendum est de perfectionibus Christi ex parte humanitatis, cuiusmodi sunt hæ tres potissimum, gratia, scientia, potentia. Nomine gratiæ multa possunt intelligi. 1. gratia habitualis. 2. gratia actualis. 3. gratiæ gratis datæ. 4. Virtutes. 5. Dona Spiritus Sancti. Quæ omnia conueniunt Christo, quatenus est homo singularis. Nam de Christo, quatenus est caput Ecclesiæ, postea suo loco disputabitur. Igitur de gratia Christi quæritur 1. An in Christo fuerit gratia habitualis? 2. quando & quomodo data sit illi hæc gratia? 3. An fuerit infinita? 4. An potuerit augeri? 5. An in Christo præter gratiam habitualem, fuerit etiam actualis? 6. An gratiæ gratis datæ? 7. An Virtutes, præsertim Fides, Spes, pœnitentia? 8. An dona Spiritus Sancti? Vide D. Thom. quæst. 7.

QVÆSTIO I.

An in Christo fuerit gratia habitualis?

1. SVppono, Christum secundum humanitatem, fuisse Deo gratum, sanctum, iustum, innocen-

tem, vt constat ex Scripturis Matth. 3. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi placui.* Et Luc. 1. 35. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et Ioan. 1. 14. *Plenum gratiæ & veritatis.* Hebr. 7. 26. *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Est ergo quæstio, an fuerit talis per gratiam vnionis, an vero per gratiã habitualem?

2. Aliqui putant, non potuisse sanctum esse, & Deo gratum, nisi per gratiam habitualem. Ratio est, quia effectus formalis non potest esse sine sua forma: sed esse sanctum & gratum Deo, est effectus formalis gratiæ habitualis: Ergo Christus sine tali gratia non potuit hãbere illum effectum. Hinc inferunt 1. Christum non potuisse mereri sine gratia habituali, quia nemo potest mereri apud Deum, nisi sit Deo gratus: nec potest esse gratus sine gratia habituali. 2. Inferunt, Si humanitas assumeretur à Deo, & non daretur illi gratia habitualis, fore, vt homo sit Deus, & tamen non sit sanctus, & Deo gratus. Vide Suarez disp. 18. sect. 1.

3. Prima Conclvsio. Christus secundum humanitatem fuit sanctus & Deo gratus per vnionem hypostaticam. Probatur ex iis Scripturæ locis, vbi dicitur vnctus, vt Psalm. 44. 8. & Lucæ 4. 18. & Act. 4. 27. & alibi. Hæc enim vnctio, vt interpretantur Patres, facta est per vnionem hypostaticam, quia per eam factum est, vt persona Verbi, & ipsa Diuinitas substantialiter attingeret humanitatem, & illam hoc modo vngeret, sanctificaret, & quasi deificaret. Vnde Nazianzenus orat. 36. & 42. expresse ait: humanitatem Christi *delibutam, perunctam, & deificatam* esse ipsa Diuinitate. Et Cyrillus libro 4. in Ioan. c. 29. Christum vocari vnctum, non sicut alios

Reges, & Propheras, ſed quia Verbũ caro factũ eſt. Et Nicetas lib.3.theſauri cap.3, *Ipſe*, inquit *ſeipſum vnxit. Diuinitas enim humanitatis vnctio eſt.* Et ſimiliter Damaſcenus lib.3. cap.3. *Ipſe enim ſeipſum vnxit: vngens quidẽ, vt Deus ſua Deitate corpus: vnctus autem vt homo. Nã ipſe eſt hoc, & illud: ſiquidẽ vnctio, Deitas humanitatis.*

4. Accedit ratio, quia certum eſt, homines ſanctificari per aliquam participationem Diuinitatis, quæ eſt ſanctitas per eſſentiam: At nulla poteſt eſſe maior participatio Diuinitatis, quam per ſubſtãtialem vnionem cum perſona Diuina: Ergo per hanc maxime poteſt aliquis ſanctificari. Sicut ergo certum eſt, humanitatem Chriſti ſubſtantialiter vnitam eſſe perſonæ Verbi; ita certum eſt, per hanc vnionem ſanctificatam eſſe.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Chriſtus ſecundum humanitatem fuit etiam ſanctus & Deo gratus per gratiam habitualem. Ita D. Thom. quęſt 7. articulo 1. vbi probat tribus argumentis hanc gratiam fuiſſe in anima Chriſti. Primo, quia ipſius anima propinquior eſt Deo propter vnionem hypoſtaticam, quam animę reliquorum hominum: Ergo maiorem gratiæ influxum ab illo recipit. Secundo, quia ad ſupernaturales operationes indigebat hac gratia. Tertio, quia influit gratiam in alios homines: Ergo debet illam in ſe habere. Antecedens patet ex illo Ioan. 1. 16. *De plenitudine eius nos omnes accipimus.* Dices, Gratia eſt quædam participatio Diuinitatis: Sed Chriſtus eſt Deus ſecundum veritatem, & non ſecundum participationem: Ergo in Chriſto non eſt gratia habitualis. Reſpondeo cum D. Thom. art. 1. ad 1. Licet Chriſtus ſit verus Deus ſecundum perſonam & naturam Diuinam: tamẽ anima Chriſti non

fuit Diuina per essentiam,& ideo debuit fieri Diuina per participationem.

6. TERTIA CONCLVSIO. Christus secundum humanitatem duobus modis fuit sanctus & Deo gratus,vt ex dictis patet.1.per gratiam vnionis. 2.per gratiam habitualem. Est tamen discrimen inter hos duos modos. Nam prior sanctitas est substãtialis;posterior accidentalis.Deinde,prior sanctificatio non fit formaliter per vnionem, sed potius per Diuinitatem, quæ mediante vnione sanctificat humanitatem ; posterior autem formaliter fit per gratiam habitualem.Ratio est,quia vnio formaliter non est sanctitas, sed coniunctio cum sanctitate: At gratia habitualis formaliter est sanctitas. Hinc fit, vt vnio per se, non faciat hominem formaliter sanctum, iustum , impeccabilem; sed quatenus est vnio cum persona diuina:At gratia per se facit hominem iustum , sanctum, & Deo gratum.

7. Dices 1. Vnio est perfectior quam gratia habitualis: Si ergo gratia per se formaliter sanctificat, multo magis vnio. Respondeo. Vnio perfectior est in suo gradu, quam gratia ; & perfectius etiam sanctificat,quam gratia,quia concurrit ad perfectiorem sanctificationem : sed non simili modo sanctificat, quo gratia.Nam vnio , vt dixi, sanctificat applicando sanctitatem ; gratia vero sanctificat per se ipsam formaliter.

8. Dices 2. Patres docent humanitatẽ Christi sanctificari per vnionem : Ergo vnio per se sanctificat. Respondeo. Humanitas sanctificatur per vtrãque, & per vnionem, & per diuinitatem Verbi, sed diuerso modo. Nam per diuinitatem sanctificatur, tanquam per sanctitatem , seu formam sanctifican-

tem: At per vnionem, tanquam per applicationem humanitatis ad ſanctitatem. Hinc fit, vt Patres indifferenter, nunc diuinitati, nunc vnioni tribuant hanc ſanctificationem. Nam aliqui dicunt, humanitatem Chriſti fuiſſe delibutam, vnctam & ſanctificatam per Diuinitatem; alij per vnionem & aſſumptionem. Vtrumque verum eſt, diuerſo ſenſu, vt iam explicaui.

9. Dices 3. Si perſona Angelica vniretur humanitati, non ſanctificaret illam per ſuam ſubſtantiam: Ergo nec perſona Diuina, per ſuam ſubſtantiam & diuinitatem ſanctificat humanitatem Chriſti, cui vnita eſt. Reſpondeo. Non ſequitur. 1. quia perſona Angelica non eſt per ſe ſancta, ſed per accidens tantum, ratione gratię habitualis: At perſona diuina eſt ipſa ſanctitas per ſe. 2. quia perſona Angelica nō neceſſario excluderet peccatum ab humanitate aſſumpta, quod tamen excludit perſona Verbi.

10. QVARTA CONCLVSIO. Ex dictis ſequūtur hæc tria. Primo, effectum formalem, quo quis dicitur ſanctus & gratus Deo, duplicem eſſe: Alterum ſubſtātialem, alterum accidentalem. Et vtrumque eſſe à ſua cauſa formali, vel quaſi formali. Secundo, humanitatem non potuiſſe vniri perſonæ Verbi, niſi ſimul fieret ſancta & impeccabilis, quia perſona Verbi, quatenus eſt vnita humanitati, non poteſt non illam deificare, & ſanctificare. Tertio, gratiam habitualē non fuiſſe Chriſto ſimpliciter neceſſariam ad ſanctitatem & meritum, quia per ſolam gratiam vnionis potuit vtrumque conſequi.

11. Queres. Cur ergo data eſt illi gratia habitualis? Reſpondeo. Si pręciſe loquamur de gratia habituali, quæ ſecundum D. Thom. eſt in eſſentia animæ,

& realiter distinguitur ab habitu charitatis, ideò data est Christo, vt nõ solum substantialiter, sed etiam accidentaliter esset sanctus, & Deo gratus: Neque solum per sanctitatem personaliter coniunctam, sed etiam per formam intrinsece inhærentem. Si autem loquamur de gratia habituali, quatenus sumitur generatim pro quouis habitu gratuito & supernaturali, ideo data est Christo, vt intellectus & voluntas ipsius humana perficerentur supernaturaliter ad prompte eliciendos actus supernaturales.

12. Quæres 2. An Christus esset minùs sanctus, si tantum haberet gratiam vnionis, & non gratiam habitualem? Respondeo. Intensiue non esset minus sanctus, sed extensiue. Nam sanctitas vnionis eminenter in se continet sanctitatem gratiæ habitualis.

13. Quæres 3. An sola gratia vnionis perfecte sanctificet? Respondeo. Perfecte sanctificat in suo genere, id est, substantialiter; non tamen accidentaliter.

QVÆSTIO II.

Quando & quomodo data sit Christo hæc gratia habitualis.

1. PRIMA CONCLVSIO. Hęc gratia data est animę Christi simul tempore cum gratia vnionis. Ita D. Thomas art. 12. & 13. & alij Theologi in 3. dist. 13. & colligitur ex illo Isaiæ 11. 1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Ratio est, quia hæc gratia data est illi ratione vnionis hypostaticæ: Ergo simul cum ipsa vnione. Obiicitur illud Lucæ 2. 52. *Puer autẽ crescebat ætate, & sapientia & gratia.* Sed de hoc loco

dicemus infra contra hæreticos, in cap. de scientia Christi.

2. SECVNDA CONCLVSIO. Hæc gratia, licet simul tempore data sit cũ gratia vnionis, tamen ordine naturæ sequitur gratiam vnionis. Ita D. Tho. art. 13. Caietanus, & alij Thomistæ. Ratio est, quia data est intuitu vnionis hypostaticæ, vt probatũ est supra cap. 2. quæst. 6 §. 3. Confirmatur, quia gratia habitualis, cum sit accidens animæ, non potuit ordine naturæ præcedere subsistentiã animæ, vt loco citato dictum est; Ergo debuit præsupponere vnionem hypostaticã. Hoc sensu D. Augustinus in Enchiridio ca. 40. & 41. dicit, gratiam quodammodo factam esse Christo connaturalem, ratione vnionis. Sicut enim dici solet, visionem beatificam esse connaturalẽ intellectui Beatorum, quatenus informatus est lumine gloriæ, cum tamen alioqui intellectui præcise sumpto sit supernaturalis; ita dici potest, gratiam habitualem, quæ animæ præcise sumptæ supernaturalis est, esse connaturalem animæ, quatenus verbo vnita est hypostatice.

3. TERTIA CONCLVSIO. Quamuis hæc gratia ordine naturæ dicatur esse posterior vnione hypostatica, non tamen effectiue, seu physice producitur vel resultat ex illa vnione, sed immediate à Deo confertur. Ratio est, quia in vnione hypostatica duo spectari possunt. 1. Ipsa vnio præcise sumpta, quæ est in humanitate Christi. 2. subsistentia Verbi, qui est immediatus terminus vnionis. Sed à neutro horum potest gratia habitualis effectiue produci, non quidem ab ipsa vnione, quia illa ex natura sua non est actiua, sed solum est formalis & actualis coniunctio

humanitatis cum Verbo; & ad hoc solũ ex natura sua ordinatur, in hoc quasi absoluitur virtus illius. Nec etiam à subsistentia Verbi, quia illa subsistentia est relatiua, & per se non habet vim agendi. Omnis enim vis actiua in Deo est absoluta, & communis tribus personis.

QVÆSTIO III.

An gratia habitualis in Christo fuerit infinita?

1. SVppono, gratiam vnionis fuisse infinitam ex parte personæ Verbi, vt docet D. Thomas art. 11. Quæstio tantum est de gratia habituali. Hæc gratia dupliciter spectari potest, 1. in ratione qualitatis. 2. in ratione gratiæ. Igitur aliqui putant, hanc gratiam in Christo fuisse vtroque modo infinitam. 1. in ratione qualitatis, quia non implicat, dari qualitatem intensiue infinitam. Cum ergo Christo data sit perfectissime gratia, quæ dari potest in ratione qualitatis; data est illi intensiue infinita. Vnde sequitur, etiam in ratione gratiæ fuisse infinitam. Nã qualitas gratiæ essentialiter est gratia. Ita sentiunt Theologi Parisienses, & Ioannes Maior, apud Vasquez disp. 46. cap. 1.

2. Alij contra sentiunt, vtroque modo fuisse finitam. Primo in ratione qualitatis, quia recipiebatur in anima Christi, quæ tantum erat capax finitæ perfectionis. Secundo in esse gratiæ, quia in gratia non distinguitur esse qualitatis & esse gratiæ, cũ qualitas gratiæ essentialiter sit gratia, vt dictum est. Ita Scot., Durãdus, & Albert. apud Suarez disp. 22. sect. 1

Alij denique, fuisse quidem finitam in ratione qualitatis, sed tamẽ in ratione gratiæ fuisse aliquo modo infinitam. vtrũque paucis explicandum est.

3. PRIMA CONCLVSIO. Gratia habitualis in Christo fuit finita in ratione qualitatis, non solum quoad essentiam, sed etiam quoad intensionem graduum. Ita Diuus Thomas loco citato. Prior pars est certa, quia implicat, aliquam creaturam in essentiali perfectione esse infinitam. Hoc enim soli Deo proprium est. Posterior non est certa, sed tantum probabilis, quia nititur probabilibus tantum rationibus. Cuiusmodi sunt hæ. 1. non potest dari qualitas intensiue infinita. 2. Anima Christi cum sit finita, non est capax infinitæ gratiæ, quoad intensionem. 3. Si gratia Christi esset infinita, etiam lumen gloriæ, & visio beatifica esset infinita, ac proinde anima Christi infinito modo videret Diuinam essentiam, atque adeo comprehenderet, quod est impossibile. 4. Natura gratiæ & sanctitatis est, vt per bona opera possit crescere. Nam qui sanctus est & Deo gratus, potest per bona opera fieri sanctior & Deo gratior: Ergo contra illius naturam est, esse actu infinitam, quia, tunc non potest crescere.

4. Hæ, inquam, rationes non conuincunt. 1. quia multi probabiliter defendunt, posse à Deo produci qualitatem intensiue infinitam. 2. quia licet anima Christi non sit capax infinitæ qualitatis per capacitatem naturalem, est tamen per capacitatem obedientialem; modo produci possit qualitas infinita. 3. Nõ repugnat, Deum comprehendi quoad essentiã, personas, & attributa, vt ex mente D. Augustini in 1. parte cap. 9. quæst. 11. explicatum est. Denique de natura gratiæ & sanctitatis solum est, vt quando

finita est, possit crescere: non autem, quando infinita.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Gratia habitualis in Christo, tametsi fuerit finita in ratione qualitatis, fuit tamen quodammodo infinita in ratione gratiæ. Ita D. Thomas ibidem. Ratio est, quia illa gratia, quatenus coniũcta erat vnioni hypostaticæ, efficiebat opera infinite Deo grata. NOTA. gratia habitualis in ratione gratiæ, potest dupliciter spectari in Christo. 1. præcise secũdum se. & sic non est infinita in ratione gratiæ. 2. Quatenus coniuncta est cum gratia vnionis hypostaticæ, cui subseruit. & sic est infinita in ratione gratiæ. Rursum dupliciter intelligi potest, quod sit infinita in ratione gratiæ. 1. in genere causæ formalis, quia reddit animam Christi infinite gratam. 2. in genere causæ moralis, quia opera, quæ procedunt à gratia Christi, sunt infiniti valoris.

QVÆSTIO IV.

An gratia habitualis in Christo potuerit augeri?

1. NOn disputamus, An sanctitas Christi potuerit augeri, sed an gratia habitualis. Nam duplex sanctitas in Christo distingui debet, vt ex dictis patet. Vna substantialis, quę illi conuenit ratione vnionis hypostaticæ: Altera accidentalis, quæ illi conuenit ratione gratiæ habitualis. Prior cũ sit infinita, non potuit augeri. De posteriori quęstio est. Nam si fuit finita, vt diximus, augeri potuit. Contra: si augeri potuit, quomodo verum est, quod

Scriptura dicit, in Christo fuisse plenitudinem gratiæ? Nam vbi plenitudo est, nihil potest accedere.

2. PRIMA CONCLVSIO. Gratia Christi non potuit augeri per potentiam Dei ordinatiam. Ita D. Thomas art. 12. Ratio est, quia quod Deus semel statuit, non mutat. Si ergo semel statuit vt gratia Christi non augeretur, certum est, non potuisse augeri. Confirmatur. 1. quia gratia Christi fuit ordinata ad vnionem hypostaticã: Sed vnio hypostatica non potuit esse maior, quam fuit: Ergo nec gratia, manente illa subordinatione. 2. Gratia beatorum non potest augeri, secundum legé ordinariam: sed Christus ab initio semper fuit beatus: Ergo ipsius gratia non potuit augeri.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Gratia Christi potuisset augeri per potentiam Dei absolutã. Ratio est, quia non implicabat, nec ex parte gratiæ, nec ex parte animę recipiẽtis gratiã. Nam si gratia erat finita, potuit augeri. Et similiter, si anima habebat capacitatẽ obedientialẽ, potuit recipere intensiorem gratiam. Dices, Ergo in Christo non fuit plenitudo gratię: Aut si fuit plenitudo, non potuit ipsius gratia augeri. Respondeo. In Christo fuit triplex plenitudo. 1. Plenitudo Diuinitatis. 2. Plenitudo gratiæ vnionis. 3. Plenitudo aliorum donorum gratiæ. Hæc tertia, de qua agimus, nihil aliud est, quam abundantia donorum gratiæ. Cum ergo dicimus, in Christo fuisse plenitudinem gratiæ, sensus est, Christum habuisse abundantiam gratiæ. Ex quo tamen non sequitur, non potuisse gratiam intensiue augeri in Christo. Nam etiã in aliis Sanctis est plenitudo, seu abundatia gratiæ, vt patet ex illo Lucæ 1. 21. *Aue gratia plena.* Et Act. 6. 8. *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine.* Et tamen constat, non esse

tantam gratiam in aliis sanctis, quanta fuit in Christo, ac proinde gratiã illorum posse fieri intensiorẽ.

4. Est tamen differentia inter Christum & alios sanctos. Primo, quia plenitudo gratiæ fuit in Christo, tanquam in fonte: In Beata Virgine, tanquam in flumine: in aliis, tanquã in riuulis. Ita D. Bernardus, in sermone de natiuitate Virginis. Secundo, Gratia habitualis in Christo coniuncta fuit cum gratia vnionis hypostaticæ: In aliis non item. Vnde fit vt opera Christi fuerint infiniti valoris: opera aliorum non item.

QVÆSTIO V.

An in Christo, præter gratiam habitualem, fuerit etiam actualis?

1. DVPLEX est gratia actualis: Altera excitans, altera adiuuans. Excitans dicitur, quæ excitat, & inuitat voluntatem nostram ad bene operãdum. Adiuuans, quæ iuuat illam, & effectiue cum illa concurrit ad bene operandum. Vtraque nobis necessaria est, tum ad facienda opera supernaturalia, tum ad euitanda omnia peccata, & seruanda præcepta Dei. Nunc quæstio est, An vtraque fuerit etiam Christo necessaria?

2. PRIMA CONCLVSIO. Christus non indiguit vlla gratia excitante. Probatur 1. quia Adam in statu innocentiæ non indiguit, vt docet Bellarminus lib. 1. de gratia primi hominis ca. 4. Ergo multo minus Christus. Secũdo, quia vel indiguisset ad faciẽda opera supernaturalia, vel ad vitanda peccata. Nõ pri, quia præcipua opera supernaturalia sũt

actus fidei, spei, charitatis, obedientiæ, temperantiæ, & similium virtutum. Actum fidei & spei circa Deum non habuit Christus. Actum charitatis circa Deum habuit sine vlla intermissione, ex vi visionis beatificæ: ac proinde non fuit necesse vt ad illum excitaretur per nouam gratiam actualem. Ad actum charitatis circa proximos, & similiter ad actum obedientiæ, temperantiæ, iustitiæ, religionis, humilitatis, satis excitabatur ipsius voluntas per constantem actum charitatis erga Deum. Nam quando voluntas constanter inflammata est charitate erga Deum, non indiget alio stimulo quo excitetur ad actus aliarum virtutum, quæ subseruiunt charitati, cùm ipsa charitas actualis sit sufficiens. Et sic intelligi potest illud 1. Corinth. 13. 4. *Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, &c.* Vbi actus aliarū virtutum tribuuntur charitati, non quòd charitas illos eliciat, sed quòd imperet, & ad eos eliciendos voluntatem excitet.

3. Nec posterius, quia qui aliunde quàm ex gratia habituali excitante, est impeccabilis, ille non indiget gratia excitante ad cauenda peccata: At Christus aliunde quàm ex gratia actuali excitante, erat impeccabilis; & quidem duplici titulo, 1. vi vnionis hypostaticæ, 2. vi visionis beatificæ. Ergo non indigebat gratia actuali excitante ad cauenda peccata. Sicut nec beati in cœlo indigent, qui tamen vno solo titulo sunt impeccabiles.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Christus non indiget vlla gratia adiuuāte. Ratio est, quia gratia adiuuans est eadem cum excitante. Dicitur enim excitans, quatenus excitat ad bene operandum: Adiuuans, quatenus cooperatur cum homine ad bene operandum.

operandum. Si ergo Christus potuit bene operari per principia intrinseca, sine vlla noua gratia excitante; potuit etiam sine noua gratia adiuuante.

5. Dices. Intellectus & voluntas Christi non potuerunt solis naturæ viribus supernaturaliter operari: Ergo indigebant gratia adiuuante. Respondeo. Indigebant gratia habituali adiuuante. v. g. Intellectus indigebat lumine gloriæ, & voluntas habitu charitatis: Non tamen vlterius indigebant noua gratia actuali adiuuante. Nam prędicti habitus supernaturales sufficiebant Christo ad bene operandum, præsertim cum esset impeccabilis.

6. Dices 2. Nulla creatura potest operari sine actuali concursu Dei, vt est communis sententia Theologorum, contra Durandum: Ergo sicut ad actiones naturales opus est concursu Dei naturali, ita ad actiones supernaturales opus est concursu Dei supernaturali: Ergo Christus sine tali concursu supernaturali non potuit supernaturaliter operari. Ergo indigebat actuali gratia adiuuante. Respondeo. Negatur hæc vltima consequentia. Nam licet aliqui putent, gratiam adiuuantem nihil aliud esse, quam concursum Dei supernaturalem ad opera supernaturalia, probabilius tamen est distingui, vt nunc suppono cum Molina, Bellarmino, & aliis magnis authoribus.

QVÆSTIO VI.

An in Christo fuerint gratiæ gratis datæ?

1. GRatiæ gratis datæ sunt nouem, nempe, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum, vt habetur 1. Cor. 12. 8. Est ergo quæstio, An omnes hæ gratiæ fuerint in Christo? Et præcipua difficultas est de fide, Prophetia, & dono linguarum.

2. CONCLVSIO. Probabile est, Christum habuisse omnes gratias gratis datas, quę iam enumeratæ sunt. Ita D. Thomas art. 7. Ratio illius est, quia hæ gratiæ dantur homini ad vtilitatem aliorum, vt scilicet commodius & efficacius possit alios docere, hortari, conuertere, & ad salutem perducere: Ergo maxime debent esse in eo, qui ex officio alios docet, conuertit, & ad vitam perducit. Talis autem fuit Christus, qui venit *peccatores saluos facere*: Ergo in Christo maxime fuerunt hæ gratiæ. Vnde Augustinus epist. 57. ad Dardanum ait: *Sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo omnes gratiæ.*

3. Dices 1. Christus semper habuit claram Dei visionem: Ergo non potuit habere fidem & Prophetiam; quia fides & Prophetia includunt obscuritatem, quæ repugnat claræ visioni. Hinc Apostolus 1. Corinth. 13. 9. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.* Q. D. Cognitio fidei & prophetiæ obscura est, & ideo non potest consistere cum clara visione, quæ perfecta est.

4. Respondeo. Fides Theologica, qua credimus

res à Deo reuelatas, obscura est; ac proinde non fuit in Christo, vt dicam sequenti quæstione. At fides, quæ est gratia gratis data, de qua hic agimus, non necessario est obscura, & ideo potuit esse in Christo Quod sic ostendo. Hæc fides, vel est fides miraculorum, vt aliqui volunt; vel est peculiaris quædam certitudo & intelligentia rerum fidei à Spiritu Sancto concessa; vel denique est facilitas accommodate proponendi res fidei, vt etiam à rudioribus intelligi possint.

5. Si est fides miraculorum, potuit esse in Christo. Nam huiusmodi fides includit duo, nempe assensum intellectus, & fiduciam voluntatis. Qui enim hac fide præditus est, debet firmiter asserire & certo confidere, Deum non defuturum ad facienda miracula. Assensus ille, tamersi in aliis sit obscurus, in Christo tamen fuit clarus & euidens, ac proinde claræ visioni non repugnabat.

6. Si autem est peculiaris quædam certitudo & intelligentia rerum fidei, quam Spiritus Sanctus præbet Doctori Euangelico, vt alios secure instruat; potuit etiam esse in Christo: Nam illa certitudo & intelligentia, quæ in nobis obscura est, in Christo fuit clara, sicut de assensu dictum est.

7. Si denique nihil aliud est, quam facilitas accommodate proponēdi res fidei ad captum rudium & ignorantium; multo certius est fuisse in Christo, quia illa facilitas potest esse sine obscuritate. Nam etiam Angeli, qui clare Deum vident, habent hanc facilitatem proponendi nobis quædam fidei mysteria, vt ex Scriptura patet.

8. Idem dico de Prophetia. Nam hæc, ex natura sua, nec requirit obscuritatem, nec claritatem

in cognitione, sed sufficit, vt sit cognitio eorum, quę longe distant à sensibus hominum, & ab ordinaria cognitione viatorum, vt docet D. Thomas art. 8. Quod autem illa cognitio in Christo fuerit clara, & in aliis obscura, nihil ad rem facit. Hoc enim fit ratione status. Nam Christus erat in statu beatorum, alij autem Prophetæ in statu viatorum.

9. Imo, nec in aliis Prophetis fuit semper æqualis obscuritas. Nam quidam perfectius & clarius cognoscebant ea, quæ prophetabant, quam alij, vt patet ex illo Num. 12. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses: : Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata.* Hinc sequitur, sicut Moyses fuit maior Propheta, quam alij, quia clariorem habebat notitiam; ita Christum fuisse omnium maximum Prophetam, quia clarissimam habuit de omnibus cognitionem. Hinc illud Lucæ 7. 16. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Vide infra cap. 23.

10. Dices 2. Donum linguarum non videtur fuisse in Christo, quia numquam illo vsus est Christus, vt fatetur D. Thomas art. 7. ad 3. Respondeo. Certum est, Christum habuisse notitiam omnium linguarum, quia in hac re non fuit inferior Apostolis. An autem vsus sit illa notitia, incertum est. Forrasse publice in concionibus non est vsus: At verisimile est, priuatim fuisse vsum, quando agebat cum gentilibus; aut quando scribebat litteras ad aliquem alieni idiomatis.

Qvæstio VII.

An in Christo fuerit Fides Theologica?

1. SVnt tres virtutes, de quibus potissimum disputari solet an fuerint in Christo, nempe, Fides, Spes & Pœnitentia. Nã hæ tres videtur includere aliquã imperfectionem Christo repugnantem.

2. Prima Conclvsio. Christus nunquam habuit actum Fidei ex parte intellectus. Ita D. Thomas art. 3. Ratio est, quia actus fidei versatur circa Deum obscure reuelatum: At Christus ab instanti conceptionis semper habuit claram & intuitiuam visionem Dei; Ergo numquam habuit obscurã Dei cognitionem: Ergo nec actum fidei.

3. Dices, Fides non tantum versatur circa Deum, sed etiam circa res alias à Deo reuelatas. Quamuis ergo Christus clare & intuitiue viderit Deũ, potest tamen fieri, vt multa alia extra Deum non videret, sed tantum per reuelationem cognosceret, v. g. futurum diem Iudicij, aut futuram resurrectionem mortuorum: Ergo saltem, respectu horum obiectorum, potuit habere fidem, quia potuit illa credere propter diuinam reuelationem. Respondeo, Duobus modis potest aliquid cognosci propter authoritatem Dei reuelantis. 1. Propter authoritatem & reuelationem fide creditam, seu obscure cognitam: Et hoc fit per actum fidei in hac vita. 2. Propter authoritatem, & reuelationem Dei clare & intuitiue cognitam: Et hoc fit per actum multo nobiliorem, quam sit actus fidei. Hoc modo concedo, Christum & alios beatos posse multa cognoscere per reuelationem; non autem priori modo. Vide,

quæ dixi in tractatu de fide cap. 11. quæst. 1.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Christus etiam nunquam habuit supernaturalem habitum fidei in intellectu. Ratio est, quia frustra illum habuisset, si nunquam potuisset exire in actum. Hinc passim docent Theologi, habitum fidei non manere in Beatis post hanc vitam, quia tunc nullum est exercitium fidei, vt patet ex D. Thoma in 1.2. quæst. 67 art. 3. & ex Scholasticis in 3. dist. 21.

QVÆSTIO VIII.

An in Christo fuerit spes Theologica?

1. VIrtus spei habet quatuor actus circa Deum, quatenus est summum bonum nostrum, & circa claram visionem Dei. 1. Amorem concupiscentiæ. 2. Desiderium. 3. Spem. 4. Delectationem, seu gaudium. Vide quæ dicta sunt in tractatu de Spe, quæst. 4.

2. PRIMA CONCLVSIO. Christus nunquam habuit actum desiderij aut spei circa Deum vel beatitudinem essentialem, quæ consistit in visione Dei. Ita D. Thom. art. 4. Ratio est, quia actus desiderij & spei versatur circa bonum absens, quod nondum habetur aut possidetur; At Christus ab instanti conceptionis semper possedit Deum per claram visionem: Ergo nunquam illum desiderauit aut sperauit, vt possidendum.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Habuit tamen alios duos actus, nempe amorem & gaudium. Nam & Deum clare visum amauit amore concupiscentiæ & ex illius visione & amore percepit gaudium seu delectationem, sicut alij Beati. Nota: hoc interest

inter illos actus, quod desiderium & spes versentur circa Deum, vt absentem: gaudium circa Deum, vt præsentem & possessum; Amor vtroque modo. Nam & qui desiderat Deum, vt absentem, & similiter, qui fruitur seu possidet Deum, vt præsentem, potest illum amare.

4. Ex dictis sequitur, in Christo fuisse habitum spei. Quamuis enim non indiguerit illo habitu, ad eliciendum actum desiderandi aut sperandi circa Deum; indiguit tamen ad eliciendos alios actus, de quibus dictum est.

Quæres, an Christus habuerit etiam aliquẽ actum virtutis spei circa alias res extra Deum & visionem beatificam? Respondeo. Habuit actum desiderij & spei circa gloriam corporis, vt docet D. Thom. loco citato. Ratio est, quia potest aliquis desiderare & sperare bonum, quod nondum habet; At Christus ante resurrectionem non habuit gloriam sui corporis: Ergo tunc potuit illam desiderare & sperare. An autem hic actus fuerit elicitus ab habitu spei Theologicæ, disputari solet. Vide quę dicta sunt in tractatu de Spe quæst. 2.

QVÆSTIO IX.

An in Christo fuerit Virtus pœnitentiæ?

1. NEgant plerique Theologi in 4. dist. 14. Ratio est, quia pœnitentia supponit peccatum: At Christus numquam peccauit. Ergo. Respondeo cum distinctione.

2. Si per pœnitentiam intelligatur virtus specialis, cuius vnicus & adęquatus actus sit, dolere & satisfacere Deo pro peccato à se commisso; tunc

certum est, Christum non habuisse talem virtutem, quia cum non potuerit peccare, non potuit etiam dolere aut satisfacere pro peccato à se commisso.

3. Si vero per pœnitentiam intelligatur aliqua virtus, cuius actus sit, detestari peccatum, à quocunque commissum sit, & velle pro illo satisfacere, ac diuinam offensam compensare; tunc certum est, Christum habuisse talem virtutem. Potuit enim detestari peccatum variis modis. 1. quatenus est contra diuinam bonitatem. 2. quatenus contra cultum Deo debitum. 3. quatenus contra diuinam iustitiam. Primo modo per charitatem. Secundo, per religionem. Tertio, per iustitiam. Sed de hac re plura in materia de pœnitentia.

QVÆSTIO X.

An in Christo fuerint dona Spiritus Sancti?

1. CERTVM est, hæc dona aliquo modo fuisse in Christo, quia Isaias cap. 11. 2. aperte id testatur his verbis: *Requiescit super eum Spiritus Domini; Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Ex quo loco colligunt Theologi, septem esse dona Spiritus Sancti, quorum quatuor pertineant ad intellectum, vt sapientia, scientia, intellectus, & consilium: reliqua tria ad voluntatem, vt timor, pietas, & fortitudo.

2. Non tamen certum est, quomodo, & quo sensu fuerint hæc dona in Christo. Hoc enim pendet ex illa quæstione, An dona Spiritus Sancti distinguantur à virtutibus Theologicis & moralibus? Affirmant D. Thomas in 1. 2. quæst. 68. art. 1. & 3.

Bonauentura in 3. distinct. 39. art. 1. quæst. 1. & Richardus ibidem, qui asserunt hoc esse discrimen, quod virtutes perficiant hominem, vt aptus sit moueri & duci à recta ratione: dona vero, vt facile & prompte moueatur ab inspiratione Diuina. Alij contra asserunt, hæc dona non esse habitus distinctos à Virtutibus; sed esse peculiares operationes Virtutum. Ita Scotus in 3. dist. 34. quæst. vnica. Gabriel ibidem art. 2. Almainus tract. 3. moralium c. 23. Sed hæc quæstio pertinet ad 1. 2. quæst. 68.

CAPVT IX.

De Scientia Christi.

DIVVS Thomas quæst. 9. 10. 11. & 12. docet in Christo, præter scientiam increatam, fuisse triplicem creatam. 1. Scientiam visionis beatificæ. 2. Scientiam infusam. 3. Scientiam acquisitam. De his agam hoc ordine. 1. An Christus secundum humanitatem intellexerit aliquid per scientiam increatam? 2. An ab instanti conceptionis habuerit visionem beatificam? An etiam habuerit scientiam infusam, distinctam à visione beatifica? 4. Qualis fuerit hæc scientia infusa? 5. Quomodo Christus ea sit vsus? 6. An habuerit etiam aliquam scientiã acquisitam? 7. An Christus per aliquam illarum scientiarum cognouerit omnes creaturas possibiles? 8. An omnia præterita, præsentia, & futura?

QVÆSTIO I.

An Christus intellexerit aliquid per scientiam increatam?

1. SEnsus est, an intellectus vel anima Christi potuerit formaliter intelligere per ipsam actualem cognitionem increatã Dei? Affirmant Hugo de S. Victore; tomo 3. suorum operum, in libro de Sapientia animæ Christi, vbi asserit, animam Christi esse sapientem & intelligentem per sapientiam & scientiam increatam Dei, quæ ipsi substantialiter communicata sit, per vnionem hypostaticam. Vnde infert, animam Christi omnia scire, quæ Deus scit; Nihilominus tamen animam Christi non ita esse sapientem & scientem, sicut est Deus. Nam licet vterque sit sapiens & sciens per sapientiam increatam, hoc tamen interesse, quod Deus habeat illam Sapientiam per naturam; Anima Christi per gratiam. Hinc vlterius fieri, vt Deus non tantum sapiat per sapientiam increatam, sed etiam sit ipsa sapientia increata. Anima autem Christi, sapiat quidem per sapientiam increatam, non tamen sit ipsa sapientia increata. Vide Vasquez disp. 50. cap. 1.

2. Hæc sententia Hugonis probatur 1. quia non implicat, 2. quia essentia Diuina tam vere ac formaliter est actus intelligendi, quam vere ac formaliter est obiectum intelligibile: Ergo sicut per seipsam potest esse obiectum intelligibile respectu intellectus creati; ita etiam per seipsam potest esse actus intelligendi. 3. quia anima Christi per vnionem cum Verbo potuit sanctificari & subsistere; Ergo etiam potuit intelligere. Nam si persona Verbi potest per seipsam supplere actum subsistendi & sanctificandi; cur non etiam actum intelligendi?

3. Conclvsio. Anima Christi nihil potuit formaliter intelligere per scientiam increatam Dei. Ita D. Thom. quæst. 9. art 1. ad primum, & Scholastici in 3. dist. 14. Et colligitur ex Epistola Agathonis Papæ in 6. Synodo, vbi probat, in Christo non posse vnam operationem vtriusque naturæ, quia impossibile est propriam operationem vnius naturæ, fieri operationem alterius. Idem docet Ambrosius lib. 2. de Fide cap. 4. Damascenus lib. 3. cap. 13. Leo Papa Epistola 10. ad Flauianum. Ratio duplex est: Vna, quia intellectio est actio vitalis respectu intelligentis. (vel enim est ipsa substantialis vita intelligentis, per modum actionis significata, vt in Deo: Vel est vera actio vitaliter procedens ab intelligente, vt in nobis.) Ergo impossibile est, animam Christi intelligere per intellectionem increatam; quia intellectio increata non est actio vitalis respectu animæ intelligentis; cum nec sit substantialis vita animæ, nec actio vitaliter procedens ab anima. Altera, quia falsum est, sapientiam Dei increatam, quæ est communis tribus personis, substantialiter & immediate communicatam esse animæ Christi. Sola subsistentia Verbi substantialiter & immediate illi communicata est.

4. Hinc facile respondetur ad argumenta cõtraria. Ad 1. Implicat, sapiẽtiã Dei increatã ĩmediate & substãtialiter cõmunicari animæ Christi, & animã Christi per illã formaliter intelligere. Ad 2. Negatur cõsequentia, quia non est simile de obiecto intelligibili & de intellectione. Nã intellectio debet esse vitalis actio ipsius intelligẽtis. At nõ necesse est, vt obiectũ intelligibile sit aliquid vitale respectu intelligentis.

Itaque anima Christi potest intelligere obiectum increatum; Non tamen potest intelligere per

intellectionem increatam. Ad 3. Negatur etiam consequentia, propter eandem rationem. Non enim necesse est, vt sanctificatio, aut subsistentia sit vitalis respectu animæ sanctificatæ aut subsistentis. Est tamen necesse, vt intellectio sit vitalis, respectu animæ intelligentis.

QVÆSTIO II.

An Christus ab instanti conceptionis habuerit visionem beatificam?

1. CIrca visionem beatificam, quædam sunt communia Christo, Angelis & hominibus beatis: Quædam possunt esse Christo propria. Communia sunt. 1. An lumen gloriæ sit necessarium ad claram Dei visionem? 2. An ad eandem effectiue concurrat essentia Diuina, per modum speciei intelligibilis? 3. An essentia Diuina possit videri, sine personis, aut vna persona sine alia? 4. An aliquæ creaturæ videantur in essentia Diuina vi visionis beatificæ? 5. An essentia Diuina per visionem beatificam possit comprehendi? Hæc & similia petenda sunt ex 1. parte cap. 9. Propria huius loci sunt hæc duo. 1. An Christus ab instanti conceptionis habuerit claram & intuitiuam Dei visionem, quam beatificam appellamus? 2. An per eam clarius & perfectius videat Deum, quam alij beati?

2. PRIMA CONCLVSIO. Christus secundum humanitatem habuit claram Dei visionem ab instāti conceptionis. Ita Diuus Thomas quæst. 34. art. 4. & alij passim. Ratio est, quia constat illum habuisse hanc visionem ante mortem: sed tota ratio, cur illam

habuerit ante mortem, fuit vnio hypostatica: Ergo cum hæc ratio fuerit in illo ab instanti conceptionis, dicendum est, ipsum habuisse visionem Dei ab instanti conceptionis. Maior patet ex illo Ioan. 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Vbi verbum *ascendit* est præteriti temporis, quo significabat Christus, se iam ascendisse in cœlum; quod non potuit esse verum de ascensu corporali, sed de spirituali per visionem beatificam. Idem colligitur ex illo Ioan. 12, 26. *Si quis mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Et cap. 17. 24. *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Ex his & similibus locis constat, Christum, cum hęc diceret, fuisse in statu beatitudinis, ad quē optabat venire etiā Apostolos. Vnde concludo, semper eum fuisse in eo statu ab instanti conceptionis, quia nulla est ratio, cur nunc fuerit, & antea non fuerit.

3. Dices, Non videtur fuisse in illo statu, nisi post mortem & passionem, vt colligitur ex illo Lucæ 24. 26. *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Et Ioan. 17. 4 *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam: Et nunc, clarifica me tu Pater.* Respondeo. Hęc intelliguntur de gloria corporis, & de gloriosa sessione ad dexteram Dei Patris, non autem de gloria animæ, quæ in clara visione consistit. Vide Cyrill. lib. 11. in Ioann. cap. 17.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Christus clarius & perfectius videt Diuinam essentiam, quam vllus hominum aut Angelorum. Ita D. Thomas quæst. 10. art. 4 Et colligitur ex illo Eph. 1. 20. *Suscitās eū à mortuis, &*

constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum & potestatem. Et Coloss. 1.18. *Vbi sit ipse in omnibus primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Ratio est, quia ipse est Filius Dei naturalis; reliqui sunt adoptiui: Ergo illi data est perfectior hæreditas, quàm reliquis. Hinc illud Heb. 1.4. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præillis nomen hæreditauit.*

5. Quæres, An Christus perfectius videat essentam diuinam, non solum quam singuli beati, sed quam omnes simul sumpti? Respondeo. De hac re nihil definiri potest. Hoc constat, tantam esse visionem in ipso, quanta est gratia habitualis. Hæc autem, vt supra dixi, est proportionata vnioni hypostaticæ. Vide D. Thomam quæst. 7. art. 12.

QVÆSTIO III.

An Christus habuerit scientiam infusam, distinctam à visione beatifica?

Duo certa sunt. 1. Christum à principio conceptionis multa cognouisse, quæ naturaliter non poterat cognoscere, vt patet ex illo Hebr. 10. 5. *Ideo ingrediens mundum, dicit, Hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi; Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Vbi Apostolus diserte ait, Christum in primo ingressu in hunc mundum, siue in instanti conceptionis, cognouisse, Deum non velle placari humano generi per Sacrificia Mosaica, sed per cruentam ipsius mortem & passionem. Et ipsum hãc Dei voluntatem acceptasse, ac se in spontaneum sacrifi-

cium obtuliſſe.

2, Deinde certum eſt, eundem ante annum ætatis duodecimum habuiſſe cognitionem quorundam myſteriorum, quæ non didicerat ab hominibus, ſed acceperat à Deo, vt colligitur ex illo Luc. 2.40. *Puer autem creſcebat, & confortabatur plenus ſapientia: Et gratia Dei erat in illo.* Vnde etiam cum factus eſſet duodecim annorum, diſputabat cum Doctoribus, qui *ſtupebant ſuper prudentia & reſponſis eius*, vt habetur ibidem v. 47.

3. His poſitis, quæſtio eſt, an à principio conceptionis hæc omnia cognouerit per ſcientiã aliquam infuſam, & diſtinctam à ſcientia viſionis beatificæ?

4. Prima conclvsio. In Chriſto, præter ſcientiam viſionis, fuit alia ſcientia ſupernaturaliter infuſa. Ita D. Thomas quæſt. 9. art. 3. & tota q. 11. Bonauentura, Richardus, Scotus, Durandus, & plures alij in 3. diſt. 14. Hęc concluſio facile probatur in ſententia eorum, qui docent creaturas non videri in Deo, vi viſionis beatificæ, quod etiam nos docuimus in 1. parte cap. 9. quæſt. 13. Nam ſi ita eſt, aperte ſequitur, Chriſtum pręter viſionem beatificam, qua clare videbat Diuinam eſſentiam, habuiſſe aliam ſcientiam à Deo infuſam, per quam cognouerit myſteria creata, de quibus dictum eſt, & multa alia, de quibus infra dicetur. At in ſententia eorum, qui putant creaturas videri in eſſentia Diuina per viſionem beatificam, non facile probari poteſt. Aliqui conantur probare ex teſtimoniis iam citatis, ſed fruſtra. Nam ſi verũ eſt, quod ipſi contẽdunt, Chriſtum, vi viſionis beatificæ cognouiſſe creaturas

in Deo, non potest conuinci, necessariam illi fuisse scientiam infusam, distinctam à visione beatifica, per quam cognouerit creaturas.

5. Alij probant ex illo Ioan. 3. 11. *Amen amen dico vobis, quia quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur.* Item ex illo Ioan. 8. 26. *Qui misit me, verax est: Et ego, quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.* Sed hæc, & similia possunt etiam exponi de scientia visionis, si semel concedamus, per illã videri creaturas in Deo.

6. Alij probant ex Isaia cap. 11. v. 2. vbi dicit, in Christo fuisse septẽ dona Spiritus Sancti. At ex illis donis quatuor pertinent ad intellectũ, nempe donum sapientiæ, scientiæ, intellectus, & consilij: Ergo præter scientiam visionis, necesse est ponere aliam scientiam in intellectu Christi, quæ sit donum Spiritus Sancti. Hæc probatio procedit ex sententia D. Thomæ, qui docet dona Spiritus Sancti esse habitus distinctos à virtutibus.

7. SECVNDA CONCLVSIO. Christus per scientiam infusam multa cognouit. 1. Obiecta naturalia, quæ virtute intellectus agentis per scientias humanas possunt cognosci. 2. quæ pertinent ad naturalem scientiam Angelorum 3. occultas cogitationes cordium. 4. futura contingentia. 5. omnia mysteria supernaturalia creata. Et quidem, quod hæc omnia cognouerit, partim constat ex Scripturis, partim ex eo, quod ratione officij debuerit hæc omnia cognoscere. Cum enim esset caput hominum & Angelorũ, præsertim quoad gubernationem & illuminationem, necesse fuit vt ea omnia cognosceret quæ ad commodam illorum gubernationem & illuminationem erant cognitu necessaria.

8. Quod autem cognouerit hæc per scientiam infusam

Non enim potuit illa omnia cognoscere per scientiam acquisitam, vt per se patet: vel ergo per visionem beatificam, vel per sciẽtiam infusam: At probabile est, non cognouisse omnia per visionem beatificã, alioqui superflua videretur scientia infusa. Ergo.

9. Quæres 1. An per eandem scientiam infusam potuerit cognoscere Deum? Respondeo. Potuit: Non quidem intuitiue, sed tamen abstractiue. Ratio est, quia per scientiam infusam quidditatiue cognouit creaturas, vt iam dixi: Sed creaturæ non possunt quidditatiue cognosci, nisi cognoscatur earum dependentia à Deo, tanquam à prima causa: Ergo Christus per scientiam infusam quidditatiue cognoscendo creaturas, simul abstractiue cognouit Deum, à quo essentialiter dependent creaturæ.

10. Quæres 2. An per eandem potuerit cognoscere mysterium Trinitatis? Respondeo. Potuit per illam cognoscere, Trinitatem esse. Ratio est, quia per illam quidditatiue cognouit res supernaturales, vt dixi; Ergo quidditatiue cognouit assensum fidei supernaturalem, quo credimus Trinitatem esse: Et similiter assensum illum esse verum & infallibilem. Ex quo euidenter potuit concludere, verum esse ac infallibile, quod Deus sit Trinus.

11. Dices 1. Assensus fidei de existentia Trinitatis, nulli alteri repræsentat Trinitatem, nisi illi, in quo est assensus: sed in Christo non erat assensus fidei circa Trinitatem: Ergo non potuit illi repręsentare Trinitatem: Respondeo. Assensus fidei potest dupliciter spectari. 1. quatenus est actus vitalis, quo quis assentitur Trinitati: & sic vera est Maior propositio. 2. quatenus est obiectũ cognitũ, ex cuius cognitione possumus deuenire in alterius cognitionem.

sic falsa est maior: Nam Christus quidditatiue cognouit assensum Fidei circa Trinitatem, qui est in Petro: Et ex illo assensu quidditatiue cognito, potuit deuenire in euidentem cognitionem existentiæ Trinitatis.

12. Dices 2. Assensus fidei est obscurus, & obscure repręsentat existentiam Trinitatis: Ergo ex illo cognito non potest euidenter cognosci existentia Trinitatis. Respondeo per similem distinctionem. Nam assensus fidei, quatenus est actus vitalis in Petro vel Paulo existens, obscure repręsentat illi Trinitatem: Quatenus vero est obiectum quidditatiue ab alio cognitum, potest esse medium aptum, ex quo ille per discursum euidenter colligat, verum esse, quod per talem assensum repręsentatur. Christus ergo, qui per scientiam infusam quidditatiue cognoscebat assensum fidei in aliis existentem, poterat sic ratiocinari: Quidquid hic assensus fidei supernaturalis obscure repręsentat, necessario debet esse verum: sed obscure repræsentat, Deum esse Trinum: Ergo hoc necessario debet esse verum: Hæc Conclusio euidenter infertur ex pręmissis: Ergo qui infert hãc conclusionẽ, euidẽter cognoscit, Trinitatẽ esse.

QVÆSTIO IV.

An scientia Christi infusa sit supernaturalis?

1. DVo spectari possunt in scientia infusa. Vnum ex parte obiecti, nẽpe species infusæ, quæ repręsentent ea omnia, quę diximus à Christo cognosci per scientiam infusam. Alterũ ex parte intellectus, nẽpe lumẽ aliquod infusum, quo intellectus eleuetur & corroboretur, vt possit vti speciebus infusis, &

per illas obiecta cognoscere. Est ergo duplex quęstio. Vna, an hę species infusę sint supernaturales in substantia, & per se infusæ? Altera, an pręter species infusas, requiratur etiam lumen infusum, quod sit distinctum à lumine gloriæ?

2. PRIMA CONCLVSIO. Quædam species infusæ sunt supernaturales in substantia; quædam naturales. Ratio est, quia quædam repræsentãt obiecta naturalia, quædã supernaturalia. Nam vt supra dixi, Christus per scientiam infusam non solum cognouit mysteria supernaturalia, sed etiam res naturales, quę ab homine vel Angelo naturaliter cognoscuntur. Igitur species infusæ, quæ huiusmodi res naturales repræsentant, sunt naturales, quoad substantiam. Hoc addo, quia quoad inhærentiam in subiecto, sunt supernaturales. Superant enim exigentiam naturæ humanæ; nec ab homine per vires naturæ acquiri possunt. Hoc patet 1. de iis speciebus, quæ intuitiue repræsentant naturam Angelicam. 2. De iis, quæ repræsentant occultas cogitationes cordium. 3. De iis, quæ repræsentant futura contingentia. Nã huiusmodi species, tametsi repręsẽtẽt obiecta ordinis naturalis, nõ tamẽ naturaliter acquiri possunt ab homine: Et ideo, nõ per accidẽs, sed per se infusę sũt.

3. Dices, Christus præter has, habuit etiam alias species infusas, quæ naturaliter acquiri possunt; cuiusmodi sunt species, quæ repræsentant res sensibiles & corporales, vt hominem, bouem, plantam, lapidem: Ergo saltem illæ non sunt per se infusæ, neque supernaturales quoad inhærentiam in subiecto. Respõdeo. Sunt etiam tales: Et multum differũt ab iis, quæ naturaliter acquiruntur. Ratio est, quia perfecte & intuitiue repræsentant res corporeas

& sensibiles, sicut species Angelicæ; Quod nõ faciũt species naturaliter à nobis acquisitæ. Vnde sicut nostræ species acquisitę essentialiter differunt à speciebus Angelicis, ita etiam à speciebus Christo infusis.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Scientia Christi infusa, præter species infusas ex parte obiectorum, includit etiam habitum luminis infusi, quo intellectus iuuatur ad perfectum vsum prædictarum specierum. Ita D. Thomas, Bonauentura, Richardus in 3. dist. 14. & Suarez disp. 29. sect. 2. Ratio est, quia intellectus per solam vim naturalem non est sufficiẽs intelligere mysteria supernaturalia, occultas cogitationes, & futura contingentia : Ergo debet iuuari & eleuari per aliquod lumen supernaturale.

5. Dices, Satis iuuatur & eleuatur per infusas species. Respondeo. Species tenent se ex parte obiecti, non ex parte intellectus. Patet in simili. Nam ad visionem beatificam non satis est, essentiam diuinam concurrere per modum obiecti, sed prętera requiritur, vt intellectus eleuetur & roboretur per lumen gloriæ. Idem patet in voluntate. Quamuis enim obiectum supernaturale sufficienter illi proponatur per supernaturalem cognitionem, non tamen potest circa illud operari, nisi eleuetur per habitum vel auxilium supernaturale. Ratio communis est, quia ad intellectionem eliciendam concurrunt duę causæ partiales, nempe intellectus, & obiectum. Hæ autem causæ partiales habent distinctam efficientiam, & vtraque debet in suo genere esse perfecta. Vnde non sufficit, si species obiecti ex sua parte sit perfecta & sufficiens, nisi etiam intellectus ex sua parte habeat vires sufficientes & proportionatas.

6. Quæres 1. An ad scientiam Christi infusam suf-

ficiat vnus ac simplex habitus luminis infusi? Bonauentura putat duplicem requiri. Ratio est, quia scientia infusa versatur circa duplicia obiecta, quorum quædam sunt naturalia; quædam supernaturalia: Ergo debet esse duplex lumen. Non enim sufficit lumen vnius ordinis ad cognoscenda obiecta diuersorum ordinum. Respondeo. Probabilius est, vnicum sufficere. Nam sicut vnum & idem lumen fidei versatur circa res omnes, tam naturales, quam supernaturales, quatenus altiori modo per illud lumen manifestantur: Et sicut idem lumen intellectus humani versatur circa res sensibiles, & intelligibiles: Et idem habitus charitatis circa Deum & proximum: ita fieri potest, vt idem lumen infusum sufficienter eleuet intellectum ad intelligenda illa omnia, quæ per diuersas species repræsentantur.

7. Quæres 2. An hoc lumen scientiæ infusæ sit distinctum à lumine gloriæ? Respondeo. Si hoc lumen esset duplex, alterum circa naturalia obiecta, alterum circa supernaturalia, vt probabiliter putat Bonauentura; tunc consequenter dici posset, alterum illorum distingui à lumine gloriæ, alterum non distingui. Si autem lumen scientiæ infusæ sit tantum vnicum, merito quæri potest, an distinguatur à lumine gloriæ? Aliqui recentiores negant distingui. Ratio est, quia si lumen gloriæ potest esse sufficiens ad cognoscendum Deum intuitiue, multo magis ad cognoscenda alia: Ergo non opus est distincto lumine.

8. Hæc sententia probabilis est. Si tamen dicamus cum aliis, lumen gloriæ, quod requiritur ad visionem beatificam, respicere essentiam diuinam, tãquam obiectum suum adæquatum, & ad solam

essentiam diuinam intuitiue videndam ex natura sua ordinari, consequenter dicendum esset, lumen scientiæ infusæ distingui à lumine gloriæ. Sed de hoc alibi.

QVÆSTIO V.

Quomodo Christus fuerit vsus hac scientia infusa?

1. TRia quæri possunt de vsu huius scientiæ. 1. An Christus potuerit illa vti sine conuersione ad phantasmata? 2. An sine discursu? 3. An sine vlla interruptione?

2. PRIMA CONCLVSIO. Christus potuit vti scientia infusa sine conuersione ad phantasmata, & sine dependentia à concomitante operatione phantasiæ. Ita D. Thomas quæst. 11. art. 2. Ratio est, quia species per se infusæ non pendent à phantasia, sicut species acquisitæ: Ergo Christus potuit illis vti independenter à phantasia. Quæres, An potuisset etiam vti cum dependentia à phantasia? Respondeo Negatiue, quia non potuit facere, vt species infusæ, quæ ex natura sua sunt independentes ab operatione phantasiæ, indigeant concursu phantasiæ.

3. Dices. D. Thomas art. 2. ad 3. contrarium docet, asserens animam Christi vtroque modo potuisse intelligere; & dependenter à phantasmate, & independenter. Respondeo. Hoc verum est, sed diuerso sensu. Potuit intelligere independenter à phantasmate per scientiam infusam, & dependenter per scientiam acquisitam. Quod non negamus. Solum asserimus, non potuisse vtroque modo intelligere per scientiam infusam.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Christus potuit vti scientia infusa in cognitione causarum & effectuum, sine vllo discursu. Ita D. Thom. quæst. 11. art. 3. Ratio est, quia habuit proprias species causarum & effectuum, quibus intuitiue & quidditatiue poterat illa videre, & quasi vnico intuitu contemplari; Ergo circa illa non indigebat vllo discursu.

5. Quæres, An saltem potuerit vti discursu? Aliqui negant. Ratio est, quia nullus potest esse discursus circa obiectum per se notum: Sed illud, quod per propriam speciem infusam intuitiue repræsentatur, est per se notum: Ergo circa illud non potest esse discursus. Respondeo cum distinctione. Christus non potuit vti discursu circa res creatas, quando vtebatur propriis earum speciebus, vt bene probatum est. Si tamen vsus fuisset alienis speciebus, potuisset vti discursu; vt si ex causa cognita per propriam speciem, voluisset inde cognoscere aliquos effectus, non per proprias illorum species, sed per speciem causæ, quæ est aliena respectu effectuum.

6. Hinc vlterius colligitur, Christum per discursum potuisse cognoscere perfectiones diuinas, quarum non habebat proprias species, sed tantum alienas. Nam cognoscendo intuitiue & quidditatiue effectum aliquem creatum per propriam speciem, poterat per discursum cognoscere potentiam, vel sapientiam, vel similes Dei creatoris perfectiones.

7. Nota. Aliud est, ex effectu aliquo creato cognoscere perfectiones Dei creatoris, quod fit per discursum, vt dixi. Aliud, cognoscere, Deum esse, quod fit sine discursu. Nam si quis perfecte & intuitiue cognoscat effectum aliquem Dei, eodē actu necessario cognoscit omnia quę pertinēt ad essentiam

illius effectus : Ergo necessario cognoscit essentialem & actualem dependentiam illius à prima causa : Ergo cognoscit, esse aliquam primam causam: Ergo per illam intellectionem format vnum conceptum connotatiuum, qui quidditatiue & intuitiue repræsentat effectum, & simul abstractiue existentiam primæ causæ, à qua dependet effectus. Quod autē hoc non fiat per duos actus, sed per vnum cōnotatiuum, probatur, quia si essent duo actus distincti, sequeretur effectum posse cognosci quidditatiue & intuitiue cum actuali dependentia à prima causa, & tamen non cognosci existentiam primæ causæ abstractiue. Hoc autem est impossibile. Sequela patet, quia si essent duo actus distincti, posset Deus præbere concursum ad priorem, & negare ad posteriorem : Et tunc cognosceretur effectus cum actuali dependentia à prima causa, & tamen non cognosceretur existentia primæ causæ, quod implicat.

8. TERTIA CONCLVSIO. Christus potuit vti scientia infusa sine interruptione, ita vt semper potuerit esse in actuali vsu illius scientiæ, sine vllo impedimento, si voluit. Colligitur ex D. Tho. quæst. 11. art. 5. Ratio est, quia nec poterat impediri per visionem beatificam, nec per phantasiā aut infirmitatem corporis. Prior pars patet, quia si per visionem beatificam nō cognouit creaturas, sed solum Deum, vt aliqui docent; tunc visio non potuit impedire, quo minus per scientiam infusam cognosceret creaturas. Si autem per visionem cognouit etiam creaturas, cū illa visio nunquam fuerit interrupta; necessario sequitur, aut nunquam potuisse vti scientia infusa, aut semper potuisse vti. Non prius: Ergo posterius. Altera pars probatur, quia sciētia infusa fuit indepēdēs

à phantasia & sensibus corporeis, vt supra dictum est Ergo ex hac parte non potuit impediri.

9. Quæres, An Christus reipsa semper fuerit in actuali vsu huius scientiæ? Et, si fuit, an omnia, an tãtũ aliqua obiecta considerauerit? Et, si aliqua, quomodo se duxerit ad actum considerandi reliqua? Respondeo. De his nihil certi statui potest. Vide Suarez disp. 28. sect. 1.

Qvæstio VI.

An Christus per actus suos acquisiuerit aliquam scientiam?

1. Duo certa sunt. 1. Quod à rebus sensibilibus occurrentibus acquisiuerit species sensibiles & intelligibiles, quæ naturaliter acquiri solent. 2. Quod mediantibus huiusmodi speciebus, acquisiuerit etiam actualem notitiam experimentalem, non modo sensitiuam, sed etiam intellectiuam. At quæstio est, an vlterius etiam per proprios actus acquisiuerit sciẽtias habituales & discursiuos circa res Physicas, Metaphysicas, morales, & mathematicas, sicut nos studio & industria acquirimus? Duę sunt opiniones probabiles.

2. Prior est, Christum non acquisiuisse huiusmodi scientias, sed eas ab initio fuisse illi infusas. Ita Diuus Thom. in 3. distinctione 14. articulo 3. quæstiuncula 3. & 4. Durandus ibidẽ quæstione 4. & aliqui recentiores. Probatur 1. ex Patribus, qui exponentes illud Lucæ, versu 52. *IESVS proficiebat sapientia & ætate*, dicunt esse intelligendum, non quod vere ac reipsa profecerit in sapientia; sed ostensione, & opinione hominum, quia scilicet paulatim faciebat quædam

opera, quæ maiorem ipsius sapientiam ostendebant coram hominibus. Ita Origenes, Nazianzenus, Basilius, Theophylactus, Damascenus, & alij, quos citat & sequitur Maldonatus in cap. 2. Lucę, versu 40. Secundo probatur à simili, quia virtutes morales, vt iustitia, mansuetudo, temperantia, quę naturaliter ex actibus honestis possunt generari, non fuerunt à Christo acquisitæ, sed à Deo infusæ: Ergo idem sentiendū est de Virtutibus intellectualibus, cuiusmodi sunt scientiæ discursiuæ, vt Physica, Metaphysica, Moralis, Mathematic.

3. Posterior est, Christum per proprios actus acquisiuisse scientias humanas, de quibus dictum est; Et quidem eiusdem generis cum illis, quas nos studio & industria acquirimus: Non tamen circa res illas, quas prius ignorauerit, sed quas antea perfectiori modo per scientiam infusam cognoscebat. Ita D. Thomas q. 9. art 4. & q. 12. art. 2. Vbi expresse retractat sententiam, quam tradiderat in libris sententiarum, Capreolus in 3. dist. 14. Maior. ibidem quæst. 5. Valentia tomo 4. quæst. 9. puncto 2.

4. Hæc sententia continet duas partes. Alterā contra Authores prioris opinionis, qui negant scientiam acquisitam in Christo: Alteram cōtra Lutheranos & Caluinistas, qui quidem concedunt scientiam acquisitam, sed ita tamen, vt dicant in Christo præcessisse ignorantiam multarum rerum, quas postea cognouerit, vel per scientiam acquisitam: vel per reuelationem. Contra hos agendum est quæst. 8. Prior pars, quæ est huius loci, probatur ex illo Lucę 2. 52. *IESVS proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Quamuis enim supradicti Patres interpretentur, Christum non vere ac reipsa, sed osten-

sione ac opinione hominum profeciſſe in ſapientia; tamen ipſa verba videntur ſignificare verum profectum. Et multi alij Patres ſic explicant, vt Athanaſius, Epiphanius, Cyrillus, Fulgentius, Beda, & Euthymius apud Maldonatum loco citato.

5. Et confirmatur ex ipſo textu. Primo, quia dicit Chriſtum profeciſſe *apud Deum & homines*. Si apud Deum; Ergo vere profecit, non tantum opinione hominum. Secundo, quia dicit illum eodem modo profeciſſe ſapientia & gratia, quo profecit ætate: ſed vere profecit ætate: Ergo etiam vere profecit ſapientia & gratia, id eſt, operibus quæ apta ſunt animam gratam facere, ſi fiant a puro viatore.

6. Accedit ratio D. Thomæ, quia, Chriſtus fuit perfectus homo; Ergo potuit exercere operationes proprias humanæ naturæ: ſed acquiſitio ſcientiarum eſt operatio maxime connaturalis humanæ naturæ: Ergo non debet Chriſto negari, præſertim cum nulla ſit neceſſitas, vel ratio negandi. Dices, ratio negandi poteſt eſſe, quia habuit ſcientiam infuſam, ac proinde non fuit opus illam acquirere. Reſpondeo. Hoc vertitur in quæſtionem, an habuerit talem ſcientiam infuſam, quæ proprio labore acquiri poteſt. Nam ſi acquiri poteſt, & magis eſt ex dignitate Chriſti, acquirere illam proprio labore, quam per infuſionem; cur negemus ita factum eſſe, præſertim cum Scriptura faueat?

Pro hac poſteriori ſententia tria notanda ſunt. Primum eſt, quod eadem ſit difficultas de virtutibus moralibus, quæ eſt de ſcientiis. Nam ſi aſſerimus Chriſtum acquiſiuiſſe ſcientias humanas, poſſumus etiam aſſerere, acquiſiuiſſe Virtutes morales. Et viciſſim, ſi dicimus has infuſas eſſe, licet

bit idem de illis affirmare.

8. Alterum est, quod scientia Christi acquisita (posito quod aliquam acquisiuerit) multum differt à scientia infusa. 1. quia Christus plura cognouit per infusam. 2. quia tametsi quædam cognosceret per vtramque; tamen perfectius & euidentius per infusã, quam per acquisitam. 3. quia infusa vtebatur sine conuersione ad phantasmata.

9. Tertium est, quod Christus potuerit citius & perfectius acquirere scientias humanas, quã nos possumus. 1. propter præstantiam ingenij & iudicij. 2. quia per infusam scientiã cognoscebat omnes modos vtendi speciebus acquisitis: Quomodo nimirũ species acquisitæ deberent cõiungi ad assensum primorũ principiorũ, & quomodo applicari ad cõclusiones inferendas. 3. quia in his omnibus non poterat decipi, propter subsidium scientiæ infusæ. Vnde ipse sibi erat Magister.

QVÆSTIO VII.

An Christus per aliquam scientiam cognouerit omnes creaturas possibiles?

1. NOn est quæstio de scientia increata, sed de creata. Hæc triplex est, vt dixi. 1. scientia visionis. 2. scientia infusa. 3. scientia acquisita. Constat, per scientiam acquisitam nõ cognouisse omnes creaturas possibiles. Quæstio est, an cognouerit per scientiam visionis, aut per scientiam infusam?

2. Aliqui putant, per alterutram cognouisse, vt Magister in 3. dist. 14. Albertus ibidem art. 1. Durandus quæst. 2. Probatur 1. ex illo Coloss. 2. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondit.* Vbi Chrysostomus hom. 5. affirmat, Christum omnia scire, &

nihil ignorare. Si autem non cognosceret omnes creaturas possibiles, iam aliquid ignoraret.

3. Secundo probatur ex illo Ioan. 3. 34. *Quem misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* Hoc intelligi debet de spiritu sapientiæ & scientiæ, qui datus est Christo sine mensura. At si Christus non cognosceret omnes creaturas possibiles, sed aliquas ignoraret, iam datus esset illi Spiritus ad mẽsuram, quod tamen negat Scriptura. Vide Fulgentium in libro ad Ferrandum, vbi vtrumque locum in hunc sensum interpretatur.

4. Tertio, accedit ratio, quia non implicat contradictionem. Imo Durandus putat, non solùm Christũ, sed omnes beatos videre omnes creaturas possibiles in essentia Dei clare visa. Ratio, est quia qui clare & intuitiue videt Diuinam essentiam, necessario videt omnia, quæ in ea necessario repræsentantur. Sed omnes creaturas possibiles necessario repræsentantur in essentia Diuina: Ergo qui videt essentiã Diuinã, necessario videt omnes res possibiles.

5. Alij contra sentiunt, Christum nõ cognoscere omnes creaturas possibiles neq; per visionem beatificam in essentia Diuina, neque per scientiam infusam in proprio genere. Ita Diuus Thomas, & ipsius interpretes quæst. 10. 2. Ratio prioris partis est, quia si in essentia Diuina cognosceret omnes creaturas possibiles, iam comprehenderet essentiam Diuinam, quod fieri non potest. Ratio posterioris, quia non cognoscit plura per scientiam infusam, quam per scientiam visionis: Si ergo per hanc non cognoscit omnia possibilia, neque per illam cognoscet.

6. Prior ratio dupliciter explicatur. 1. Ex parte luminis gloriæ, quia ad videndas aliquas creaturas in Deo, requiritur aliquod lumen: Ergo ad videndas plures, requiritur plus luminis: Ergo ad videndas infinitas requiritur infinitum lumen. At creaturæ possibiles sunt infinitæ: Ergo ad eas videndas opus est infinito lumine. Sed per lumen infinitum essentia diuina comprehenderetur: Ergo. 2. ex parte obiectorum, quia is dicitur rem aliquam comprehendere, qui cognoscit omnia quæ in illa re sunt, tam formaliter, quàm eminenter, ita vt nihil eum lateat. Sed qui in essentia diuina videret omnes res possibiles, videret omnia quæ sunt in ea formaliter & eminenter, & nihil eum lateret: Ergo essentiam diuinam comprehenderet.

7. Sed neutro modo conuincit hæc ratio. Non priori, 1. quia potest retorqueri hoc modo: Ad videndam rem perfectam requiritur aliquod lumen: Ergo ad videndam rem perfectiorem requiritur plus luminis: Ergo ad videndam rem infinite perfectam requiritur infinitum lumen: At Deus est infinite perfectus: Ergo ad videndum Deum requiritur infinitum lumen. Hic discursus est similis priori. Si ergo hic vitiosus est, & ille erit.

Deinde, etiam si demus, lumen gloriæ esse infinitum intensiue; non tamen sequitur in sententia D. Thomæ Deum comprehendi per infinitum lumen. Nam ad comprehensionem, secundùm D. Thomam, requiritur vt res tã perfectè cognoscatur, quam perfectè cognoscibilis est. Cum ergo Deus sit infinite, id est, perfectissime cognoscibilis, nõ potest comprehendi, secundum Diuum Thomam, nisi perfectissime cognoscatur. At per infinitum lumen glo-

riæ non cognoscitur perfectissime, quia adhuc multo perfectius cognoscitur à seipso: Ergo per infinitum lumen gloriæ non comprehenditur.

8. Nec posteriori modo conuincit ratio, quia qui videret Deum & omnes creaturas possibiles in Deo, adhuc non videret liberum Dei decretum & consiliũ circa res futuras, ac proinde aliquid lateret ipsum. Non igitur comprehenderet. Et hoc sensu dicit Apost. Rom. 11. 33. *Quam incõprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis n. cognouit sensũ Domini? aut quis consiliarius eius fuit?*

9. Prima Conclvsio. Christus non cognoscit omnes creaturas possibiles in essentia Diuina, vi visionis beatificæ. Hoc suppono ex parte 1. c. 9. q. 13. vbi ostensum est, nullam creaturam videri in essentia Diuina, vi visionis beatificæ. Si tamẽ concedamus aliquas videri, vt multi volunt, posset etiam cõcedi, omnes videri. Hoc enim non implicaret, vt ostensum est. Et sic iterum ostendo: Christus clare & intuitiue videt Diuinam essentiam: Si ergo essentia diuina clare visa, est ratio seu medium cognoscendi omnes creaturas possibiles, vt ex aliorum opinione suppono, non implicat, omnes cognosci in essentia Diuina clare cognita.

10. Secvnda Conclvsio. Christus per scientiam infusã non cognoscit intuitiue omnes creaturas possibiles; non quod sit defectus ex parte luminis, sed aliunde. Nam si lumen creatum sufficiens est ad cognoscendum Deum, potest etiam esse sufficiens ad cognoscendas creaturas possibiles. Aliunde igitur defectus est: Sed non satis apparet, vnde sit. Aliqui putant esse ex parte existentiæ:

Quod si probant. Intellectus creatus non potest intuitiue cognoscere rem aliquam, quæ actu non existit; sed res possibiles, vt sic, actu non existunt: Ergo intellectus creatus non potest eas intuitiue cognoscere. Sed maior propositio non admittitur ab omnibus. Nam multi putant, beatos, qui intuitiue vident essentiam Diuinã, etiam intuitiue videre creaturas possibiles in essenaia Diuina. Tãetsi n. creaturę possibiles non existant actu in seipsis; tamen actu repræsentantur in essentia Diuina, vt ipsi contendunt: Ergo similiter, ex eorum sententia dici posset, creaturas possibiles actu repręsentari per species infusas: Et sic intuitiue à Christo cognosci.

11. Alij putãt esse defectũ ex parte specierum. Quod sic probant. Si Christus per scientiam infusam, & consequenter per species infusas, cognosceret omnes creaturas possibiles, vel cognosceret singulas per singulas species; Vel plures per vnam speciẽ: Non prius, quia creaturæ possibiles, vel sunt simpliciter infinitæ; & tunc deberent dari species simpliciter infinitæ in intellectu Christi, quod non facile conceditur: Vel sunt finitæ in infinitũ; & tũc etiam deberẽt dari species finitæ in infinitum, quod minus concedi potest. Vel n. Christus haberet omnes illas species, & sic non essent finitę in infinitum: Vel non haberet omnes, & sic deberent illi de nouo infundi, quando vellet aliquas res possibiles cognoscere, quod est absurdum.

12. Nec posterius dici potest; quod quia deberet dari aliqua species, quæ repręsentaret creaturas possibiles in infinitum, id est quæ representaret multas creaturas possibiles, non tamen tot, quin posset plures repræsentare, quod etiam est absurdum. Nam si aliquas

si aliquas reuera repræsentaret, vt possibiles; & tamen præter illas posset adhuc plures repræsentare in infinitum, quas actu non repræsentaret; Esset aliqua ratio, cur quasdam actu repræsentaret, & quasdam non repræsentaret. At nulla est ratio. Nec ex parte rerum possibilium; quia omnes æque possibiles sunt. Nec ex parte speciei, quia deberet esse vna species, quæ sufficiens esset, plures creaturas æque repræsentare.

13. Hæc tamen ratio non videtur efficax, quia potest responderi, omnes creaturas possibiles, quę simpliciter infinitæ sunt, cognosci posse per vnam speciem infusam. Hoc n. non implicat. Nam si potest dari vna species infusa, quæ intuitiue repræsentet essentiam diuinam, potest etiam dari vna, quæ vel intuitiue vel abstractiue (iuxta diuersas opiniones) repræsentet omnes creaturas possibiles. At illa potest dari, vt probatum est in 1. part. c. 9. q. 2. Ergo & hęc potest dari. Nec obstat, quod creaturæ possibiles sint infinitæ. Nam etiam essentia diuina infinita est. Et quidem potiori titulo. Illæ enim solo numero infinitæ sunt: Hæc, intrinseca & essentiali perfectione infinita est.

14. Ex dictis patet, non esse omnino certum, quod dixi in conclusione, Christum per scientiam infusam non cognoscere omnes creaturas possibiles. 1. quia vix potest dari ratio, quæ id conuincat. 2. quia auctores primæ opinionis contrarium tenent. Nihilominus ad eorum argumenta sic responderi potest.

15. Ad 1. In Christo homine, per communicationem idiomatum, sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi; Non tamen in Christo secundum humanitatem, sicut etiam Christus homo per

communicationem idiomatum est omnipotens, infinitus, æternus; non tamen Christus secundum humanitatem. Vel, si Apostolus loquitur de Christo secundum humanitatem, dicendum est, in Christi humanitate esse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ collectiue, qui in Angelis & hominibus sunt diuisiue. Nam quidquid sapientiæ & scientiæ est diuisim in Angelis & hominibus, hoc coniunctim est in Christo secundum humanitatem.

16. Ad 2. Christo secundum diuinitatem datus est spiritus sine mensura, per æternam generationem, vt interpretatur Cyrill. lib. 2. in Ioan. cap. 72. & Nazianzenus orat. 36. Vel, vt alij, Christo homini datus est spiritus sine mensura per vnionem hypostaticam. Vel denique, Christo secundum humanitatem datus est spiritus sine mensura, ad distinctionem aliorum hominum. Nam aliis datus est secundum certam mensuram, iuxta illud Corinth. 12. 7. *Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo Sapientiæ: Alij autem sermo Scientiæ: Alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Hæc autem omnia, quæ diuisim data sunt hominibus, coniunctim data sunt Christo secundum humanitatem. Vide D. Thomam quæst. 7. art. 11. ad 1.

17. Ad 3. creaturæ possibiles necessario repræsentantur in Deo, secundum esse eminens quod habent in Deo, & quod est ipse Deus: Non tamen secundum esse formale, quod habere possunt in seipsis, vt patet ex 1. parte cap. 9. quæst. 13.

Quæstio VIII.

An Christus cognouerit omnia præterita, præsentia, & futura?

1. Fvit olim hæresis Agnoitarum, qui docebant Christum ignorasse diem iudicij, iuxta illud Marci 13. 32. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius hominis, nisi Pater.* Idem nunc docent Lutherani & Caluinistæ, qui etiam addunt, Christum multa alia ignorasse, quæ paulatim didicerit, vt videre est apud Bellarminum lib. 4. de Christo cap. 1. Fundamentum sumitur ex quibusdam Scripturæ locis, quæ postea citabimus, & interpretabimur.

2. Prima Conclvsio. Christus in hac vita per scientiam infusam cognouit omnia præterita, præsentia, & futura circa homines, Angelos, & seipsum. Ita D. Thomas, quæst. 10. art. 2. Ratio est, quia debuit omnia scire, quæ ad ipsius statum & officium pertinebant: sed omnia præterita, præsentia, & futura circa homines & Angelos, pertinebant ad ipsius statum & officium, triplici ex causa. 1. quia erat caput hominum & Angelorum. 2. erat Magister & præceptor Apostolorum, qui docturi erant totum mundum. 3. futurus erat omnium Iudex. Huc spectat illud Ioan. 2. 24. *Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes. Et quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine: Ipse enim sciebat quid esset in homine.* Vide plura apud Bellarminum loco citato cap. 3. & 4.

3. Secvnda conclvsio. Christus in hac vita quædam sciebat, tanquam Iudex, quæ tamen

neſciebat tanquam Præceptor Apoſtolorum. Hoc modo ſciebat diem Iudicij, quia cum ipſe eſſet futurus Iudex, non debebat illum ignorare. Et tamen dicebat Apoſtolis, ſe neſcire illum diem, quia ſciebat illum ſub ſecreto, non autem vt aliis reuelaret. Sicut confeſſarius, qui ſcit aliquid ſub ſecreto confeſſionis, poteſt dicere ſe neſcire. Non enim ſcit cum poteſtate aliis reuelandi. Non ſcit, vt homo, ſed vt miniſter Dei: Ita exponunt Origenes, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Beda, Theophylactus apud Maldonatum in cap. 24. Matth. v. 36. Eodem ſenſu intelligitur illud Ioan. 15. 15. *Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Vbi Chriſtus loquitur, non de omnibus ſimpliciter, quę audiuerat à Patre; ſed de illis omnibus, quæ debebat illis reuelare, tanquam Magiſter & Præceptor. Vnde c. 16. 12. ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Non ergo omnia dixerat illis, ſed quę pro eo tempore dicenda erant.

4. TERTIA CONCLVSIO. Tametſi Chriſtus cognouerit omnia præterita, præſentia, & futura, non tamen eodem modo: Nam præterita & futura cognouit abſtractiue; præſentia intuitiue. Hæc eſt probabilis multorum opinio, qui putant non dari cognitionem intuitiuam, niſi rerum exiſtentium. At ſolæ res preſentes exiſtunt; non autem preteritæ & futuræ.

5. Dices, D. Thom. docet, Deum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcere omnia poſſibilia, & per ſcientiam viſionis omnia futura. At ſcientia viſionis eſt intuitiua: Ergo per intuitiuam poſſunt etiam cognoſci futura, & non tantum preſentia. Reſpondeo. Aliud eſt loqui de Deo, cuius ſcientia

est infinita; aliud de homine, cuius scientia est finita. Deinde, Diuus Thomas procedit ex quodam fundamento, quod non omnes concedunt. Supponit enim omnia futura esse Deo realiter præsentia in æternitate: ideoque Deum per scientiam visionis omnia futura, non aliter, quam præsentia intueri. Vide in 1. part. cap. 10. q. 10.

6. Solent quędam obiici ex Scriptura. Primo illud Lucæ 2. 52. *Iesus autem proficiebat sapientia.* Non poterat autem proficere, si omnia sciebat. Respondeo. Hoc supra explicatum est. Proficiebat vel ostensione sapientiæ; vel acquisitione scientię humanę circa res antea perfectiori modo cognitas. Itaque profectus ille poterat esse sine precedente ignorantia.

7. Secundo obiicitur illud Matth. 26. 39. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Non ergo sciebat, sed dubitabat, an deberet pati, nec ne. Respondeo. Non dubitabat, quid futurum de se esset, sed ex vna parte ostendebat se naturali affectu abhorrere à morte, *Transeat à me calix iste*: Ex altera, exhibebat se promptum ad voluntatem Dei; *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*

8. Tertio obiicitur illud Hebr. 2. 17. *Debuit per omnia fratribus assimilari.* Et cap. 15. *Tentatum per omnia pro similitudine, absque peccato.* Habuit ergo ignorantiam, sicut & nos, sed sine peccato. Respondeo. Debuit per omnia assimilari nobis, quoad humanam naturam; non quoad singulas humanæ naturæ imperfectiones. Et tentatus est per omnia absque peccato, id est, expertus est omnia aduersa, quæ solent homines perpeti, & tamen non peccauit per impatientiam.

CAPVT X.

De Potentia Christi.

1. TRIPLEX potentia spectari potest in Christo. 1. Potentia diuina, quæ illi conuenit, quatenus Deus est. Hæc cõmunis est toti Trinitati, & proprie dicitur omnipotentia. De hac non agimus. 2. Potentia humana, quæ illi conuenit, quatenus homo est. Hæc communis est illi cum aliis hominibus. Neque de qua hic agimus. 3. Potentia supernaturalis, quæ illi secundum humanitatem à Deo concessa est, ad duplicem potissimum finem. Primo ad producendam gratiam, & remittenda peccata. Matthæi 9. 8. *Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata.* Secundo, ad facienda miracula. Matth. 9. 8. *Videntes autem turbæ* (nempe, paralyticum miraculose à Christo sanatum.) *timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* De hac agimus. Et quæritur 1. An hæc potentia faciendi miracula, & remittendi peccata, quam Christus secundum humanitatem habuit, fuerit physica, an tantum moralis? 2. quid Christus per illam potuerit efficere?

2. De priori, duplex opinio est. Vna, fuisse potentiam moralem, non physicam. Ita Alrisiodorensis, Alensis, Bonauentura, Richardus, Gabriel, Durandus, Scotus, citati apud Suarez d. 31. sect. 3. Docent enim Christum fecisse miracula, & remisisse peccata per authoritatem & causalitatem moralem, ratione meritorũ, propter quæ concessum illi fuit, vt opera

supernaturalia fierent diuina virtute, quando ipse vellet ea fieri in confirmationem suæ doctrinæ, vel in alium finem accommodatum ad redemptionem generis humani, quam in se susceperat.

3. Altera, fuisse potentiam Physicam, ita vt Christus secũdum humanitatem, realiter ac physice produxerit gratiam, & patrauerit miracula, nõ quidem tanquam agens principale, sed tanquam instrumentum diuinitatis. Ita Capreolus, Caietanus, Sotus, Paludanus, Ferrariensis, Vega, Driedo citati apud eũdem. Et probari solet tripliciter. Primo, ex illo Luc. 6. 19. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et c. 8. 46. *Tetigit me aliquis, nam ego noui virtutem de me exisse.* Hæc verba videntur significare, aliquam physicam virtutem ex humanitate Christi emanasse. Item ex iis locis, vbi Christus vocatur Brachium Domini, quia scilicet Deus per illum faciebat miracula, tanquam per instrumentum physicum, vt Isaiæ 51. 9. & 52. 10. & 53. 1. & alibi.

4. Secundo, Ex Concilio Ephesino can. 11. vbi definitur, carnem Christi, propter vnionem ad verbum fuisse viuificatricem, i. e. habuisse aliquam vim sibi communicatam, qua posset vitam efficere. Sic enim hunc Canonem videtur intellexisse Cyrillus li. 4. in Ioannem cap. 14. & quidam alij.

5. Tertio ratione, quia non repugnat carnẽ Christi per modum instrumẽti physici concurrere ad actiones supernaturales, vt patet in similibus exemplis. Nam hoc modo Sacramenta concurrunt ad productionem gratiæ; ignis infernalis ad cruciandos spiritus; intellectus ad visionem beatificam.

6. Ego sentio, tria hic certa esse. Primo, quod Christus, vt Deus, per potentiam diuinam physica

produxerit gratiam, & fecerit miracula, tanquam agens principale. Secundo, quod Christus, vt homo, per potentiam humanam physice exercuerit quasdam actiones ad miracula concurrentes. Tertio, quod Christus, vt homo sanctus & Deo gratus, ratione meritorum, moraliter effecerit, vt Deus physice produceret gratiam & faceret miracula, quando ipse vellet.

7. Duo priora expresse tradit Athanasius Serm. 4. contra Arianos. *Humano*, inquit, *more manum extendit: diuinitus autem morbum compescuit. Humanum fuit, è carne emisisse sputum: diuinitus autem oculos aperuit.* Et Damasc. l. 3. c. 15. *Humanitatis quidem, quod tenuit puellam manu, & erexit: diuinitatis viuificatio.* De tertio non potest dubitari, quia certum est, Christum meruisse nobis vitam æternam, & omnia media, quę ad illam obtinendam ordinata sunt, excepta incarnatione. At productio gratiæ, & patratio miraculorum, sunt huiusmodi media: Ergo.

8. Hinc sequitur, Christum duob. modis fecisse miracula (vt omittam actiones ad miracula concurrentes, quę proprie non sunt ipsa miracula) & produxisse gratiam. 1. Physice, secundum diuinitatem. 2. moraliter seu meritorie, secundum humanitatem. Et quidem vtroque modo fuisse causam principalem in suo genere. Nam secundum diuinitatem non minus fuit causa principalis, quam Pater & Spiritus Sanctus; quia omnes personæ diuinæ per eandem virtutem operantur, & omnes in hac virtute sunt æquales. Secundum humanitatem dicitur etiam causa principalis in genere causæ meritoriæ, quia nulli alteri causæ meritoriæ subordinatur.

9. Manet quæstio, an etiam humanitas Christi,

tanquam instrumentum diuinitatis, physice concurrerit ad eosdem effectus? Hoc vrgent authores secundæ opinionis. Sed argumenta illorum non conuincunt.

10. Non 1. quia verba Scripturæ possunt aliter exponi. Quod enim dicit Christus, virtutem de se exisse, nihil aliud est, quam effectum aliquem supernaturalem egressum esse à diuinitate Christi, quatenus erat coniuncta humanitati. Nec opus est concurrere ad virtutem aliquam instrumentalem. Imo, quotiescunque Scriptura loquitur de Christo faciente miracula, vel remittente peccata, semper loquitur de illo tanquam de causa principali. Matth. 8. 3. *Domine, si vis, potes me mundare. Volo: mundare.* Et infra v. 26. *Tunc imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Et Lucæ 7. 14. *Adolescens, tibi dico, surge.* Et Ioan. 11. 43. *Lazare, veni foras.* Quod autem obiicitur, Christum vocari brachiũ Domini, nihil facit pro virtute physica instrumentali, sed potius pro virtute meritoria & satisfactoria, qua Christus redemit genus humanum, & eripuit è potestate dæmonis. Deus enim vsus est humanitate Christi, tanquam forti brachio ad debellandum hostem, & liberandum genus humanum è captiuitate peccati.

11. Nec 2. quia quando Concilium Ephesinum definit, carnem Christi esse viuificatricem, non vult significare, carnem Christi habere vim instrumentalem physicam viuificandi, sed esse carnem Verbi viuificantis, & non puri hominis. Nam Concilium illud celebratum est cõtra Nestorium, qui negabat carnẽ Christi hypostatice vnitã esse diuinitati, asserens aliã esse personam carnis, aliam deitatis. At Cõcilium è contrario definit, carnem Christi non esse

carnem puri hominis, sed carnem Verbi viuificantis, & ideo posse vocari carnem viuificatricem. Sic enim loquitur can. 11. *Si quis non confitetur, carnem Domini viuificatricem esse, & propriam ipsius Verbi Dei, sed velut alterius præter ipsum, cõiuncti eidẽ per dignitatẽ, aut quasi diuinã habentis habitationẽ, ac non potius viuificatricẽ esse, quia facta est propria Verbi cũcta viuificare valẽtis, anathema sit.*

12. Nec 3. quia non disputamus, an repugnet, carnem Christi per modum instrũmenti physici cõcurrere ad actiones supernaturales; sed an reipsa cõcurrat, vel concurrerit in hac vita. Deinde, in multis repugnat. Nam causa physica non potest operari, nisi sit præsens: at humanitas Christi sæpissime non fuit præsens, vbi fiebant miracula: Ergo non potuit operari physice. Maior patet, quia propinquitas & præsentia causæ efficientis tam est necessaria ad operandum, vt ne Deus quidem possit operari, nisi vbi est præsens, vt docet D. Thomas in 1. p. quæst. 8. art. 1. & multi alij. Minor etiam patet, quia humanitas Christi sæpe certo spacio distabat ab effectibus supernaturalibus, quos diuina virtute producebat, vt verbi gratia, à productione gratiæ & remissione peccatorum in alterius anima; à curatione morborum in ægrotis distantibus; ab eiectione dæmonum in corporibus obsessorum; & sic de aliis passim.

13. Dices, Instrumentum absens potest agere, modo causa principalis sit præsens: Ergo licet humanitas fuerit aliquando distans, tamen diuinitas, quæ vtebatur humanitate, tanquam instrumento, semper erat præsens. Respondeo. Aliqui quidem ita sentiunt; sed vix potest intelligi. Nam si Deus non potest hic agere, nisi sit hic præsens; quomodo poterit instrumentum Dei hic agere, si hic præsens non est?

Aut quomodo Deus hic poterit vti aliquo instrumento, quod hic non est?

14. Nec obstant exempla in tertio argumento allata. Nam æque incertum est, an Sacramenta sint physica instrumenta in productione gratiæ. Probabilius est, non esse physica, sed moralia, vt infra ostendam. Similiter incertum est de igne infernali. Imo D. Thomas non putat illum physice & effectiue operari in dæmones & animas rationales, sed alio modo. De intellectu concurrente ad visionem beatificam, alia ratio est. Nam intellectus noster non est instrumentum Dei in eliciendâ visione beatifica, eo modo, quo ipsi volunt humanitatem Christi esse instrumentum Dei in patratione miraculorum. Alioqui Deus esset principale videns in creata visione, sicut est principale agens in patrandis miraculis, quod est falsum.

15. Hæc sufficiant de priori quæstione. Posterior est, quid Christus potuerit efficere per illam potentiam, de qua hactenus dictum est? Respondeo. Christus quatenus Deus, poterat omnia facere per potentiam diuinam, quæ Pater & Spiritus Sanctus: Quatenus homo, poterat omnia facere per meritum & impetrationem, quæ volebat. Non volebat autem, nisi secundum decretum & voluntatem Dei. Hæc certa sunt in nostra sententia.

16. At in aliorum sententia, qui in humanitate Christi contendunt esse vim instrumentariam physicam, dubium est, de his quatuor punctis. 1. An Christus per illam potuisset aliquid creare, seu ex nihilo producere? 2. An potuisset annihilare? 3. an agere in distâs loco? 4. an agere in distâs tempore? D. Tho. quæst. 13. art. 2. negat de creatione & annihilatione; de

reliquis nihil dicit. Alij affirmant de omnibus, excepto vltimo. Alij affirmant de duobus prioribus, negant de reliquis. Res parui momenti est.

CAPVT XI.

De defectibus Christi ex parte corporis.

1. ACTVM est de perfectionibus Christi ex parte humanitatis, nempe de gratia, scientia & potentia. Nunc agitur de defectibus illius. Et primo quidem de defectibus corporis, in hoc capite. Deinde de defectib. animæ, in sequenti. Sunt autem duplices defectus corporis, vt notat D. Tho. quæst. 14. art. 4. Alij communes toti humanæ naturæ, propter peccatum primi parentis, vt fames, sitis, fatigatio, passibilitas, mors: alij particulares, orti ex causis particularibus, vt lepra, febris, morbus caducus, & similes affectiones. De vtrisque dicam.

4. PRIMA CONCLVSIO. Christus assumpsit omnes defectus corporis, qui sunt communes toti humanæ naturæ. Nam Scriptura expresse tradit, illum esuriisse, fatigatum fuisse, passum & mortuum esse. Assumpsit autem hos defectus ob triplicem causam. 1. vt pro nobis patiendo, satisfaceret. 2. vt ostenderet se esse verum hominem. 3. ad exemplū patientiæ, iuxta illud 1. Petri 2. 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Vide D. Thom. art. 1.

3. Dices, Corpus Christi non videtur fuisse passibile, vt colligitur ex illo Actorum 2. 27. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Respondeo. Hoc

non intelligitur de passione vel morte, quia constat Christum reuera passum & mortuum esse; sed de corruptione corporis post mortem, quia non decebat, vt corpus Christi post mortem computresceret, more aliorum corporum, præsertim cum iterum vniendum esset animæ.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Christus non assumpsit particulares defectus corporis, qui non sunt communes toti naturæ, vt sunt morbi, vel deformitates. Ita D. Tho. art. 4. Ratio est, quia hi defectus oriuntur, vel ex intemperantia hominum, vel ex defectu virtutis formatiuæ. At hæ causæ non fuerunt in Christo. Nam & temperantissimus fuit; & corpus eius, non virtute naturali, quæ potest deficere, sed virtute Spiritus Sancti, formatum est.

5. Nota 1. Aliud est, assumere defectus corporis; aliud, contrahere. Christus assumpsit quosdam defectus corporis, vt dictum est; non tamen cõtraxit, vt recte notat D. Thom. art. 3. Ratio est, quia illud dicitur contrahi, quod simul cum sua causa ex necessitate contrahitur: at causa mortis & aliorum defectuum corporis, est peccatum, iuxta illud Rom. 5. 12. *Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors.* Ergo qui non contrahit peccatum, non contrahit etiam defectus corporis, qui sunt effectus peccati. At Christus non habuit peccatum: Ergo non contraxit defectus ex peccato, sed assumpsit illos sine peccato.

6. Nota 2. Natura humana dupliciter spectari potest. 1. secundum se: Et sic defectus corporis sunt illi connaturales. 2. quatenus cum iustitia originali condita fuit: Et sic defectus corporis sunt pœnæ peccati primi parentis. Vnde quotquot peccauerunt in

primo parente, dicuntur contrahere defectus corporis, per modum pœnæ. At Christus, qui non peccauit in primo parente, non dicitur illos contrahere per modum pœnæ, sed assumere per modum medij ad finem redemptionis humani generis, vt in prima conclusione insinuatum est. Vide D. Thom. art. 3.

CAPVT XII.

De defectibus Christi ex parte animæ.

ARII sunt defectus animæ in nobis, ac potissimum hi. 1. peccatum. 2. fomes peccati. 3. dolor & tristitia in appetitu sensitiuo. 4. dolor & tristitia in voluntate. 5. timor. 6. ignorantia. Quæstio est, an hi omnes fuerint in Christo? De ignorantia supra dictum est, cap. 9. De reliquis hic dicendum cum D. Thom. quæst. 15.

QVÆSTIO I.

An in Christo fuerit peccatum originale?

1. CErtum est, non fuisse, vt patet ex illo Luc. 1. 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Et ratio est, quia illi soli contrahunt peccatum originale, qui descendunt ab Adamo per seminalem generationem: At Christus non descendit ab Adamo per seminalem generationem, quia conceptus est de Spiritu Sancto: Ergo, &c. Vide Diuum Augustinum lib. 10. de Genesi ad litteram cap. 19. Et in Enchiridio cap. 41.

2. Dices, Videtur ab Adamo descendisse per seminalem generationem, iuxta illud Apostoli, Rom. 1. 3. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.* Si ex semine Dauid, consequenter etiam ex semine Adami. Respondeo. Aliud est nasci ex semine Dauid, id est, ex stirpe seu progenie illius: aliud nasci ex Dauid per seminalem generationem. Prius verum est de Christo; posterius falsum.

QVÆSTIO II.

An Christus aliquando peccauerit actualiter?

1. NVnquam, sine dubio. Hoc n. testatur Scriptura, Ioan. 8. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et Hebr. 4. 15. *Tentatum per omnia, absque peccato.* Et 1. Petri 2. 22. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Ratio est, quia erat impeccabilis, vt dicam sequenti quæst.

2. Obiici potest illud Psalm. 21. 1. *Deus Deus meus, quare me dereliquisti? Longe à salute mea verba delictorum meorum.* Hinc enim videtur colligi. 1. Christum hoc dixisse ex desperatione, vt Caluinus interpretatur. 2. habuisse propria delicta. Respondeo. Impia est Caluini interpretatio. 1. Quia Christus eodem tempore, cum hoc diceret, dixit etiam: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Quod non potuit dicere ex desperatione. 2. quia erat beatus, & sciebat beatitudinem suam fore perpetuam. Ergo non poterat desperare.

3. Sensus igitur verborum Christi est hic: *Deus Deus meus, quare* in tanto corporis cruciatu *dereliquisti me?* Vox est, quasi admirantis. Sequitur respõsio, quę

tollit admirationem: *Longe à ſalute mea verba delictorum meorum.* Quaſi dicat: non eſt mirum, quod relinquas me in his doloribus, quia delicta totius mundi, quæ in me ſuſcepi, non poſſum aliter expiare, niſi luendo hanc pœnam. Hoc n. ſignificant illa verba: *Longe à ſalute mea*, i. peccata humani generis, quæ in me ſuſcepi, non poſſunt cõiungi cum ſalute mei corporis. Debeo pati in corpore, vt illa poſſim expiare. Quod ſpectat illud 1. Petri 2. 24. *Quia peccata noſtra ipſe portauit in corpore ſuo ſuper lignum.* Vide Bellarminum in commentario Pſalmi 21.

QVÆSTIO III.

An Chriſtus potuerit actu peccare?

1. COnſtat illum fuiſſe impeccabilem, ratione viſionis beatificæ, vt ſuppono ex tractatu de beatitudine. Quæſtio eſt, an fuerit etiam impeccabilis, ratione vnionis hypoſtaticæ? Negat Durandus in 3. diſt. 12. quæſt. 2. & pauci alij.

2. Primo, quia humanitas Chriſti per ſolam vnionem hypoſtaticam, ſecluſis aliis donis ſupernaturalibus, non eſt facta ſapientior aut potentior: Ergo per ſolam vnionem ſine aliis donis ſuperadditis, non eſſet minus ignorans & fragilis, quam reliqui homines: Ergo ſicut reliqui homines ex ignorantia & fragilitate poſſunt peccare, ita etiam humanitas Chriſti, ſpectata ſola vnione: Ergo per ſolam vnionem non eſſet impeccabilis.

3. Secundo, quia ſi Chriſtus per humanitatem aſſumptam non poſſet peccare, hoc ideo eſſet, quia ſequeretur, Deum peccare: At hoc non eſt abſurdum:

Ergo

Ergo posset peccare. Minor probatur, quia sicut Deus per communicationem idiomatum dicitur mori, sic etiam dici potest peccare. Est enim par ratio. Nam mors non minus repugnat diuinæ vitæ, quam peccatum diuinæ bonitati. Deus enim sicut essentialiter est ipsa bonitas, sic essentialiter est ipsa vita: At hoc non obstat, quo minus dicatur mori in assumpta natura: Ergo etiam non obstat, quo minus dicatur peccare in assumpta natura.

4. Conclusio. Humanitas Christi non solum ratione visionis beatificæ, sed etiam vi solius vnionis hypostaticæ fuit omnino impeccabilis; ita vt impossibile fuerit, ipsam Verbo vnitam peccare, etiamsi nulla alia dona supernaturalia habuisset. Ita Magister in 3. dist. 12. D. Thom. ibidem q. 1. art. 2. & alij passim. Ratio est, quia gratia vnionis hypostaticæ est substantialis quædam sanctitas in humanitate: At peccatum non potest consistere cum sanctitate: Ergo. Hæc tamen ratio non est sufficiens. Solum probat, peccatum & vnionem hypostaticam non posse simul consistere in humanitate, sicut peccatum & gratia habitualis non possunt simul consistere in eodem homine; alioqui simul esset iustus & iniustus, simul gratus & ingratus, simul Filius Dei & Diaboli. Non tamen probat, humanitatem vnitam Verbo, non posse peccare, & peccando priuari sanctitate vnionis hypostaticæ: sicut homo iustus potest peccare, & peccando amittere iustitiam.

5. Vera ergo ratio est, quia persona intellectualis naturaliter obligatur, vt gubernet & dirigat naturam sibi substantialiter coniunctam: sed persona Verbi substantialiter coniunxit sibi humanitatem

Christi: Ergo naturaliter obligatur, vt eam gubernet & dirigat. At non potest deficere in hac gubernatione & directione; Ergo humanitas, quæ sic gubernatur & dirigitur, non potest peccare.

6. Confirmatur. 1. quia ex hac obligatione fit, vt si natura alicuius personæ peccet, tota culpa asscribatur personæ, & illa dicatur peccasse in natura sibi coniuncta, & suæ curæ commissa. 2. Ex eadem obligatione fit vt homo per naturam intellectualem teneatur gubernare naturam sensitiuam; & per appetitum superiorem, dirigere appetitum inferiorem. Vnde, si aliqua sit inordinatio culpabilis in appetitu sensitiuo, tota culpa redundat in appetitum intellectualem, ad quem spectat gubernatio & custodia appetitus sensitiui.

7. Hinc sequitur, cum in Verbo diuino sint duæ naturæ, & duæ voluntates, altera diuina, altera humana; necessarium esse, vt per diuinam gubernet humanam; nec patiatur illam quidquam inordinate facere; alioqui tota culpa illi asscriberetur: At quia culpabilis negligentia in eo esse non potest, sequitur, humanam naturam non posse inordinate quidquam agere.

8. Dices primo. Persona Verbi non est capax præcepti & legis: Ergo non potest obligari ad gubernandam humanitatem sibi vnitam. Respondeo. Non sequitur, quia non omnis obligatio oritur ex lege aut præcepto. Homo quidem obligari potest lege aut præcepto: Deus tamen, proprie loquendo, non obligatur lege & præce-

pto, sed sua bonitate & natura. Nam ex se talis est, vt non possit aliquid facere, quod turpe & rationi contrarium sit.

9. Dices 2. Voluntas Diuina est communis Patri, Filio, & Spiritui sancto: At Pater & Spiritus sanctus non obligantur speciali titulo gubernare humanitatem Christi secundum Diuinam suam voluntatem: Ergo nec filius. Respondeo. Non sequitur, quia Filius obligatur ratione vnionis hypostaticæ, quæ non est communis tribus personis.

10. Dices 3. Si Angelus hypostatice assumeret naturam humanam, & hæc natura per propriam voluntatem peccaret, non esset culpa Angeli, sed voluntatis humanæ: Ergo idem dicendum est de humanitate à Verbo assumpta. Respondeo. Si Angelus talem naturam assumeret, teneretur illam gubernare, & in officio continere, quantum in se esset. Vnde si hoc non faceret, sed ex sua negligentia permitteret humanam naturam peccare, quam potuisset impedire, tota culpa illi imputaretur. Si autem faceret quantum in se est, & non posset impedire libertatem naturæ humanę, tunc culpa non imputaretur ipsi, sed soli voluntati humanæ. Verbum autem Diuinum potest impedire omne peccatum in natura assumpta, & ideo tenetur.

11. Ad duo argumenta initio proposita sic respondeo. Ad 1. Humanitas quidem in se non est facta sapientior aut potentior per solam vnionem hypostaticam, sed tamen hoc consequuta est, vt à persona Verbi, cui vnita est, ita gubernetur & diriga

tur, vt peccare non possit. Ad 2. non est simile de morte & peccato. Nam Deus, qui gubernat naturam sibi substantialiter vnitam, non obligatur eam conseruare à morte, sed à culpa: præsertim cum mors possit esse honesta & vtilis, non autem culpa.

QVÆSTIO IV.

An in Christo potuerit esse peccatum habituale?

1. CONCLVSIO. In humanitate Christi Verbo vnita, non potest esse peccatum aliquod habituale. Ratio est, quia humanitas formaliter est sancta per gratiam vnionis. Hæc autem sanctitas non potest consistere cum peccato habituali. Hinc sequitur, si aliqua natura humana esset in peccato mortali, & postea hypostatice vniretur Verbo, fore vt statim mundaretur ab illo peccato, vt esset grata Deo per gratiam vnionis hypostaticæ: sicut contingit in homine impio & peccatore, quando per infusionem gratiæ habitualis iustificatur.

3. Dices. Si Deus assumeret aliquam humanitatem, quæ aliquando peccasset, sequeretur, Deum aliquando peccasse: sed hoc est impossibile: ergo & illud. Sequela patet hoc syllogismo: Hic homo aliquando peccauit. Hic homo est Deus: Ergo Deus aliquando peccauit: Confirmatur simili syllogismo: Hic Deus aliquando creauit mundum: Hic Deus est homo: Ergo homo aliquando creauit mundum.

3. Respondeo. Negatur prima consequentia.

In priori syllogismo negatur maior. Quamuis enim verum sit, ex suppositione, hanc humanitatem aliquando peccasse, non tamen verum est, hunc hominem aliquando peccasse. Nam hic homo significat hoc suppositum, in quo humanitas nunc est. Hoc autem suppositum non peccauit, sed aliud suppositum, in quo ponitur fuisse humanitas, antequam huic suppositio vniretur.

4. In posteriori syllogismo omnia vera sunt. Vbi nota discrimen inter priorem & posteriorem. Nam in priori sumuntur duo suppositia eiusdem naturæ, & ideo communicatio idiomatum non habet ibi locum. In posteriori vero sumitur vnum idemque suppositum, subsistens in duabus naturis, ac proinde valet ibi argumentatio à communicatione Idiomatum.

Qvæstio V.

An in Christo fuerit fomes peccati?

1. Nota. Fomes peccati potest spectari vel in actu primo, vel in actu secundo. Fomes in actu secundo, est actualis quædam motio appetitus sensitiui ad obiecta sensibilia turpia, & rationi contraria, ipsam rationem præueniens, & ad peccatum inuitans. Fomes in actu primo, est ipsemet appetitus seu naturalis eius inclinatio, quatenus est proxime dispositia ad supradictam motionem.

2. Hinc patet 1. appetitum sensitiuum latius patere, quàm fomitem in actu primo. Nam appetitus fertur in omnia obiecta sensibilia, siue turpia & illicita sint, siue non sint. Fomes vero fertur tantum

in turpia & illicita.

3. Secundo patet, tria requiri ad fomitem in actu secundo, seu ad actualem motionem fomitis. 1. vt feratur in sensibile turpe, & illicitum. 2. vt rationem præueniat. 3. vt ad peccatum trahat & alliciat. His positis, sit

4. PRIMA CONCLVSIO. In Christo non fuit fomes in actu secundo, id est, non fuit actualis motio rationem præueniens, ad peccatum incitans. Ita Augustin⁹ lib. 1. cõtra duas Epistolas Pelagianorũ, vbi ait; proprium fuisse Christo, non sentire repugnantiam carnis & concupiscentiæ. Intellige, proprium illi fuisse, ratione suæ conceptionis. Nam alio modo fuit etiam communicatum B. Virgini, vt infra dicemus. Et lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. vbi dicit, in Christo non fuisse illam pugnam carnis & spiritus, quam describit Apostolus Roman. 7. versu 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Et Galat 5. versu 17. *Caro concupiscit aduersus spiritũ: Spiritus autem aduersus carnẽ.*

5. Idem probatur ex quinta Synodo coll. 8. can. 12. vbi damnatur quidam Theodorus, qui dicebat Christum aliquo tempore habuisse rebellionem appetitus, & per exercitium virtutum illam superasse.

6. Et colligitur ex illo Ioann. 11. 33. *Iesus infremuit spiritu, & turbauit seipsum:* Hinc enim patet, illum turbationis actum in Christo fuisse ex electione. Vnde Chrysostom. hom. 62. & August. tract. 49. in Ioann. colligunt, omnes similes actus in Christo fuisse ex electione.

7. Accedit duplex ratio. Vna, quia persona Verbi, vt dictum est, ita gubernat humanitatem Christi, vt nihil pateretur in ea fieri, quod esset indecens

& rectę rationi contrarium. At fomes in actu ſecundo ſeu motus concupiſcentiæ eſt per ſe indecens, & rectæ rationi contrarius (Rom. 7. 23.) Altera, quia quod appetitus ſenſitiuus moueatur contra vel præter conſenſum voluntatis, eſt quidam defectus naturæ humanæ, qui in aliis hominibus contrahitur ex peccato originali: At Chriſtus non habuit peccatum originale: ergo ex illo non potuit contrahere huiuſmodi defectum.

8. Dices. Potuit illum aſſumere, ſicut aſſumpſit alios defectus, de quibus cap. prędcedenti dictum eſt. Reſpondeo. Hoc non fuit conueniens. 1. quia defectus ille eſt indecens, vt dixi. 2. non erat vtilis ad finem Incarnationis.

9. Dices 2. Apoſtolus ait, Chriſtum fuiſſe tentatum per omnia, abſque peccato: Ergo fuit etiam tentatus per fomitem ſeu motũ concupiſcentiæ, quia fomes ſeu motus concupiſcentiæ non eſt peccatum, niſi ſit voluntarius. Imo, fuit vtile, vt ſic tentaretur. Nã ideo per omnia tẽtatus eſt, vt in omnibus daret nobis exẽplum patientiæ & victoriæ. Nos autem maxime tẽtamur per fomitem: Ergo in hac tentatione debuit nobis dare exemplum patientiæ & victoriæ.

10. Reſpondet D. Thom. quæſt. 41. art. 1. ad 3. duplicem eſſe tentationem: alteram à diabolo, per ſolam exteriorem ſuggeſtionem: alteram à carne, per delectationem & concupiſcentiam. Priorem poſſe eſſe ſine peccato, & ideo Chriſtum eo modo tentatum fuiſſe; poſteriorem non poſſe eſſe ſine peccato, & ideo Chriſtum non fuiſſe eo modo tentatũ. Hæc reſponſio habet difficultatẽ, quia certũ eſt aliquos motus concupiſcẽtiæ eſſe plane inuoluntarios, qui primo primi appellantur, in quibus nul-

la est culpa, vt alibi ostensum est.

11. Respondeo igitur, Christum non fuisse tentatum per huiusmodi motus concupiscentiæ, quia huiusmodi motus sunt culpabiles, quando sunt voluntarij. Possunt autem dupliciter esse voluntarij. 1. Antecedenter, vt si quis sponte eos admittat, cum cauere possit. 2. consequenter, vt si quis eis consensum præbeat, postquam irrepserunt. Priori modo fuissent voluntarij in Christo, quia Christus poterat eos cauere, propter gubernationem personæ Verbi. Si ergo non cauisset, sed sponte eos admisisset, fuissent culpabiles. Neque necesse fuit, vt per illos daret nobis exemplum patientiæ & victoriæ: tum quia hoc exemplum fuisset occultum: etiam, quia sat multa alia exempla patientiæ & victorię nobis dedit, quæ omnibus nota sunt.

12. Dices. Apostolus Paulus per eiusmodi motus concupiscentiæ dedit nobis exemplum patientiæ & victorię; Ergo etiam Christus potuit dare. Antecedens patet ex illo 2. Corinth. 12. 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominū rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi; Sufficit tibi gratia mea: nã virtus in infirmitate perficitur.* Respõdeo. Hoc exemplum etiam fuisset occultũ, nisi ipse Apostolus propalasset. Deinde magna est differentia inter illum & Christum. 1. quia stimulus carnis erat Apostolo plane inuolũtarius, vt ex verbis ipsius patet. At Christo fuisset voluntarius, quia poterat illũ cauere, & non admittere. 2. Apostolus illũ passus est ob duplicem causam. Prior est, *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ.* Posterior, *virtus in infirmitate perficitur.* Neutra

habebat locum in Christo.

13. SECVNDA CONCLVSIO. In Christo non fuit fomes peccati, quoad actum primum. Ita D. Thomas quæst. 15. art. 2. Ratio est, quia fomes in actu primo, nihil aliud est, quam appetitus sensitiuus sibi ipsi relictus, & quasi proxime dispositus, vt possit exire in actum contra rationem, & inclinare ad peccatum: sed in Christo non fuit appetitus ita dispositus: Ergo in Christo non fuit fomes in actu primo. Minor patet, quia appetitus sensitiuus in Christo fuit quasi ligatus, vt non posset inordinate moueri. 1. quidem per virtutes morales, quibus passiones refrænantur. 2. per vigilantiam & perpetuam aduertẽtiam rationis. 3. per gubernationem personæ Verbi. Aliqui addunt, voluntatem Christi habuisse perfectum dominium supra omnes potentias animæ & corporis, vt non possint aliud facere, quam ex arbitrio & imperio voluntatis.

14. TERTIA CONCLVSIO. Quæ dicta sunt de fomite in appetitu sensitiuo, possunt etiam applicari ad fomitem in intellectu & voluntate. Nã fomes generatim sumptus, seu quod idem est, concupiscentia generatim sumpta, pertinet ad tres illas potentias, appetitum sensitiuum, intellectum, & voluntatem. Et quidem in actu primo significat ipsas potẽtias, quatenus natura sua pronæ sunt ad actus indeliberatos, rationi repugnãtes, & ad peccatum inclinantes: quo pacto appetitus sensitiuus ex se pronus est ad prauos motus carnales; intellectus ad errorem & deceptionem; voluntas ad motus odij, superbiæ, inuidiæ. In actu autem secundo significat ipsos motus prauos, & indeliberatos, quibus prędictæ potentiæ mouentur ad turpia & illicita. In

Christo ergo nullus fuit huiusmodi motus, vt ex dictis patet.

QVÆSTIO VI.

An in Christo fuerit dolor & tristitia sensibilis?

1. HÆc duo distinguuntur in appetitu sensitiuo. Nam dolor est actus appetitus sensitiui, quo contristatur de læsione corporis, sensu percepta. Tristitia est actus eiusdem appetitus, quo contristatur de aliquo malo per imaginationem apprehẽso, vt deinceps explicabitur.

2. PRIMA CONCLVSIO. In Christo fuit dolor sensibilis. Ita D. Thom. q. 15. art. 5. Et colligitur ex illo Isaiæ 53. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Et Lucæ 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christũ, & ita intrare in gloriã suam?* Ratio est, quia vbicunque est vera læsio corporis, & verus sensus læsionis, ibi est verus dolor sensibilis, quia positis illis duobus, naturaliter resultat dolor sensibilis, nisi miraculose impediatur. Nam hic dolor, vt dixi, est quidam actus, quo appetitus sensitiuus fugit & auersatur læsionem corporis sensu perceptam. Vnde fit, vt læsio corporis sit quasi obiectũ doloris: sẽsus vero læsionis sit veluti applicatio illius obiecti; ac proinde posita hac applicatione naturaliter resultat dolor. At in Christo fuit vera læsio corporis, & verus sensus lęsionis quando flagella & alia torméta passus est; Ergo in Christo fuit verus dolor. Et hunc dolorem debuit sustinere pro nostra satisfactione.

3. Solet obiici. Hilarius lib. 10. de Trinitate, vbi videtur negare, Christum passum esse dolorem sensibilem. Verba eius sunt hæc: *Vnigenitus Deus hominem*

verum, non deficiens à se Deo, sumpsit: in quem quamuis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio eleuaret, offerrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, vt telum aliquod aquam perforans. Similia habet can. 31. in Matthæum & super Psalm. 53. & 68. Aliqui putant Hilarium ita sensisse & erasse, vt Bonauentura in 3. dist. 16. art. 1. quæst. 1. ad. 1. & Claudianus Viennensis lib. 2. de statu animæ c. 11. in tomo 4. Bibliothecæ sanctorum Patrum. Alij conantur illum benigne interpretari, vt D. Thom. q. 15. art. 5. ad 1. Magister in 3. dist. 16.

4. Respondeo 1. Hilarius non errauit, quia à nullo antiquorum Patrũ de errore notatus est. Imo Sanctus Hieronymus tomo 1. epist. 7. ad Lætam, sic de eo loquitur: *Libros Hilarij inoffenso decurras pede.* Secundo, Hilarius alibi aperte docet, Christum passum esse famem, sitim, crucifixionem, vt libro 3. de Trinitate, & super psalm. 53. circa medium. Tertio, sensus Hilarij est Christum ita passum esse, vt tamen Verbum Diuinum non senserit dolorem aut similes affectiones. Cuius contrarium docebant Ariani, contra quos Hilarius scripsit libros de Trinitate. Vnde lib. 10. de Arianis sic scribit: *Quia ex multis filium creatum esse dicunt, ideo in eo doloris anxietatem, ideo ipsius passionem cum corporis passione ponunt.* Similia habet super Psalm. 53. circa finem, & super Psalm. 138. in principio, & in libro de Synodis canon. 12. ex Concilio Sardicensi. Quarto, Hilarius aliquando negat dolorem fuisse in Christo, eo modo, quo in nobis est, nimirum ex debito peccati, & ex conditione naturæ corruptæ, quod verissimum est. Vide lib. 18. de Trinitate, & super Psal. 68.

5. SECVNDA CONCLVSIO. In Christo fuit etiam tristitia sensibilis. Ita D. Thomas artic. 6. Et colligitur ex illo Matth. 26, 38. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Ratio est, quia sicut obiectum doloris sensibilis est læsio corporis, sensu tactus percepta; ita obiectum tristitiæ sensibilis est malum aliquod imaginatione apprehensum, tanquam præsens; vt est amissio pecuniæ, mors parentis, iniuria à proximo illata, aut aliquid simile. At in Christo potuit esse apprehensio talis mali, vt, verbi gratia, mortis, & iniuriarum: ergo in eo potuit esse tristitia sensibilis, quæ ex tali obiecto apprehenso naturaliter sequitur in appetitu, nisi impediatur.

6. Dices. In Christo fuit gaudium beatificum quod impediuit hanc tristitiam. Respondet Diuus Thomas artic. 5. ad 3. & artic. 6. in corpore, Diuina dispensatione factum esse, vt gaudium beatificum, quod erat in voluntate Christi, non diffunderetur in appetitum sensitiuum, ne scilicet dolorē & tristitiam in illo appetitu impediret.

7. Secundo obiicitur illud Isaiæ 42. 4. *Non erit tristis, neque turbulentus.* Quod de Christo intelligendū est. Respondeo. Hoc dupliciter exponi potest. Primo *Non erit tristis*, id est non dominabitur illi tristitia, neque turbabit pacem & tranquilitatem animi illius, iuxta illud Prouerbiorum 12. 21. *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* Secundo, non erit tristis, id est, iratus. Nam ex Hebræo legitur: *Non fumigabit*, id est non dabit signa iracundiæ. Vide Hieronymum ibidem, & Vasquez disp. 62. cap. 2. in fine.

8. TERTIA CONCLVSIO. Quamuis in Christo fuerint dolor & tristitia sensibilis, vt dictum est;

aliter tamẽ, quam in nobis. Nam in nobis sæpe sunt circa obiecta illicita; sæpe anteuertũt rationem; sæpe trahunt voluntatem ad consensum. Non sic in Christo. Vide D. Tho. art. 6.

Qvæstio VII.

An in Christo fuerit dolor & tristitia voluntatis?

1. Ratio dubitandi est, quia gaudium beatificum ex sua natura excludit omnem tristitiã à voluntate: sed in Christi voluntate fuit gaudium beatum: Ergo non potuit esse tristitia. Et confirmatur ex D. Thom. art. 5. vbi dicit, Ideo gaudium beatificum, diuina dispensatione cohibitum fuisse ab appetitu sensitiuo, vt ibi possit esse dolor & tristitia: Ergo ex mente D. Thomæ non potest gaudium beatificum in eodem subiecto consistere cum dolore & tristitia.

2. Propter hoc argumẽtum ortæ sunt duæ contrariæ opiniones. Vna est, in volũtate Christi non fuisse vllam tristitiam, quia non poterat subsistere cum gaudio. Ita Titelmanus circa illud Matth. 26. 38. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Altera est Christum in sua voluntate aliquando suspendisse gaudiũ beatificum, vt tristitiæ locum daret. Ita Melchior Canus lib. 12. de locis cap. 14. quem sequitur Valentia quæst. 9. p. 2. §. *Quomodo vero Christus.*

3. Nota. Volũtas solet distingui in partem superiorem & inferiorem, ratione motiui, quo voluntas mouetur ad agendum. Quando enim mouetur ad appetendum bonum, vel fugiendum malum, sub tali ratione, quæ apprehenditur ab imaginatione, tunc dicitur pars inferior: quando autem sub tali ratione, quæ apprehenditur solum ab intellectu,

4. PRIMA CONCLVSIO. In voluntate Christi secundum portionem inferiorem, fuit verus actus tristitiæ. Ita D. Thomas art. 6. ad 4. Et colligitur ex illo, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Quod tametsi intelligi possit de tristitia appetitus sensitiui, tamen à Conciliis & Patribus intelligitur etiam de tristitia voluntatis. Sic intellexit Agatho Papa in epist. ad Imperatorem in 6. Synodo, act. 4. & Sophronius in alia epist. in eadem Synodo act. 11. qui adducunt illum locum ad probandam Christi voluntatem creatam & rationalem. Ad quam probandam nihil efficerer, nisi intelligeretur de tristitia voluntatis. Vide etiam Damasc. lib. 3. de Fide cap. 26. Cyrillum lib. 4. in Ioan. cap. 1. & alios. Ratio est, quia tristitia voluntatis secundum partem inferiorem necessario connexa est cum tristitia appetitus sensitiui, nisi impediatur. Sed in Christo fuit tristitia appetitus sensitiui, circa mortem & iniurias allatas, vt dictum est: Ergo etiam tristitia voluntatis secundum partem inferiorem.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Etiam in superiori parte voluntatis Christi fuit actus tristitiæ. Ita Scotus in 3. dist. 15. Gabriel ibidem art. 2. Bonauentura dist. 16. art. 2. q. 2. Ratio est, quia Christus tristatus est non solum propter mortem & iniurias sibi illatas, quę cadunt sub apprehensionem imaginationis; sed etiam propter peccata hominum, & ruinam Iudæorum, quæ cadunt sub apprehensionem intellectus. Hæc autem tristitia pertinet ad partem superiorem.

6. Dices. D. Thomas quæst. 46. art. 7. negat fuisse tristitiam in voluntate Christi quoad partem superiorem. Idem sentit Caietanus ibidem, &

Henricus quodl. 8. qu. 7. Ratio est, quia tristitia de obiectis temporalibus pertinet ad partem inferiorem : Christus autem non est tristatus, nisi de temporalibus, quia de Deo semper habuit gaudium beatificum : Ergo. Respondeo. D. Thomas solum negat Christum in parte superiore habuisse tristitiam circa Deum, quod est obiectum principale partis superioris, vt ipsemet se explicat. Quod autem obiicitur tristitiam de obiectis temporalibus pertinere ad partem inferiorem, verum est, quando motiuum est etiam temporale : falsum, quando motiuum est Deus, aut aliquid diuinum.

7. TERTIA CONCLVSIO. In eadem voluntate Christi potuit simul esse tristitia & gaudium beatificum. Ita Paludanus in 3. dist. 15. q. 3. & alij plures. Ratio est, quia licet duæ formæ contrariæ, vt calor & frigus, non possunt naturaliter esse in eodem subiecto, possunt tamen esse virtute diuina; sicut duo corpora possunt esse simul in eodem loco.

8. Dices. Hoc quidem verum est de formis naturalibus, vt de calore & frigore; non tamen de actibus vitalibus. Hi enim, quando contrarij sunt, ne quidem per diuinam virtutem possunt esse simul in eodem subiecto; vt verbi gratia, assensus & dissensus circa eandem propositionem, amor & odium efficax circa eandem rem. At gaudium & tristitia sunt actus vitales; & inter se contrarij : Ergo non possunt esse simul in eadem voluntate. Respondeo. Quando duo actus vitales sunt contrarij circa idem obiectū, tunc non possunt esse simul, vt patet in exēplo allato de assensu & dissensu circa eandē propositionē; itemque de efficaci amore & odio circa eandem

dem rem. Quando autem sunt quidem contrarij, nō tamen circa idem obiectum, sed circa diuersa, tunc possunt esse simul. Et hoc modo dicimus in conclusione, gaudium beatificum, quod est circa Deum & tristitiam, quæ est circa mortem aut iniurias illatas, potuisse esse simul in eadem voluntate Christi, non quidem naturaliter, sed per diuinam virtutem, sicut duo corpora sunt simul in eodem loco.

9. Dices 2. Hoc potest fieri naturaliter. Nā potest aliquis simul gaudere de sanitate Patris, & tristari de infirmitate matris. Respondeo. Hoc verum est, quando gaudium & tristitia sunt de rebus creatis, & neutrum per se implet voluntatem. Tunc enim gaudium de vna re, potest naturaliter admittere tristitiam de alia re. Quia gaudium in tali casu non satiat voluntatem, ac proinde non est sufficiens ad excludendam omnem tristitiam. Quando autem gaudiū est de bono infinito clare viso & possesso, tunc non potest naturaliter admittere vllam secum tristitiam; quia tale gaudium ita satiat, & replet voluntatem, vt voluntas naturaliter nō sit capax vllius tristitiæ. Potest tamē esse capax per diuinam virtutem & potentiam obedientialem. Sic factum est in Christo.

10. Dices 3. Christus per gaudium beatificum, nō solum lætabatur de Deo, sed etiam de sua morte: Ergo nulla potuit esse tristitia in ipsius voluntate de eadem morte. Sequela patet ex dictis. Antecedens probatur, quia per visionem beatificam cognoscebat suam mortem, & omnia bona, quæ ex illa futura erant: Ergo etiam habebat gaudium beatificum de sua morte. Respondeo. Multa hic negari possunt. Ac 1. Negatur antecedēs obiectionis, quod

Christus

Christus per gaudium beatificum lætatus sit de sua morte. Nam gaudium beatificum versatur circa solum Deum. Potuit quidem gaudere de sua morte, sed per aliud gaudium, distinctum à gaudio beatifico. 2. Negatur consequentia. Non enim sequitur: Christus lætatus est de sua morte: Ergo non potuit de eadem tristari. Vtrumque potuit diuerso modo: Lætari de illa, quatenus erat vtilis ad multorum salutem: tristari, quatenus erat malum naturæ. 3. Multi negant, Christum per visionem beatificam cognouisse suam mortem; præsertim illi, qui putant, solum Deum, non autem creaturas videri vi visionis beatificæ. 4. Esto, videantur creaturæ per visionem beatificam, non tamen sequitur, sicut visio beatifica versatur circa creaturas, ita etiam gaudium beatificum circa illas versari. Nam visio, facta hac suppositione, latius se extendit, quàm gaudium. Beati enim, iuxta hanc suppositionem, possunt in Deo clare vise, videre etiam peccata hominum; de quibus tamen gaudio beatifico lætari non possunt.

QVÆSTIO VIII.

An in Christo fuerit timor?

1. TIMOR differt à tristitia, quod tristitia oriatur ex apprehensione mali præsentis; timor ex apprehensione mali futuri. Est ergo quæstio, An Christus ex apprehensione mortis futuræ habuerit timorem, sicut ex apprehensione mortis quasi præsentis, habuit tristitiam? Ratio dubitandi est, quia timor non oritur ex apprehensione cuiuslibet mali futuri, sed tantum ex apprehensione alicuius mali, quod putatur euenturum, sed incerto euentu.

Quando autem apprehenditur aliquod malum, quod certo constat esse futurum, hoc non apprehenditur per modum futuri, sed per modum præsentis: Et ideo non causat dolorem, sed tristitiam, vt docet Diuus Thomas articulo 7. Et probat ex Aristotele libro 2. Rhet. capite 5. vbi dicit, Timorem non esse, nisi vbi est aliqua spes euadendi. At Christus apprehendebat mortem certo futuram, sine spe euadendi: Ergo non habuit timorem.

2. PRIMA CONCLVSIO. In appetitu sensitiuo Christi fuit verus timor. Colligitur ex illo Marci 14. 33. *Cæpit pauere & tædere.* Et infra v. 30. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Vbi apparet eum loqui de timore sensibili. Idem docent Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 1. Damascenus lib. 3. de fide cap. 23. Leo Papa sermon. 7. de passione Domini, & apud Vasquez disp. 62. cap. 3. Ratio est, quia sicut appetitus sensitiuus naturaliter tristatur de malo præsenti, ita naturaliter timet malum futurum. Cum ergo in Christo fuerit tristitia de malo præsenti, vt dictum est; necesse est, fuisse etiam timorem de malo futuro, quod præuisum est futurum.

3. SECVNDA CONCLVSIO. In voluntate Christi, secundum partem inferiorem, fuit etiam timor. Colligitur ex iisdem verbis, *Cæpit pauere.* Possunt enim intelligi de vtroque timore, tam sensibili in appetitu sensitiuo, quam naturali in voluntate, vt exponit Cyrillus, partim loco citato, partim lib. 10. thesauri cap. 3. & Damascen. lib. 3. de fide cap. 18. & 23. Ratio est, quia timor voluntatis naturaliter connexus est cum timore appetitus sensitiui. Vide Vasquez loco citato.

4. TERTIA CONCLVSIO. Etiam in superiori

parte voluntatis Christi fuit timor. Colligitur ex illo Isaiæ 11. 3. *Replebit eum spiritus timoris Domini.* Difficultas est, in quo consistat hic timor? An in fuga futuri mali, sicut timor, de quo dictum est in præcedentibus conclusionibus? An in aliquo alio? Diuus Thomas quęstione 7. articulo 6. docet consistere in quodam affectu reuerentiæ erga Deum, propter eminentiam illius. Alij aliter explicant.

5. Ad rationem dubitandi initio propositam sic Respondeo. Incertitudo mali futuri, seu spes euadendi, non est de essentia timoris, sed fuga futuri mali, siue certo constet futurum, siue dubium sit. Sicut spes, quæ opponitur timori, non necessario includit incertitudinem boni futuri, vt patet in animabus Purgatorij quæ sperant beatitudinem, quam certo sciant futuram. Item in animabus beatis, quæ sperant glorioſum corpus certo futurum. Ita Suarez quæst. 15. art. 7. in Commentario, & Vasquez disp. 62. cap. 3.

6. Nec obstat Aristoteles. Quando enim loco citato dicit, timorem esse cum aliqua spe euadendi, non loquitur de timore generatim, sed solum de eo timore, in quo locum habet consultatio. Nam quãdo est spes aliqua euadendi, tunc potest fieri consultatio de modo euadendi. Quando non est spes euadendi, cessat consultatio. Sic explicat Vasquez. Alij sic: Duplex est timor. Alter absolutus & efficax, qui supponit ignorantiam mali futuri, & ideo admittit aliquam spem euadendi. Alter per modum simplicis displicentiæ, & hic potest esse cum certitudine futuri mali. De priori loquitur Aristoteles. Ita explicat Suarez. Res eadem est. Nam qui certo scit se cras moriturum, timet quidem

mortem per modum ſimplicis diſplicentiæ, ſicut Chriſtus timuit; ſed non conſultat de modo euadendi. Qui autem dubitat de craſtina morte, non ſolum timet morté, ſed etiam efficaciter cogitat de modo euadendi. Cum enim certo non ſciat ſe moriturum, habet aliquam ſpem vitæ, & conatur mortem euadere. Quid D. Thom. ſentiat, dubium eſt. Nam ſatis obſcure loquitur.

CAPVT XIII.

De voluntate Chriſti.

EVERVNT olim hæretici aſſerentes vnam tantum volun tatem in Chriſto; ideoque Monothelitæ appellati ſunt. At Catholici ſic vt agnoſcũt duas naturas in Chriſto, diuinam & humanam; ſic etiam duas voluntates. De diuina dictum eſt in 1. parte. De humana hic agitur. Et quæritur 1. An humana Chriſti voluntas fuerit libera in operando? 2. Quomodo hæc libertas voluntatis Chriſti conciliari poſſit cum eius impeccabilitate? 3. An in voluntate Chriſti fuerint actus efficaces & inefficaces? 4. An voluntas Chriſti ſemper fuerit conformis diuinæ voluntati? 5. An ſemper fuerit impleta?

QVÆSTIO I.

An humana Chriſti voluntas fuerit liberæ in operando?

1. VEl quod idem eſt, An Chriſtus habuerit liberum arbitrium? Certum eſt, habuiſſe. Primo,

quia Scriptura id testatur Isaiæ 7.15. *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum.* Et Isaiæ 53.7. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Secundo, quia liberum arbitrium est quædam perfectio humanæ naturæ: At in Christo non minus perfecta fuit humana natura, quam in nobis: Sicut ergo nos habemus liberum arbitrium, ita & Christus habuit. Tertio, idem constat ex merito Christi. Nam actiones meritoriæ debent esse liberæ. Quarto; ex obedientia, quam præstitit Deo Patri *factus obediens vsque ad mortem.* Et similiter quam præstitit Iosepho & Matri Virgini: *Et erat subditus illis* (Lucæ 2.51.)

2. Hæc doctrina potest sic explicari. Libertas voluntatis consistit in tribus. 1. vt sit libera à coactione, id est, vt non coacte, sed spontanee seu voluntarie agat. 2. Vt sit libera à necessitate, quoad exercitium, id est, vt non necessitetur ad agendum, sed possit agere & non agere, seu velle & non velle. 3. vt sit libera à necessitate, quoad speciem actus, id est, vt non necessario determinetur ad vnum è duobus, sed possit alterutrum eligere pro suo beneplacito.

3. His tribus modis voluntas Christi fuit libera. Ac primo, in omnibus suis actionibus elicitis fuit libera à coactione. Nam, vt in Tractatu de libero arbitrio dictum est, voluntas non potest cogi seu violentiam pati in actibus à se elicitis, id est, actus à voluntate eliciti, non possunt dici coacti aut violenti, sed voluntarij. Ratio est, quia illud dicitur violentum, *quod fit à principio extrinseco, passo resistente, & nullam vim actiuam conferente*: At actus à voluntate eliciti non sunt tales. 1. Quia non fiunt à principio extrinseco, sed ab ipsa voluntate. Secundo,

voluntas non resistit. 3. Neque nullam vim actiuam confert.

4. Secundo, in quibusdam actibus elicitis fuit libera à necessitate quoad exercitium, quia quosdam potuit elicere & non elicere, pro suo arbitrio. Potuit enim velle, & non velle ambulare, iuxta illud Ioan. 7. 1. *Non volebat in Iudæam ambulare.* Dixi, in quibusdam actibus, quia non fuit libera in eliciendo actu amoris beatifici. Non enim libere, sed necessario eliciebat actum amoris circa Deum clare visum, sicut omnes beati in cœlo,

5. Tertio, fuit etiam libera à necessitate, quoad speciem actus, quia potuit ex duobus bonis, vnum præ altero eligere. Quo pacto cum posset miracula facere, & in Iudęa, & in Sidone; maluit in Iudæa facere, quam in Sidone. Et cum posset vel Matthiam, vel Iosephum, in locum Iudæ admittere, voluit potius eligere Matthiam, quam Iosephum. Et sic deinceps.

6. Est tamen triplex discrimen inter Christi & nostram voluntatem in hac vita. 1. Quod voluntas Christi necessario amauerit Deum, vt dictum est. 2. Quod nullos habuerit actus indeliberatos. 3. Quod fuerit impeccabilis, de quo deinceps dicendum.

QVÆSTIO II.

Quomodo libertas voluntatis Christi possit conciliari cum ipsius impeccabilitate?

1. RAtio dubitandi est, quia si Christus non potuit peccare; Ergo non habuit liberum arbitrium. Nam liberum arbitrium in eo consistit, vt

quis possit bene vel male agere. Respondeo. Libertas arbitrij non necessario requirit facultatem peccandi. 1. Quia Deus habet liberum arbitrium, & tamen non potest peccare. 2. Quia libertas arbitrij est quædam perfectio in homine & in Deo: At peccare, est deficere à perfectione: Ergo libertas peccandi non pertinet ad perfectionem, sed ad imperfectionem. Hæc responsio bona est: Sed occurrunt aliquæ adhuc difficultates. Igitur.

2. Dices 1. Si Christus non potuit peccare: Ergo nullum præceptum potuit transgredi: Ergo necessario debuit omnia seruare: Non ergo fuit liber in illis seruandis. Quod speciatim ostendi potest in præcepto moriendi. Nam si habuit præceptum moriẽdi, & non potuit contra illud peccare, consequens est, necessario elegisse mortem & non libere. Nam si libere elegisset, potuisset non eligere, & sic peccasset contra præceptum sibi impositum. Respondeo. Etiamsi verum esset, non fuisse liberum in obseruandis præceptis, non tamen sequeretur, non habuisse liberum arbitrium, quia potuit multa alia libere facere, quæ non erant præcepta.

3. Deinde negandum est, non fuisse liberum in illo casu. Nam libere seruauit omnia præcepta, quæ erant illi imposita. Quod primo patet in præcepto moriendi. Potuit enim velle mori, vel ex motiuo charitatis, vel ex motiuo obedientiæ, vel fortitudinis, vel patientiæ, vel misericordiæ, vel alterius virtutis, vel ex motiuo omnium istarum virtutum: Ergo liberum illi fuit implere præceptum moriendi, vel per actum charitatis, vel obedientiæ, vel alterius virtutis: Ergo nulla fuit necessitas in actu voluntatis: Ergo etiam nulla

fuit in opere externo, quo sustinuit mortem. Nam externum opus tunc censetur liberum, quando imperatur à libero actu voluntatis. Atqui externa passio, quam sustinuit Christus, imperata fuit à libero actu voluntatis: Ergo fuit etiam libera.

4. Dices 2. Hinc quidem sequitur, Christum in particulari fuisse liberum ad hunc vel illum actum voluntatis eliciendum; sed tamen in communi fuisse determinatum ad implendum præceptum moriendi. Respondeo. Hoc verum est. Nec obest libertati voluntatis circa singulos actus in particulari. Quod patet à simili. Nam etiam diuina voluntas necessario determinata est ad bonum in communi; non tamen necessario determinata est ad hoc vel illud bonum creatum in particulari. Et ideo, tametsi necessario velit bonum (quia non potest deficere à bono) tamen libere vult hoc vel illud bonum creatum. Vide Diuum Thomam quæstione 18. art. 4. ad 3.

5. Quod dixi de præcepto moriendi, dico etiam de aliis præceptis affirmatiuis. Tametsi enim Christus in communi fuerit determinatus ad ea seruanda; tamen in particulari fuit liber ad ea seruanda per hunc vel illum actum voluntatis. Et tametsi nullum præceptum affirmatiuum potuerit omittere, quin illud impleret; potuit tamen omittere illum actum per quem impleuit, quia potuisset per alium actum implere.

6. Idem est de præceptis negatiuis, quæ prohibent mala. Tametsi enim Christus non potuerit facere mala, quæ erant prohibita (non enim poterat elicere actum odij, inuidiæ, homicidij) potuit tamen libere implere præcepta negatiua, quia potuit

eligere varios modos, quibus ea impleret. Potuit enim vel cessare tantum ab actibus prohibitis, vel positiue eos detestari, vel efficere bonos actus contrarios. Hoc enim sufficit ad libertatem in eiusmodi præceptis seruandis.

7. Dices 3. Ex hac doctrina sequitur, Christum non fuisse operatum libere circa opera præcepta, sub ea ratione, qua erant præcepta, sed sub alia ratione, qua non erant præcepta. Verbi gratia. Non libere acceptasse mortem, quæ erat in præcepto, sed libere acceptasse propter hoc vel illud motiuum, quod non erat in præcepto. Ac proinde Christum non meruisse obediendo, sed efficiendo opera bona, eo modo, quod non erant necessaria ex præcepto. Respondeo. Negatur prima consequentia. Nam Christus libere operatus est circa mortem vtroque modo, & quatenus erat in præcepto, & quatenus non erat in præcepto. Nam vno eodemque actu acceptauit mortem, quæ erat in præcepto; & acceptauit ex hoc vel illo motiuo, quod non erat in præcepto.

8. Hinc sequitur 1. Illum actum voluntatis, quo Christus acceptauit mortem, omnino fuisse liberum, tum quia processit ex libero motiuo; tum quia per alium actum poterat acceptare: fuisse tamen circa rem præceptam, & non liberam. Vel, quod idem est, actum fuisse liberum, ratione motiui & exercitij; sed obiectum actus fuisse necessarium, ratione præcepti. 2. sequitur, Christum libere meruisse, non solum per actum aliarum virtutum, sed etiam per actum obedientiæ, quia libere obediuit præcepto Dei. Tametsi enim necessario deberet illi obedire ratione obiecti, libere

tamen fecit ratione actus.

9. Dices 4. Saltem sequitur ex hac doctrina, si Christo fuisset impositum præceptum, non tantum faciendi rem aliquam, sed etiam faciendi illam ex tali motiuo, & per talem actum indiuiduum, & in tali loco ac tempore, & cum omnibus aliis circumstantiis; futurum fuisse, vt non operaretur libere, ac proinde nec meritorie. At consequens absurdum est. 1. quia nullum opus virtutis infusæ potest esse sine merito, quando operans est in statu merendi. 2. nec est certum, Christo non fuisse impositum præceptum operandi, cum omnibus circumstantiis in particulari.

10. Respondeo. Conceditur consequentia. Nec consequens est absurdum. 1. quia tametsi opus virtutis infusę sit meritorium quando est liberum, non tamen quando non est liberum. Hoc patet in actu charitatis erga Deum, qui in nobis est meritorius propter libertatem, & tamen in Christo non fuit meritorius propter oppositam necessitatem. 2. Nec incertum est, Christo non fuisse impositum præceptum operandi cum omnibus circumstantiis, cum quibus de facto operatus est; quia nulla alia præcepta diuina obligant cum omnibus circumstantiis, quibus impleri possunt.

QVÆSTIO III.

An in voluntate Christi fuerint actus efficaces & inefficaces?

1. EFficax voluntatis actus hoc loco dicitur, qui est principium operandi, & mouet ad executionem. Inefficax, qui non est principium operandi,

sed consistit in simplici complacentia boni, vel displicentia mali. Prior est absolutus, posterior, tametsi in se quoque absolutus sit, aliquando tamen annexam habet conditionem. Prior explicatur hac voce, *volo*. Vel, volo hæc facere, impedire, omittere. Posterior, hac voce, hoc bonum mihi placet, & vellem facere, si non esset impedimentum. Item, hoc malum mihi displicet, & vellem euitare, si honeste possem.

2. Vterque actus fuit in voluntate Christi. Efficax quidem quo voluit facere opera virtutum, obedire Patri, suscipere mortem. Inefficax, quo displicuit illi mors, tanquam malum naturæ.

3. Nota. Mors Christi potest tripliciter spectari. 1. quatenus est malum naturæ. 2. quatenus est effectus nostrorum peccatorum. Nam nostra peccata sunt causa mortis Christi. quatenus est causa nostræ saluris, seu remedium contra peccata humani generis.

4. Igitur Christus habuit triplicem actum voluntatis circa mortem. 1. Simplicem displicentiam, ortam ex naturali inclinatione, qua voluntas abhorret à malo naturæ. 2. simplicem displicentiam, ortam ex deliberata consideratione peccatorum, quæ erant causa mortis. 3. Efficacem voluntatem moriendi pro salute humani generis.

5. Omnes illi actus colligi possunt ex illis Christi verbis: *Pater mi; si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quasi dicat: Displicet mihi mors, tum quia naturæ contraria est, tum quia effectus peccati est; & vellem fugere si possem: sed quia tu vis, vt moriar pro salute aliorum, volo mori.

QVÆSTIO IV.

An voluntas Christi semper fuerit conformis diuinæ voluntati?

1. VNA voluntas potest tribus modis esse conformis alteri. 1. Effectiue, vt quãdo vna vult id, quod altera vult illam velle. Quod perinde est, ac si dicas, quando vna obedit præcepto alterius. 2. Materialiter, quando ambæ volunt eandem rem. 3. Formaliter, quando non solum volunt eamdem rem, sed etiam propter eandem rationem seu causam. Vide D. Thomam in 1. 2. quæst. 19. art. 10. & Suarez in 3. part. q. 18. art. 5. in commentario.

2. PRIMA CONCLVSIO. Efficax voluntas Christi semper fuit conformis diuinæ voluntati in primo sensu, id est, Christus semper efficaciter voluit id, quod Deus volebat illum velle. Est communis sententia, Et colligitur ex illo Ioan. 4. 34. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me*, Et Hebr. 10, 9. *Ecce venio, vt faciam, Deus voluntatem tuam.* Ratio sumitur ex duplici capite. 1. quia Christus sciebat voluntatem Dei præcipientis. 2. quia erat impeccabilis: Ergo quidquid Deus volebat illum velle, hoc efficaciter & absolute volebat. Hæc conclusio intelligitur de voluntate signi, seu de voluntate Dei præceptiua.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Efficax voluntas Christi, vt plurimum, fuit conformis diuinæ voluntati materialiter, seu in re volita. Hoc intellige de voluntate beneplaciti, quę potest triplex in Deo distingui, sicut ab aliquibus distinguitur. Prima ante-

cedens, qua Deus decreuit aliquid facere independenter à noſtro libero arbitrio, vt creare cœlum & terram, dare pluuiam, frigus, æſtum, conferre gratiam præuenientem, & ſimilia, quæ à nobis non pendent. Secunda comitans, qua decreuit concurrere nobiſcum ad actiones liberi arbitrij. Tertia conſequens, qua decreuit bonos beare propter merita, & malos punire propter peccata. Igitur voluntas Chriſti ſemper fuit conformis diuinæ voluntati antecedenti & conſequenti, non tamen ſemper comitanti. Ratio patebit ex dicendis.

4. Quæres, An etiam noſtra voluntas ſemper ſit, aut eſſe debeat conformis huic triplici diuinæ voluntati? Reſpondeo. 1. Voluntati Dei antecedenti, qua decreuit aliquid facere ſine concurſu noſtri liberi arbitrij, ita debet eſſe conformis voluntas noſtra in re volita, vt non velimus oppoſitum fieri, aut ad oppoſitum aliquo modo conari. Ratio eſt, quia ſtultum eſſet, quid conari contra illam voluntatem, cui nemo poteſt reſiſtere, & quę nullo modo à nobis dependet. Hinc ſequitur, Chriſtum ſemper fuiſſe conformem voluntati Dei antecedenti, quia nihil ſtulte aut imprudenter vnquam voluit.

5. Reſpondeo, 2. Voluntati Dei comitanti non ſemper tenemur conformare voluntatem noſtram, ſed poſſumus aliquo modo ei aduerſari. Ratio eſt, quia Deus per voluntatem comitantem decreuit concurrere nobiſcum, non ſolum ad ſubſtantiam actus boni, ſed etiam ad ſubſtantiam actus peccati. Non tenemur autem velle, vt concurrat nobiſcum ad ſubſtantiam actus peccati: Imò ſi reuelaret nobis futurum noſtrum peccatum, teneremur conari ſeruare omnia præcepta, & conſequenter

euitare omnia peccata, non obstante Dei decreto, seu voluntate concurrendi ad actum peccati. Hinc sequitur, Christum potuisse aliquo modo non esse conformem voluntati Dei comitanti, quia potuit velle & conari, vt homines cessarent à peccatis, & consequenter, vt Deus non concurreret ad entitatem actus peccati.

6. Respondeo 3. Voluntati Dei consequenti, qua decreuit aliquid facere, occasione ex nobis accepta, non tenemur voluntatem nostram ita conformare, vt non liceat conari in oppositum, sed satis est, si non faciamus contra aliquod præceptum diuinum. Ratio est, quia qui punitur à Deo per morbum propter peccata præcedentia, si certo sciat hanc pœnam duraturam ex iusto Dei iudicio, non potest ei resistere: si non sciat, potest per orationes, eleemosynas, & alia pia remedia conari, vt liberetur ab illa pœna. Hinc sequitur, Christum semper fuisse conformem diuinæ voluntati in hac re, quia certò sciebat in particulari quid Deus absolute decreuisset facere circa pœnam. Huic autem decreto non poterat efficaciter se opponere. Poterat quidem conari impedire peccata, quę sunt causa pœnæ, non tamen pœnam iam fixe constitutam.

7. TERTIA CONCLVSIO. Efficax voluntas Christi semper fuit conformis diuinæ voluntati in ratione volendi, id est, quidquid efficaciter voluit, semper voluit ob aliquem honestum finem, qui Deo placeret. Patet ex dictis, 1. quia Christus erat impeccabilis: Ergo nihil poterat velle, ob finem turpem: Ergo omnia volebat ob finem honestum. Quidquid autem honestum est, Deo placet. 2. Quia Christus sciebat voluntatem Dei: Ergo semper opera-

batur ob aliquem finem, quem sciebat Deo gratum esse.

8. Dices, hinc sequitur: Christum non fuisse liberum in hac re. Nam cum posset idem opus facere propter varios fines aut motiua, semper sciebat, quis finis aut quod motiuum esset Deo gratius: Ergo cũ amaret Deum summa dilectione, semper debuit eligere illud, quod Deo maxime placeret: Ergo non fuit liber in hoc negotio. Respondeo. 1. Non est necessarium, vt semper id faciamus, quod scimus Deo esse gratius. Nullo enim præcepto ad hoc obligamur. 2. Omnia opera Christi, ex quocunque fierent motiuo, erant Deo æque grata. Erant enim infinite grata, propter infinitam dignitatem personæ operantis. 3. Omnia fiebant ex eodem feruore charitatis. Christus enim semper æquali feruore diligebat Deum, & ex illo feruore æqualem dignitatem habebant ipsius opera.

9. QVARTA CONCLVSIO. Inefficax voluntas Christi non semper fuit conformis diuinę voluntati in re volita. Ita D. Thom. quæst. 18. art. 3. Et colligitur ex illo: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quasi dicat, tu vis me mori, & ego refugio mortem. Et cum vtrumque fieri non possit, fiat quod tu vis, & non quod ego volo.

10. Dices, Ergo vna voluntas fuit alteri contraria, seu repugnans. Respondeo. Non sequitur. 1. quia repugnantia tantum est inter voluntates efficaces: non autem inter vnam efficacem & alteram inefficacem. 2. Nec habet locum, quando sunt diuersę rationes formales, quod hic contingit. Nam Christus inefficaciter refugiebat mortem,

tanquam malum naturæ: Deus efficaciter eandem volebat, tanquam bonum totius humani generis. Non repugnat autem eandem rem velle sub ratione boni, & refugere sub ratione mali. Vide Vasquez disputat. 73. capite 3. num. 19. Addo, Licet hæc voluntas Christi inefficax non fuerit conformis diuinę voluntati materialiter, seu in re volita; fuit tamen conformis effectiue, seu in primo genere conformitatis. Deus enim volebat, Christum habere naturalem displicentiam mortis, vt hac ratione ostenderet, se esse verum hominem.

QVÆSTIO V.

An Christi voluntas fuerit semper impleta?

1. ALIQVI generatim docent, voluntatem Christi efficacem semper fuisse impletam; non tamen inefficacem. Ita Suarez disp. 38. sect. 5. vbi citat multos authores. Ratio est, quia si Christus absolute & efficaciter voluisset aliquid fieri, quod postea nõ fuisset impletum, sequeretur, illum vel ignoranter voluisse, vel imprudenter: Neutrum dici potest: Ergo.

2. PRIMA CONCLVSIO. Quidquid Christus absolute & efficaciter volebat fieri per seipsum, hoc semper fuit impletum; non tamen, quidquid volebat fieri per alios. Ita Diuus Thomas quæstione 13. art. 4. ad 1. & Caietanus ibidem. Prior pars probatur, quia si absolute voluisset aliquid per se fieri, quod tamen non fuisset impletum, sequeretur illum vel non potuisse implere, vel mutasse voluntatem. Neutrum dici potest. Non 1. quia ipse optime sciebat,

sciebat, quidnã posset per seipsum implere, & quid non posset. Si ergo præsciuisset se non posse implere, imprudenter statuisset se velle implere. Nec 2. quia nemo prudenter mutat voluntatem, quæ alioqui honesta est, nisi occurrat aliqua causa, quam anteà non præuiderat. At nihil tale potuit Christo contingere, qui omnes euentus futuros certò & infallibiliter præuidebat.

3 Posterior pars colligitur ex illo Marci 7.24. *Ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.* Propter quæ verba D. Thomas loco citato concedit non semper fuisse impletum, quod Christus volebat fieri per alios. Et in eandem sententiam citat Agathonem Papam in epist. decretali, quæ habetur in 6. Synodo act. 4. vbi ex iisdem verbis colligit in Christo fuisse voluntatem humanam, quæ non semper fuerit impleta. Nec dici potest hoc intelligi de voluntate inefficaci. Nam Agatho expresse dicit hanc esse differentiam inter voluntatem Christi diuinam & humanam, quòd diuina semper impleta fuerit, non autem humana: Ergo confert diuinam efficacem cum humana efficaci; alioqui non esset vera differentia. Si enim conferret diuinam inefficacem cum humana inefficaci, beberet dicere, neutram semper impleri.

4. Accedit ratio ex præcedenti quæstione, quia Christus potuit absolute velle & conari quantum erat in potestate sua humana, vt homines cessarent à peccatis: Et tamen hoc non semper fuit impletum.

5. DICES. Qui aliquid absolute vult fieri per alium, quod certo scit non futurum, videtur imprudenter id velle fieri. Respondeo. Potest id velle

prudentissime,& propter optimum finem. Quo pacto Christus absolute volebat & conabatur abducere homines à peccatis, vt suo exemplo excitaret alios ad zelum animarum. Similiter volebat latere, vt daret nobis exemplum humilitatis. Vide Diuum Gregorium lib.19.Moralium cap.18.& D.Thomam art.citato ad 2.

6. SECVNDA CONCLVSIO. Inefficax voluntas Christi non semper fuit impleta. Colligitur ex illo, *Transeat à me calix iste.* Ratio est, quia si impleretur, non esset inefficax. Vbi notandum est, fieri posse,vt aliquis inefficaciter optet aliquid fieri,quod tamen postea fiat:non quòd fiat vi illius voluntatis inefficacis,sed vi alicuius alterius efficacis. Vt si quis propter fidem Catholicam rapiatur ad martyrium, & habeat duas voluntates, alteram efficacem,qua se sponte ex amore Dei offerat ad mortem; alteram inefficacem, qua ex naturali inclinatione mortem refugiat; fieri potest,vt euadat mortem,non sua voluntate inefficaci, sed alterius voluntate efficaci. Vnde in tali casu non est dicendum, voluntatem inefficacem impleri, sed efficacem.

CAPVT XIV.

De merito Christi.

IN actionibus Christi tria spectanda sunt. 1. Valor.2.Meritum.3. Satisfactio. Valor respicit dignitatem & sanctitatem operantis. Meritum respicit præmium seu retributionem. Satisfactio respicit peccata humani

generis, pro quibus Christus satisfecit. Rursus valor reperitur in omnibus Christi actionibus, tam necessariis, quàm liberis: Meritum & satisfactio in solis liberis. Hoc loco agimus de valore & merito. Et quæritur primò An actiones Christi fuerint infiniti valoris? 2. An fuerint etiam infiniti meriti? 3. per quas actiones meruerit Christus? 4. quo tempore meruerit? 5. quid sibi meruerit? 6. Quid Angelis? 7. quid nobis? 8. quomodo merita Christi nobis applicentur? & an æqualiter omnibus? 9. quomodo nostra merita dependeant à meritis Christi?

Quæstio I.

An actiones Christi fuerint infiniti valoris?

1. Negat Scotus in 3. dist. 19. q. 1. & nonnulli alij. Ratio, est quia valor cuiusque actionis fundatur in entitate ipsius actionis: At singulæ Christi actiones fuerunt finitæ in sua entitate, Ergo fuerunt etiam finitæ in valore.

2. Alij rectius affirmant. Ratio est, quia valor seu dignitas non oritur ex sola entitate & morali bonitate ipsius actionis, sed etiam ex circumstantiis, & maximè ex dignitate & sanctitate operantis: Sed Christus, qui operabatur, fuit infinitæ dignitatis & sanctitatis: Ergo inde ortus est infinitus valor seu dignitas actionum Christi. Et hinc soluitur ratio in contrarium allata.

3. Dices. 1. Non videtur posse intelligi quomodo actiones Christi acceperint infinitum valorem ex infinita dignitate & sanctitate operantis. Respondeo. Potest hoc dupliciter intelligi. 1. Quod acceperint illum valorem immediate ex

infinita dignitate personæ Verbi, cui tribuebantur actiones humanitatis Christi, quatenus illa persona sustentabat & terminabat humanam Christi naturam operantem. Quo sensu dici solet, actiones esse suppositorum, 2. quod acceperint illum valorem ex infinita dignitate humanæ naturæ, non præcise sumptæ, sed quatenus per diuinitatem erat sanctificata & quasi deificata. Nã diuinitas in Christo fuit quasi forma quædam sanctificans & deificans humanitatem; ac proinde actiones humanitatis procedebant ab humanitate sanctificata & deificata; ideoque erant infiniti valoris ac dignitatis. Hæc posterior explicatio conformior est doctrinæ Patrum, quos citaui cap. 8. q. 1. concl. 1. Et eam sequitur Vasquez disp. 5. cap. 5.

4. Dices 2. Si humanitas Christi potest sanctificari & quasi deificari per diuinitatem, vt dictum est, potest etiam fieri omnipotens & immensa per omnipotentiam & immensitatem Dei, sicut docent Lutherani, cum sit par ratio. At consequens est falsum: Ergo & illud, ex quo sequitur. Respondeo. Non est par ratio. Nam Lutherani docent, omnipotentiam & immensitatem immediate communicari humanitati; ita vt humanitas formaliter & immediate sit omnipotens & immensa. At nos non dicimus, diuinitatem immediate vniri humanitati, sed mediante subsistentia Verbi. Quod nihil aliud est, quam diuinam & humanam naturam in vna eademque persona vniri ac subsistere: Et ex hac vnione fieri, vt humanitas sanctificetur & quasi deificetur ex consortio diuinitatis in eadem persona.

5. Itaque magna differentia est inter hos duos modos loquendi: Humanitas sanctificatur, & quasi

deificatur ex præsentia diuinitatis: Et, humanitas est omnipotens & immensa per diuinam omnipotentiam & immensitatem. Nam in hoc posteriori significatur, humanitatem in seipsa habere formalem effectum per informationem realis formæ; ita vt in seipsa realiter & formaliter facta sit omnipotens & immensa per diuinam omnipotentiam & immensitatem, quod falsum est. At in priori tantum significatur, humanitatem esse sanctam & Deo gratam per vnionem cum diuinitate in eadem subsistentia. Hoc autem nihil reale ponit in humanitate, præter solam coniunctionem substantialem, qua immediate coniungitur cum persona Verbi, & illa mediante, cum diuinitate.

6. Dices 3. Si actiones Christi habuerunt infinitum valorem ex infinita dignitate operantis, ergo infinite placuerunt Deo: Ergo non minus illi placuerunt, quam sua ipsius essentia & bonitas, quod est absurdum. Respondeo. Nõ sequitur, quia actiones Christi placuerunt Deo infinite, non ratione sui præcise, sed ratione operantis, vt dictum est; seu propter respectum ad infinitam dignitatem personę Verbi vel diuinitatis. At essentia & bonitas diuina non ratione alterius, sed ratione sui ipsius, placet Deo infinite. Ita Vasquez disp. 6. cap. 3.

7. Dices 4. Ex eo, quod visio beatifica respicit Deum infinitum, non censetur esse infiniti valoris ac dignitatis: Ergo etiam ex eo, quod actiones Christi respiciunt personam aut diuinitatem infinitam, non possunt habere valorem infinitum. Respõdeo: Non sequitur, quia visio beatifica respicit Deũ infinitum, per modum obiecti. At actiones Christi respiciunt personam Verbi, vel humanitatem

deificatam per modum operantis. Dignitas autem operantis plus confert ad dignitatem actionis, quam dignitas obiecti.

8. Quod dupliciter ostendo. Primo, ex modo loquendi, quia actiones Christi, quatenus procedunt ab operante, solent à Patribus vocari diuinæ, Theãdricæ, Deiuiriles, vt notat Suarez disp. 4. sect. 4. & Vasquez disp. 5. cap. 5. At visio beatifica, quæ versatur circa Deum, non solet eo nomine appellari. Simile est de actione, quæ elicitur ab Angelo, & de actione quæ elicitur ab homine circa Angelum. Nã prior vocatur Angelica, non posterior.

9. Secundo, ex reipsa, quia obiectum infinitum non terminat actionem creatam infinite, sed tantum finite. At operans infinitæ dignitatis, infinito modo afficit suam operationem, quam producit. Et ideo talis operatio censetur habere infinitam quandam dignitatem. Vide Suarez loco citato.

QVÆSTIO II.

An actiones Christi fuerint infiniti meriti?

1. EX dictis constat, fuisse infiniti valoris. Nunc quæritur, an fuerint etiam infiniti meriti? Triplex opinio est. Prima eorum, qui negant fuisse infiniti valoris. Nam illi consequenter negant, fuisse infiniti meriti. Quorum rationes iam solutæ sunt.

2. Secunda eorum, qui concedunt quidem fuisse infiniti valoris, non tamen infiniti meriti. Ratio est, quia ad rationem meriti non solum requiritur valor seu dignitas actionis, sed etiam promissio præmij seu retributionis: ergo ad rationem infiniti me-

riti, non ſolum requiritur infinitus valor ſeu dignitas actionis, ſed etiam promiſſio infiniti præmij. At Chriſto nullum infinitum præmium fuit promiſſum: Ergo actiones illius, licet fuerint infiniti valoris, non tamen fuerunt infiniti meriti.

3. Tertia eſt probabilior, actiones Chriſti, ſicut fuerunt infiniti valoris, ita etiam fuiſſe infiniti meriti. Sic ſentiunt D. Thomas, Bonauentura, Paludanus, Capreolus, Ferrarienſis apud Vaſquez diſp. 6. cap. 2. Et colligitur ex Extrauagante *vnigenitus*, De pœnit. & remiſſ. vbi Clemens 6. definit, Chriſtum ſuis meritis acquiſiuiſſe militanti Eccleſiæ talem theſaurum, qui nunquam conſumendus aut diminuendus eſt, eo quod meritum Chriſti fuerit infinitum. Ratio ſumitur ex duplici principio. Vno, quod actiones Chriſti fuerint infiniti valoris ac dignitatis: Altero, quod illis promiſſum ſit præmium ſine vlla limitatione, vt iam explicabitur.

4. Dices 1. Chriſtus non meruit præmium actu infinitum: ergo meritum ipſius non fuit actu infinitum. Reſpondeo. Non ſequitur, vt patet in hoc ſimili argumento: Deus non produxit creaturã actu infinitam: Ergo potentia ipſius productiua non eſt actu infinita. Ratio eſt, quia vt meritum ſit actu infinitum, ſatis eſt, referri ad præmium infinitum in potentia, ſeu ad præmium finitum in infinitum. Sicut, vt potentia Dei ſit actu infinita, ſatis eſt, referri ad effectum finitum in infinitum. Itaque ſic ratiocinandum eſt: Illud meritum eſt actu infinitum, quod nullo præmio finito exhauriri, aut æqualiter compenſari poteſt. Item illa potentia eſt actu infinita, quæ nullo effectu finito exhauriri poteſt. Vel, cui nullus effectus finitus adæquari poteſt. Vel,

quæ nunquam aliquid producit, quin possit aliquid perfectius producere.

5. Dices 2. Vt meritum sit infinitum in ratione meriti, debet interuenire promissio infiniti præmij: At talis promissio non est facta Christo. Ergo. Respondeo. Eadem est solutio. Debet esse promissio præmij finiti in infinitum. Vel, debet esse promissio non limitata, sed illimitata. Talis autem promissio facta est Christo, vt patet ex illo Isaiæ 53. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*, id est, Deus omnia tradet in manum Christi, vt possit exigere dona gratiæ pro nobis, sine vlla restrictione. Quo etiam spectat illud Rom. 5. 10. *Vbi abundauit delictum, superabundauit gratia.*

6. Dices 3. Christus non potuit mereri vnionem hypostaticam, quæ tamen finita est; Ergo meritum ipsius non fuit infinitum. Respõdeo. Si sermo sit de vnione hypostatica, qua humanitas Christi de facto coniuncta est personæ Verbi, verum est, quod Christus non potuerit illam mereri; non ex defectu meriti, sed aliunde: nempe ex eo, quod illa vnio fuerit principium meriti in Christo: Principium autem meriti non cadat sub meritum. Si vero sermo sit de vnione hypostatica, qua humanitas Christi posset coniungi personæ Patris, aut Spiritus Sancti, falsum est, quod Christus non potuisset illam mereri (supposita vnione cum Verbo) quia illa non fuisset principium meriti. Vide infra, quæst. 6. §. 8. & sequentibus.

7. Dices 4. Si Christi meritum fuit infinitum, quid opus est nostro merito? Respondeo. Ideo opus est nostro merito (quod tamen fundatur in merito

Christi) quia Deus ita vult, & natura rei exigit. Non enim possumus vitam æternam consequi, nisi simus iusti & Deo grati. Non possumus autem esse grati Deo, sine gratia iustificante. Hanc autem gratiam non possumus conseruare, nisi per obseruationem mandatorum Dei. Hæc autem obseruatio in homine iusto est meritoria.

Quæstio III.

Per quas actiones Christus meruerit?

1. Ostensum est generatim, actiones Christi fuisse meritorias. Nunc speciatim quæritur, quænam ex actionib. Christi fuerint meritoriæ? Vel, per quas actiones Christus meruerit? An per omnes & singulas? an per aliquas tantum?

2. Suppono ex tractatu de merito, quinque conditiones requiri ad actionem meritoriam. 1. vt sit libera. 2. vt sit moraliter bona. 3. vt sit hominis iusti & Deo grati. 4. vt sit viatoris. 5. vt intercedat pactum seu promissio de præmio retribuendo.

3. Hinc sequitur, Christum meruisse per illas actiones, quibus hæ conditiones conueniunt: non autem per eas, quibus non conueniunt. Non ergo meruit per visionem beatificam, neque per actum charitatis erga Deum, qui oritur ex visione beatifica, neque per actum gaudij beatifici, propter defectum primæ, quartæ, & quintæ conditionis. Nam illæ actiones nec erant liberæ, sed necessariæ: nec erant actiones viatoris, sed comprehensoris: nec fuit illis promissum præmium seu retributio. Per reliquas potuit mereri, vt per actum orationis, obedientiæ, dilectionis proximi,

& similium virtutum. Sed occurrunt hic aliquæ difficultates.

4. Ac 1. disputari potest, quid sit esse viatorem? Vel, in quo consistat status seu conditio Viatoris? Et quo sensu status ille cõueniat Christo, Angelis, & nobis? Multi sic sentiunt. Primo, Angelos, antequam beati essent, fuisse puros viatores, ex eo, quia per fidem ambulabant, seu tendebant ad vltimum finem, qui est beatitudo. Nunc, quia beati sunt, esse puros comprehensores. 2. Nos etiam in hac vita mortali puros esse viatores, quia in carne passibili ambulamus per fidem. Vel, quia nec corporis nec animæ beatitudinem consecuti sumus, sed ad vtramque tendimus. 3. Christum in hac vita mortali non fuisse purum viatorem, sed simul viatorem & comprehensorem. Viatorem quidem dupliciter. 1. ratione carnis, quæ nondum erat glorioſa, sed passibilis & mortalis. 2. ratione animæ, quæ etiam ex parte erat passibilis & obnoxia dolori, tristitiæ, timori, similibus defectibus, vt c. 12. ostensum est. Comprehensorem, ratione eiusdem animæ, quatenus clare videbat Deum, & illum amabat. Vide D. Thom. q. 15 art. 10. Richardum, Durandum, Gabrielem, Marsilium apud Vasqu. in 1. 2. disp. 216. c. 4.

5. Alij sic. Primo, Christum fuisse viatorem, non solum ratione carnis & animæ passibilis, sicut iam explicatum est; sed etiam ratione animæ, quatenus amabat proximos. Comprehensorem vero, ratione animæ, quatenus amabat Deum clare visum. Itaque meruisse per actum charitatis circa proximos; nõ tamen per actum charitatis circa Deum. 2. Idem dici posse de Angelis & aliis beatis in cœlo: nempe, cõ-

prehẽsores esse, ratione visionis & amoris beatifici: Viatores, ratione amoris circa proximos; Itaque mereri posse per dilectionem proximi, non tamen per dilectionem Dei. Vide Alexandrum, Bonauenturam, Altisiodorensem apud Vasquez, loco citato.

6. Vtraque sententia est probabilis; & iuxta vtramq; sufficienter defendi potest meritum Christi: Hoc interest, quod prior concedat meritum & conditionem viatoris in hac vita tantum, non autem in cœlo posterior etiam in cœlo. Quod tamen non debet intelligi de merito vitæ æternæ, sed aliarum rerum. Nam beati in cœlo non merentur sibi vitam æternã, quam iam habent; sed possunt mereri alia bona, vel sibi, vel nobis, iuxta hanc posteriorem sententiam: Ac proinde non sunt in statu viatoris, respectu vitæ æternæ, sed respectu aliorum bonorum, quæ vel sibi, vel ab aliis possunt acquirere.

7. Secundò disputari potest, An sicut singulæ actiones Christi fuerunt infiniti valoris ac dignitatis, sic etiam singulæ fuerint infiniti meriti? Loquor autem de actionibus liberis, quæ meriti capaces sunt. Respondeo. Singulæ seorsim non fuerunt infiniti meriti, sed omnes simul sumptæ, quatenus per voluntariam mortem fuerunt consummatæ. Ita D. Thomas quodl. 2. art. 2. Valentia quæst. 22. puncto 1. § *ita tamen*. & Vasquez disp. 12. cap. 2. n. 12. Et colligitur ex Scriptura, quæ aperte docet, meritum Christi fuisse dependens ab ipsius morte & passione. Nã ipsemet de se, & morte sua, sic ait Ioann. 12. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructũ adfert.* Et infra v. 32. *Et ego si exaltatus fuero* (in cruce) *omnia trahã ad meipsum.* Quod antea prædictum erat

per Prophetam: Isaiæ 53. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Vbi mors ponitur, tanquam cõditio requisita ad meritum Christi. Quo etiam spectat illud Eph. 1. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Et Hebr. 9. 15. *Ideo noui Testamenti Mediator est, vt morte intercedente, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis*: Et infra v. 22. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Et rursum v. 28. *Sic etiam Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.*

8. Tertio quæritur, An ad rationem meriti necessaria sit promissio præmij seu retributionis? Alij aiunt, alij negãt. Sed distinctione opus est, vt alibi dixi. Nã aliud est actionem esse dignam præmio; aliud ex obligatione deberi illi præmium. Actiones Christi & aliorum iustorum per se quidem, etiam secluſa promissione, sunt dignæ præmio: non tamen ex obligatione debetur illis determinatum præmium, nisi intercedat promissio de tali præmio. Quod maxime patet in actionibus Christi. Nam singulæ, vt dictum est, fuerunt infiniti valoris ac dignitatis; & tamen singulæ non fuerunt infiniti meriti, sed omnes simul sumptę, quatenus per voluntariam mortem fuerunt consũmatæ. Hoc non factum est ex natura rei, sed ex libero pacto seu promissione. Nam Deus non voluit Christo promittere redemptionem humani generis per modum præmij, nisi dependenter ab ipsius morte & passione, vt paulò ante ex Scripturis ostensum est.

Quæstio IV.

Quo tempore Christus meruerit?

1. Tres sunt partes quæstionis. 1. An Christus ceperit mereri ab instanti conceptionis? 2. An desierit mereri post instans mortis? 3. An medio tempore, quod interceſſit inter vtrumque instans, meruerit? Aliqui putant illum in primo instanti conceptionis nec meruisse, nec mereri potuisse, vt Alexander, Albertus, Bonauentura, & Durandus apud Vasquez, disp. 75. ca. 1. Alij nec in primo instanti, nec in infantia, vt Durandus ibidem.

2. Prima Conclvsio. Christus cepit mereri à primo instanti conceptionis. Ita D. Thom. q. 34. art. 3. Caietanus ibidem, Magister, Richardus, Scotus, Paludan⁹, Marsilius in 3. dist. 18. Et sumitur ex illo Hebr. 10. 3. *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Et v. 9. *Tunc dixi: Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Et v. 10. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel.* Nam hinc colligitur, Christum in primo instanti, quo in hunc mundum ingressus est, habuisse voluntatem moriendi pro hominibus, & illa voluntate meruisse nobis sanctificationem Instans autem, quo ingressus est in hunc mundum, fuit instans conceptionis & incarnationis, vt explicant Anselmus, D. Thom. & multi recentiores, iuxta illud Ioan. 16. 28. *Exiui à patre, & veni in mundum,* nempe per Incarnationem.

3. Ratio est, quia Christus in primo instanti potuit mereri: ergo dicendum est, meruisse, cum hoc perfectius sit, quam oppositum: Antecedens pro-

batur dupliciter. 1. quia non implicat, vt patebit ex solutione obiectionum. 2. quia sicut in primo instanti per visionem beatificam clare vidit Deum, & ex illa visione habuit actum amoris beatifici; sic potuit vel per eandem visionem, vel per distinctam reuelationem cognoscere voluntatem Dei patris, vt offerret se morti: Ergo potuit acceptare illam voluntatem, & se morti offerre. Nam posita sufficiendi cognitione & iudicio in intellectu, non indiget voluntas successione temporis ad eligendum; sed eo ipso instanti, quo intellectus iudicat aliquid faciendum; potest voluntas libere consentire.

4. Dices 1. In eodem instanti non potest res produci & operari: Ergo non potest produci & mereri, quia meritum non est sine operatione. Respondeo. Negatur antecedens, quia Angeli in primo instanti suæ creationis operati sunt, vt suppono ex 1. part.

5. Dices 2. Ad meritum requiritur libertas: at in primo instanti non potest voluntas libere operari: Ergo nec mereri. Minor patet, quia voluntas non potest libere operari, nisi sit indifferens ad operandum & non operandum. Hæc autem indifferentia respicit tempus futurum. Respondeo. Hoc non est necesse; quia voluntas eodem instanti temporis, quo indifferens est, potest operari, si velit.

6. Dices 3. Actio naturalis prior est actione libera, vt patet in diuinis: At voluntas Christi in primo instanti habuit actionem naturalem seu necessariam, nempe amorem beatificum: Ergo libera actio debuit postea sequi in secundo instanti. Respondeo Maior vera est vel de priorita-

re rationis, vel de prioritate naturæ; non tamen de prioritate temporis. Vide Vasquez disp. 75. cap. 1. & 3.

7. Secunda Conclusio. Christus desiit mereri ab instanti mortis suæ. Ita D. Tho. q. 19. art. 3. ad 1. & q. 50. art. 6. ad 2. & q. 56. art. 1. ad 3. Vasq. dis. 76. cap. 1. & multi recentiores. Ratio est, quia Christus per passionem in cruce consummauit sua merita, quibus obtinuit nostram redemptionem, vt ipsemet fassus est, cũ dixit: *Consummatum est.* Quod etiam insinuat Apostolus Heb. 2. 10. *Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare.* Et Heb. 5. 9. *Et consummatus* (per passionem) *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Et c. 7. 27. *Non habet necessitatem quotidie pro delictis populi hostias offerre, hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.* Et cap. 9. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et cap. 10. 12. *Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei.* Et ibidem v. 14. *Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Quo etiam spectat illud Ioan. 9. 4. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari.* Vbi per diem intelligit tempus huius vitæ: Et per noctem intelligit mortem, postquam nemo meritorie operari potest, vt exponunt Cyrillus, Augustinus, Beda, & quidem alij apud Maldonatum.

9. Dices 1. Christus nunc in cœlo existens orat pro nobis: Ergo orando meretur aliquid pro nobis, alioqui frustra oraret. Respondeo. Antecedens dubium est. Nam aliqui id negant. Et tunc cessat obiectio. Alij admittunt; asserentes ipsum quidem orare

pro nobis, non tamen vt aliquid de nouo mereatur, sed vt exigat id, quod anteà meritus est. Sed de hac re ex professo agendum est cap. 17.

10. Dices 2. Patres docent Sacramenta fluxisse ex latere Christi post mortẽ: Ergo Christus post mortem meruit illam virtutem sanctificandi, quæ est in Sacramentis. Respondeo. Patres solùm asserunt, per aquam & sanguinem, quæ fluxerunt ex latere Christi post mortem, significari duo Sacramenta, vel mysteria. Quænam illa sint, non eodem modo explicant. Aliqui intelligunt Baptismum & Eucharistiam, vt Chrysostomus, Augustinus, Damascenus, Theophylactus. Alij duo baptismata, aquæ & sanguinis, vt Tertullianus, Ruffinus, Hieronymus. Alij baptismum aquæ, & pretium nostrę Redemptionis, vt Ambrosius, Leo, Beda: de quibus omnibus videatur Vasquez disp. 76. cap. 2. circa finem.

11. TERTIA CONCLVSIO. Christus meruit toto tempore vitæ suæ, etiam in infantia. Ita Vasquez disput. 75. cap. 2. contra Durandum. Ratio est, quia si potuit mereri in primo instanti conceptionis, potuit etiam in infantia. Et similiter, si reipsa meruit in primo instanti conceptionis, non est quod negemus meruisse etiam in infantia; præsertim cum Patres id asserant, & nihil inde sequatur absurdi. Augustinus serm. 11. de Tempore, in fine, ait: *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ.* Certe non alio sensu (inquit Vasquez) nisi quia Christus, quando pro nobis voluit pannis inuolui, meruit nobis sanitatem à peccato; dependenter tamen à passione & morte, vt suprà dixi. Et Ambrosius lib. 1. in Lucam, cap. de Natiuitate Saluatoris: *Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus*

fletus. Mea lacrymæ illæ delicta lauerunt. Quod factum est per modum meriti & satisfactionis. Et Bernard. serm. 1. de Circumcisione, asserit, Christum patienter toleraſſe circumcisionem, vt pretium pro nostris debitis exolueret.

Qvæstio V.

An Christus meruerit sibi gloriam corporis, & exaltationem nominis?

1. Caluinus lib. 2. Instit. cap. 17. §. 6. docet Christum nobis tantùm meruisse, non sibi. Scholastici contra sentiunt, non tantum nobis, sed etiam sibi aliquid meruisse. Disputant vero, quid sibi meruerit? 1. An gloriam corporis, & exaltationem nominis, quam accepit post passionem? 2. An etiam vnionem hypostaticam, visionem beatificam, & gratiam habitualem, quæ tria accepit in primo instanti conceptionis?

2. Conclvsio. Christus meruit sibi gloriam corporis, exaltationem nominis, & alia multa, quæ ei data sunt post passionem. Ita D. Thomas quæst. 19. art. 3. & quæst. 53. art. 4. ad 2. & aperte colligitur ex Scriptura. Philipp. 2. 8. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen.* Et Hebr. 2. 9. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Vbi particula *propter* significat causam meritoriam.

3. Hanc gloriam & exaltationem petiuerat à Patre, Ioan. 12. 28. cum dixit: *Pater, clarifica nomẽ tuum.*

nempe in me. Et Pater promiserat illam ibidem: *Et clarificaui, & iterum clarificabo*, id est, Clarificaui te hactenus, tum voce de cœlo missa: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: tum variis signis & miraculis. Et iterum clarificabo te post mortem, vt omnes euidenter intelligant, te verum esse Dei filium. Quam promissionem postea exegit à Patre, Ioan. 17.1 *Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* quasi dicat: Ecce, nunc tempus illud venit, quo maxime indigeo tua clarificatione; quia nunc imminet mihi mors adeo probrosa & ignominiosa, vt nisi me clarificaueris, & certis signis ac miraculis filium tuum esse declaraueris; omnes me pro sceleste ac impio homine habituri sint. Itaque *clarifica filium tuum.* Quod factum est, quando sol tempore passionis fuit obscuratus, quando terra contremuit, & sepulchra aperta sunt, quando tertia die resurrexit à mortuis, quando glorioſus in cœlum ascendit, quando à Stephano visus est stare ad dexteram Dei Patris. Et sic deinceps.

4. Eodem spectat illud, quod sequitur apud Ioannem, cap. 17. 4. *Ego clarificaui te super terrã; opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam: Et nunc clarifica me, tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te.* Sensus est, Ego clarificaui te, id est, nomen & gloriam tuam hominibus manifestaui: Et ideo, quasi mercedis loco à te peto, vt me vicissim clarifices post mortem; quod fiet, si eam claritatem, quam secundum diuinitatem ab æterno habui, dederis etiam mihi secundum humanitatem. Si quemadmodũ ab æterno sedi ad dexterã tuam, vt Deus, ita post ascẽsionẽ, sedeã ad dexterã, vt homo.

5. Obiicit Caluinus 1. Quid opus fuit descendere filium Dei, vt sibi acquireret aliquid noui? Respondeo. Caluinus vel nõ intelligit, quod obiicit; vel vult simplices decipere. Nam aliud est loqui de filio Dei quatenus præcise Deus est; aliud de Christo, quatenus est homo. Nos non dicimus, filium Dei descendisse de cœlo, seu carnem assumpsisse, vt sibi tãquam Deo aliquid noui acquireret per meritum: Sed dicimus, Christum, supposita iam incarnatione, voluntariam mortem suscepisse, vt sibi tanquam homini, aliquid noui acquireret per meritum, nempe vt acquireret sibi gloriam corporis, & exaltationem nominis.

6. Obiicit 2. Scriptura testatur Christum non venisse propter suam vtilitatem, sed solũ propter nos: Imo adeo se totum addixisse in nostram salutem, vt quodammodo sui oblitus sit. Isaiæ 9.6. *Puer natus est nobis.* Et Zachariæ 9.9. *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus & saluator.* Et Ioan. 17.19. *Pro eis ego sanctifico meipsum.* Respondeo. Scriptura testatur quidem, Christum venisse propter nos, non tamen negat etiam pro se fuisse sollicitum: Imo diserte hoc affirmat, verbis supra citatis: *Pater, venit hora; clarifica filium tuum.* Non ergo sui fuit oblitus.

7. Obiicit 3. Paulus commendat charitatem Christi, quod pro inimicis mortem subierit (Rom. 5. 8.) Hæc autem commendatio frigeret si etiam pro se mortuus esset. Respondeo. Non sequitur, quia tametsi Christus pro se aliquid meruerit, hoc tamen non derogat charitati ipsius erga nos: Imo auget potius, 1. quia potuisset ab instanti conceptionis habere gloriam corporis & exaltationem nominis; sed in gratiã nostri elegit potius pati & humiliari,

vt sic à seruitute peccati nos liberaret. 2. Quod autem posteà per proprium meritum acquisiuerit sibi gloriam & exaltationem, qua propter nos tamdiu caruerat, hoc etiam factum est ex charitate nostri: nimirum, vt nos etiam in ipso, tanquam in nostro capite, essemus glorioſi & exaltati.

8. Obiicit 4. Quibus meritis assequi potuit homo, vt esset Iudex mundi? vt esset caput Angelorum? vt potiretur summo Dei Imperio? vt in eo resideret Maiestas Dei? Respondeo. Nos non asserimus Christum hæc omnia meruisse. Meruit quidem, vt esset Iudex mundi; quia si potuit mereri, vt mundus reconciliaretur Deo, potuit etiam mereri, vt ipse mundum iudicaret. Reliqua tria non meruit, sed ex vi Incarnationis illi concessa sunt. Nam vi incarnationis factum est, vt homo esset Deus, ac proinde, vt esset caput Angelorum, & summo Dei imperio potiretur, & in eo resideret maiestas Dei. Potuit tamen mereri externam manifestationem horum omnium. Vide Bellarminum lib. 5. de Christo cap. 9. & 10. Et Suarez disp. 40. sect. 3.

QVÆSTIO VI.

An Christus meruerit sibi vnionem hypostaticam?

1. DVplex potest esse quæstio. 1. An humanitas Christi meruerit vnionem hypostaticã? 2. an Christus eam meruerit? Nota. Quando loquimur de merito humanitatis Christi, intelligendum est de merito, quod vel ordine naturæ, vel temporis, præcesserit vnionem. Quando autem loquimur de merito Christi, intelligendum est de merito, quod vnionem secutum est. Hoc posito. dicam Primo de

humanitate; deinde de Christo.

2. PRIMA CONCLVSIO. Anima vel humanitas Christi non meruit vnionem hypostaticam per bona opera, quæ tempore antecesserint vnionem. Est certa, quia constat eam non fuisse in rerum natura aliquo tempore, ante vnionem. Quæres, Si extitisset aliquo tempore ante vnionem, an tunc potuisset mereri vnionem? Respondeo. Dupliciter intelligi potest, eám ante extitisse. 1. In proprio supposito. 2. Sine omni supposito & personalitate. Si in proprio supposito extitisset, potuisset de congruo mereri vnionem per opera gratiæ. De altero casu difficultas est. Aliqui putant humanitatem separatam ab omni supposito, tam proprio, quam alieno, nullo modo posse existere in rerum natura, ac proinde non posse mereri. Sed non video, cur id fieri non possit. Nam si materia prima potest separatim existere per absolutam Dei potentiam, cur non etiam humanitas? Vnde consequenter dicendum est, eam non posse operari & mereri.

3. SECVNDA CONCLVSIO: Anima vel humanitas Christi nõ meruit vnionem per bona opera quæ ordine naturæ antecesserint vnionẽ. Est communior sententia. Ratio est, quia vel meruisset per bona opera naturæ, vel gratiæ. Non prius, quia opera naturę non sufficiunt ad meritum vnionis hypostaticę, quæ est supra naturam. Nec posterius, quia gratia Christi fuit posterior vnione, vt docet D. Thom. qu. 6. art. 6. & qu. 7. art. 13. Et ratio est, quia humanitas Christi prius natura habuit subsistentiã, quã accidẽtia: Ergo prius natura fuit vnita subsistentiæ Verbi, quam gratiæ habituali; & consequenter prius habuit vnionem, quam ex gratia habituali operare-

tur. Et confirmatur, quia omnes operationes accidentales ordinantur ad perfectionem suppositi: Ergo necesse est, vt constitutio suppositi ordine naturæ præcedat omnes operationes accidentales.

4. Dices. Natura effectiue producit ipsam subsistentiam seu personalitatem; & quidem independenter ab omni supposito: Ergo etiam potest alias actiones exercere, indepẽdenter ab omni supposito. Respondeo. Non sequitur, quia productio subsistentiæ non ordinatur ad perficiendum suppositum, sed ad ipsum constituendum. Operationes autem accidentales debent perficere suppositum iam constitutum.

5. Quæres. An hic ordo naturæ, de quo disputamus, sit tam firmus, vt humanitas non possit ordine naturæ prius operari, quam subsistere? vel an humanitas subsistens in supposito non possit operari independenterà supposito? Et consequenteran fieri non potuerit vt humanitas Christi mereretur vnionem per bona opera, quæ ordine naturæ antecesserint vnionem? Suarez disp. 10. sect. 3. putat esse impossibile. 1. quia ordo naturæ est immutabilis. 2. quia Deus non potest facere, vt humanitas in proprio supposito prius natura operetur, quam subsistat Ergo subsistentia necessario antecedit operationem.

6. Sed contrarium est probabilius. Primo, quia Deus potest multa facere supra exigentiam naturæ, quod etiam patet in hoc casu. Nam ordo naturę postulat, vt humanitas prius natura subsistat in proprio supposito, quam operetur; quod tamen non est

factum in humanitate Christi. Secundo, tametsi humanitas non possit operari in proprio supposito, nisi prius natura subsistat in illo; potest tamen operari in alieno, independenter ab aliena subsistentia. Hoc ostendo. Nam Deus potuisset humanitati Christi in instanti vnionis, conferre quędam auxilia gratiæ, independenter ab vnione, & per illa mouere seu excitare humanitatem ad operandum & merendum vnionem de congruo. Hæc ergo operatio fuisset independens à subsistentia seu personalitate, & habuisset aliquem valorem supernaturalem ab auxiliis gratiæ, non dependentem ab vnione, per quem potuisset de congruo mereri vnionem.

7. Dices, Hoc videtur impossibile, quia talis operatio, existens in humanitate simul tempore cum vnione, habuisset infinitum valorem: Ergo habuisset valorem dependentem ab vnione: Ergo non potuisset mereri vnionem. Respondeo. Negatur hæc posterior consequentia, quia talis operatio habuisset duplicem valorem: Alterum finitum, dependentem ab auxiliis gratiæ, non autem ab vnione: Alterum infinitum, dependentem ab vnione, & nō ab auxiliis gratiæ. Per priorem potuisset mereri vnionem, non per posteriorem. Simile est de vltima dispositione ad iustificationem. Nam illa dispositio, quæ est in instanti iustificationis, habet duplicem valorem: Alterum ab auxilio gratiæ actualis, qui est independens à iustificatione: Alterum à gratia iustificante. Per priorem disponit hominem ad gratiam iustificantem: per posteriorem meretur primam gloriam.

8. TERTIA CONCLVSIO. Christus de facto non meruit vnionem hypostaticam. Est communis sententia. Ratio est, quia Principium meriti

non cadit sub meritum: sed vnio hypostatica est principium omnis meriti in Christo: Ergo non cadit sub meritum. Maior est commune axioma Theologorum, quo passim vtuntur Patres & Concilia, quando probant primam gratiam, quæ nobis à Deo confertur, ideo non cadere sub nostrum meritum, quia est principium nostri meriti: Ergo supponunt, principium meriti non cadere sub meritum, id est, Principium meriti non esse præmium seu effectum eiusdem meriti cuius est principium.

9. Hic repero, quod supra dixi, ad meritum requiri, vt homo qui meretur, sit iustus & Deo gratus. Et quidem Christus fuit iustus & Deo gratus per gratiam vnionis hypostaticæ. Nos autem sumus tales per gratiam habitualem. Et hoc sensu dicimus, gratiam vnionis hypostaticæ fuisse principium meriti in Christo: gratiam habitualem esse principium meriti in nobis. Sicut ergo nos non meremur primã gratiam habitualem, eo quod illa sit principium nostrorum meritorum; ita Christus non meruit gratiam vnionis hypostaticæ, quia illa fuit principium meritorum Christi.

10. Dices, Scriptura significat contrarium, Apoc. 5. 12. *Dignus est Agnus, qui occisus est accipere virtutem & diuinitatem.* Quod intelligitur de Christo, qui per mortem & passionem suam meruit diuinitatem, id est, vnionem cum Diuina Verbi persona. Et Psal. 44. 8. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quod etiam intelligitur de Christo, qui per actum dilectionis meruit, vt humanitas vngeretur per Diuinitatem, seu per vnionem cum Diuinitate.

11. Respondeo. Prius testimonium intelligitur de manifestatione virtutis & diuinitatis Christi, quam ipse meruit per mortem & passionem suam, vt exponit D. Thom. Rupertus, Lyranus, & alij. Quæ manifestatio pertinet ad exaltationem nominis, de qua præcedenti quæstione dictum est.

12. Posterius potest dupliciter intelligi. Primo de vnctione lætitiæ, id est, de glorificatione & exaltatione nominis. Et tunc est idem illius sensus, qui est prioris testimonij. Nempe, quia dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem vsque ad mortem, propterea Deus glorificauit & exaltauit te præ aliis beatis, qui quidem sunt consortes tui, sed non sedent ad dexteram Patris, sicut tu sedes. (Hebr. 1. 13.) Secundo, de vnctione lætitiæ, id est, de vnione humanitatis cum diuinitate. Et tunc illa particula, *propterea*, non significat causam meritoriam, vt in priori explicatione, sed finalem, hoc sensu: Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, & ad hoc vnxit te Deus. Vel, propterea, seu in eum finem vnxit te Deus, vt diligeres iustitiam & odio haberes iniquitatem. Vide Bellarminum in Commentario illius Psalmi, & Vasquez disp. 21. cap. 7.

13. QVARTA CONCLVSIO. Christus non solum non meruit, sed nec potuit mereri vnionem hypostaticam. Ita aliqui recentiores contra Suarez disp. 10. sect. 4. Ratio est, quia fieri non potest, vt principium meriti cadat sub meritum: At vnio est principium meriti in Christo: Ergo non potest cadere sub meritum Christi. Vel, sic: Idem non ponunt simul esse causa & effectus, respectu eiusdem: sed vnio est causa meriti in Christo: Ergo non potest esse effectus seu præmium eiusdem meriti.

14. Aliqui respondent, vnionem dupliciter spectari posse. 1. quatenus est in intentione seu prædestinatione Dei: Et sic esse principium seu causam meriti, non autem præmium seu effectum. 2. quatenus est in executione, seu quatenus reipsa existit in humanitate. Et sic posse esse præmium seu effectum, non tamen principium seu causam. Probant à simili, quia æterna gloria, quatenus est in intentione, est principium meriti: quatenus in executione, non est principium, sed effectus seu præmium. Iuxta hanc distinctionem sic explicant Axioma Patrum & Theologorum: Principium meriti, ea ratione, qua principium est, non cadit sub meritum: Nihilominus alia ratione, qua non est principium meriti, potest cadere sub meritum.

15. Hæc responsio non placet. Primo, quia repugnat Patribus & Conciliis. Nam illi sic argumentantur: Principium meriti non cadit sub meritum: sed prima gratia, quatenus est in executione, est principium meriti: Ergo prima gratia, quatenus est in executione, non cadit sub meritum. Minor propositio, iuxta mentem Patrum & Conciliorum, verissima est. At iuxta dictam distinctionem esset falsa. Sic enim dicendum esset: Prima gratia, quatenus est in prædestinatione, est principium meriti. Quod nemo hactenus dixit.

16. Deinde falsum est, Vnionem hypostaticam, quatenus est in executione, non esse principium meriti: Imo eatenus est principium meriti, & nō aliter. Quod dupliciter ostendo. Primo, quia Christus non potuit mereri, nisi de facto esset sanctus & Deo gratus: at de facto non fuit sanctus & Deo gratus per vnionem hypostaticam, quatenus erat in prædesti-

natione; sed quatenus erat in executione. Secundo, quia actiones Christi, per quas meruit, non acceperunt infinitum valorem merendi ab vnione, quatenus ab æterno fuit in intentione Dei, sed quatenus actu existebat in humanitate Christi. Vide Vasquez disp. 21. cap. 5.

17. Nec est simile de gloria. 1. quia gloria est principium meriti, quatenus est in intentione hominis, non quatenus est in prædestinatione Dei. 2. Nec est principium meriti per modum efficiētis, sicut vnio, sed per modum causæ finalis. Est enim finis vltimus, ad quem obtinendum tendit homo per merita bonorum operum. Itaque ex amore seu intētione gloriæ mouetur seu impellitur homo in hac vita ad facienda pia opera, quibus eam possit mereri, quam nondum habet. At vnio hypostatica non fuit finis, ex cuius amore & intētione mouebatur Christus ad pia opera, quibus eam posset mereri, quia ab instanti conceptionis semper illam habuit: Sed potius tenuit se ex parte causæ efficientis. Erat n. quasi substantialis quædam sanctitas, quæ tribuebat humanitati valorem in operando seu merendo, vt posset nostram redemptionem perficere.

18. Dices. Si princeps daret alicui militi arma propter vsum belli futurum, depēdentem ab iisdem armis, iam arma illa essent principium meriti, & simul darentur propter meritum: Ergo idem dici poterit de Christo. Nam Deus potuisset illi dare vnionem hypostaticam propter meritum futurum, dependens ab vnione. Hoc argumento vtitur Suarez loco citato. Respondeo. Non est simile. Primo, quia Princeps nō dat militi arma propter vsū belli futurū, dependentē à solis armis, sed propter industriā,

& alia opera, quæ ab ipso milite dependent. Multa enim possunt laudabiliter fieri à tali milite, quæ nullo modo dependent ab illis armis. At in Christo nullum fuit opus meritorium, independens ab vnione tanquam à principio meriti; ac proinde vnio non potuit esse præmium alicuius meriti in Christo. Secundo, quia arma non sunt principium meriti in milite, sicut vnio est principium meriti in Christo. Nam vnio sanctificat & dignificat humanitatem Christi, vt posset mereri apud Deum: Et actiones Christi accipiunt infinitam vim merendi ab humanitate per vnionem sanctificata & dignificata. At arma non sanctificant aut dignificant militem, vt possit mereri, sed tantum sunt instrumenta, quibus vtitur miles ad operandum. Miles a. est aptus & idoneus ad merendum per propriam industriam, peritiam, fortitudinem, & alias dotes, quas habet. Itaque arma militis non debent conferri cum vnione hypostatica: sed cum instrumentis, quibus vsus est Christus in suis actionibus meritoriis, cuiusmodi sunt lingua, manus, pedes, crux, claui, flagella.

19. Superest vna difficultas, quæ est talis: Esto, Christus non meruerit, nec mereri potuerit vnionem hypostaticam, prout ab initio facta est; an saltem mereri potuerit hæc tria? 1. Continuationem seu perseuerantiam illius vnionis. 2. Extensionem eius ad omnes partes materiæ, quas paulatim per nutritionem acquirebat. 3. restitutionem vnionis, quæ tempore resurrectionis facta est in humanitate. Aliqui affirmant. Ratio, est quia magna est differentia inter vnionem, & hæc tria. Nam vnio erat principium meriti, & ideo non poterat cadere sub meritum. At hæc tria non erant principium meriti,

neque meritum Christi ab illis dependebat: Ergo poterant cadere sub meritum.

20. Respondeo. Verum quidem est, quod hæc tria non fuerint principium meriti in Christo, ac proinde quod ex hac parte non fuerit defectus; sed videndum est, an ex alio capite fuerit impedimentum. Ergo probabiliter sic sentio. Primo, Christum non meruisse conseruationem seu continuationem vnionis. Ratio est, quia quod ex natura rei debitum est, hoc non cadit sub meritum; sed perpetua conseruatio ex natura rei debita est vnioni, sicut etiam visioni beatificæ, & animæ rationali. Ergo sicut conseruatio animæ rationalis & visionis beatificæ non cadit sub meritum, ita nec conseruatio vnionis hypostaticæ. Hæc ratio magis explicabitur sequenti quæst. §. 4. & 5.

21. Secundo, Christum non meruisse extensionem vnionis ad nouas partes materiæ, propter eandem rationem; quia illa extensio, seu vnio partialis sequitur ex vi primæ vnionis; & ex natura rei, illi debita est. Nam prima vnio, qua Deus factus est homo, requirit, vt omnes partes humanæ naturæ subsistant subsistentia Verbi; Ergo requirit, vt omnes sint vnitæ Verbo.

22. Tertio, si vnio humanitatis cum Verbo addit aliquid supra vniones partiales, Christum meruisse illam vnionem, sicut meruit resurrectionem, quæ non poterat fieri sine tali vnione. Si autem nihil addit supra partiales vniones, non fuisse opus vllo merito.

QVÆSTIO VII.

An Christus meruerit sibi beatitudinem, seu visionem beatificam?

1. AFfirmant Altisiodorensis, Albertus, Maior, Bassolis, apud Vasquez disp. 78. c. 1. Ratio est, quia cæteris paribus, perfectius est, habere aliquid per proprium meritum, quam sine merito: At Christus potuit habere beatitudinem per proprium meritum, cùm nulla sit repugnantia: Ergo dicendum est, habuisse per proprium meritum. Quidquid enim perfectionis illi tribuere possumus, hoc ei tribuendum est, quando nihil obstat.

2. Alij negant. Qui iterum diuisi sunt. Nam aliqui putant, illum nec meruisse suam beatitudinem, nec mereri potuisse, posito, quod eam habuerit ab instanti conceptionis, sicut reuera habuit. Alij, non quidem meruisse, sed tamen mereri potuisse; vel saltem non implicare contradictionem, si asseramus meruisse. Priorem partem tenent Thomistæ; Posteriorem Bonauentura, Richardus, Paludanus, & alij apud Suarez disp. 40. sect. 2.

3. PRIMA CONCLVSIO. Christus de facto non meruit beatitudinem, seu visionem beatificam, quam accepit in instanti conceptionis. Variæ solent adferri rationes à Scholasticis. Ego duas adferam, quæ videntur probabiliores. Prima est, quia omnis actus meritorius in Christo fuit posterior visione beatifica: & ab ea dependens: Ergo per nullum actum illam meruit. Antecedens probatur ex hoc triplici principio. 1. quod omnis actus meritorius fuerit elicitus ab habitu infuso. 2. quod fuerit liber,

quoad exercitium. 3. quod actus liberi sint posteriores necessariis. Itaque hic ordo in Christo seruatus est. 1. fuit vnio hypostatica, per quam constitutus est in esse Christi. 2. infusio luminis gloriæ, & aliorum habituum supernaturalium, vt est habitus scientiæ infusæ, habitus charitatis, obedientiæ, & similium virtutum. 3. Actus illorum habituum. Ac primo, actus necessarij, vt visio beatifica, amor, & gaudium beatificum. Deinde actus liberi, vt cognitio scientiæ infusæ, amor charitatis erga proximum, actus obedientiæ, religionis, & aliarum virtutum. Ex quo ordine constat, omnem actum meritorium posteriorem fuisse visione beatifica, & dependentem à tribus quasi principiis. 1. Ab vnione hypostatica, quoad infinitum valorem. 2. Ab habitu supernaturali, quoad efficientiam. 3. A visione beatifica vel cognitione scientiæ infusæ, tanquam à conditione necessario prærequisita. Vnde vlterius sequitur, Christum non meruisse illa tria principia, quia principium meriti non cadit sub meritum.

4. Altera ratio est, quia quod alicui datur ex debito connaturali, si datur eo tempore, quo debitum est, non datur per modum præmij, sed tantum per modum debiti connaturalis: At beatitudo seu visio beatifica data est Christo ex debito connaturali, & data est in instanti conceptionis, in quo debebat dari: Ergo non est data per modum præmij, sed tantum per modum debiti connaturalis. Maior patet in simili exemplo, quia facultas videndi, vel etiam visio sensitiua, quæ datur homini ex debito naturali, si datur eo tempore quo debet dari, non datur per modum præmij,

sed tantum per modum debiti naturalis. Neque Christus dicitur eam sibi meruisse, quia habuit illam ex naturæ debito, & habuit eo tempore, quo habere debuit. Ergo idem dicendum est de visione beatifica. Nam sicut visio sensitiua debebatur illi, ratione animæ sensitiuæ; ita visio beatifica, ratione vnionis hypostaticæ. Per hanc enim vnionẽ factum est, vt esset filius Dei naturalis. At filio Dei naturali debetur beatitudo, seu visio beatifica, tanquam operatio connaturalis: non minus, quam homini, quatenus animal sensitiuum est, debetur visio sensitiua.

5. Dixi, Si datur eo tempore, quo ex natura rei debet dari. Nam si ob aliquam causam differtur in aliud tempus, potest dari per modum præmij, & non tantum ex debito naturali. Sic factum est Christo circa gloriam corporis. Nam illa quidem data est ei ex debito connaturali, sicut gloria animæ; non tamen data est in instanti conceptionis, quo ex natura rei debebat dari, sed dilata ad instans resurrectionis; & ideo potuit dari per modum præmij, & non tantum ex debito naturali. Quod si visio sensitiua fuisset etiam dilata in aliud tempus, potuisset etiam dari per modum præmij. Nam sicut Christus de facto meruit sibi gloriam corporis, quam ab initio non habuit; ita potuisset sibi mereri visionem sensitiuam, si eam ab initio non habuisset.

6. Quod etiam locum habet in merito Christi, respectu aliorum. Nam iis, qui cæci nascebantur, & postea visum ab eo miraculose recipiebant, meruit facultatem videndi, & consequenter visionem sensitiuam, quæ inde immediate sequebatur: Aliis vero, qui ab initio visum habebant, non meruit.

Potuisset

Potuiſſet tamen mereri, ſi non habuiſſent.

7 SECVNDA CONCLVSIO. Tametſi Chriſtus de facto non meruerit beatitudinem ſeu viſionem beatificam, vt oſtenſum eſt; potuiſſet tamen mereri per abſolutam Dei potentiam. Ratio eſt, quia nulla apparet repugnantia. Quod oſtendo ex triplici principio. Vnum eſt, Quod actus Chriſti, per quos reipſa meruit, eliciti fuerint ab habitibus infuſis, vt dixi. Alterum, quod potuiſſent elici ab auxilio actuali, ſine habitibus infuſis. Tertium, quod non neceſſe ſit, vt meritum ordine temporis ſit prius præmio, ſed ſufficiat, ſi ordine naturæ ſit prius, vt patet in merito augmenti gratiæ. Nam illud augmentum datur eodem inſtanti temporis, quo elicitur actus meritorius; ſed tamen ordine naturæ poſterius eſt.

8. Ex quibus ita concludo: Chriſtus in primo inſtanti conceptionis, potuiſſet habere actualem Dei cognitionem, & actum amoris erga Deum, prius natura, quam infunderentur habitus ſupernaturales, cum in hac re nulla ſit repugnantia: Ergo per illum actum amoris potuiſſet mereri habitus ſupernaturales, & nominatim habitum luminis gloriæ: Ergo etiam viſionem beatificam, quæ eſt poſterior habitu luminis gloriæ. Et confirmatur, quia nihil defuiſſet illi actui ad rationem meriti. Fuiſſet enim actus liber & honeſtus, vt per ſe conſtat; fuiſſet actus viatoris, quia Chriſtus erat ſimul viator & comprehenſor: fuiſſet actus hominis ſancti & Deo grati, quia Chriſtus, ſecundum humanitatem, erat ſanctus & Deo gratus per gratiam vnionis hypoſtaticæ. Denique potuiſſet interuenire promiſſio præmij ſeu retributionis.

9. Dices, Videtur ita factum esse, quia Christus in primo instanti conceptionis habuit actum amoris erga Deum, per quem disposuit se ad infusionem gratiæ habitualis: Ergo per illum actum meruit gratiam habitualem, & alios habitus infusos, cum nihil defuerit illi actui ad rationem meriti, vt dictum est. Antecedens est D. Thomæ, quæst. 34. art. 3. vbi diserte ait, Christum in primo instanti conceptionis sanctificatum esse: formaliter quidem per gratiam sanctificantem, quæ illi infusa est; Dispositiue vero per proprium actum liberi arbitrij in Deum. Et distinguit duplicem sanctificationem: Vnam infantium, qui sine propria dispositione: alteram adultorum, qui per propriam dispositionem sanctificantur. Et hoc posteriori modo Christum sanctificatum esse. Respondeo. Quidquid sit de mente D. Thomæ, negandum est antecedens. Tametsi enim homines adulti soleant iustificari & sanctificari per propriã dispositionem, non tamen Christus hoc modo sanctificatus est, vt recte notarunt Bonauentura, Richardus, & alij apud Suarez, disp. 40. sect. 2. circa finem. Ratio differentiæ est, quia Christus non indigebat præuia dispositione actuali ad infusionem gratiæ, quia per vnionem hypostaticam erat sufficientissime dispositus & sanctificatus, ac proinde nihil in eo erat, quod infusioni gratiæ repugnaret. At alij homines indigent præuia dispositione ad infusionem gratiæ iustificantis, quia cum sint obnoxij peccato, non possunt digne recipere gratiam, nisi per proprium actum disponantur.

10. Sed contra, quia hoc non habet locum in Angelis & primis parentibus, qui etiam non indigebant præuia dispositione, cum non essent obnoxij

peccato; & tamen per proprium actum disposuerunt se ad infusionem gratiæ: Ergo idem de Christo dici potest. Respondeo. Angeli & primi parentes ex alio capite indigebant præuia dispositione, nimirum vt per illam eleuarétur ad ordinem supernaturalem. Cum enim gratia sanctificans sit quædam forma supernaturalis, quæ naturam rationalem habitualiter constituit in ordine supernaturali; decens est, vt natura prius actualiter disponatur ad illum ordinem, antequam formaliter in eo existat. Hoc intellige, si fieri potest. Quod dico propter infantes, qui per proprium actum non possunt disponi. Iam vero Christus, per gratiam vnionis hypostaticæ eleuatus erat ad ordinem supernaturalem, ac proinde non indigebat alia dispositione actuali.

11. Tria obiici possunt contra secundam conclusionem. Primo, impossibile est simul moueri ad terminum, & esse in termino: Ergo impossibile est, simul mereri beatitudinem, & habere beatitudinem. Respondeo. Negatur antecedens. 1. quia in mutationibus instantaneis simul est moueri ad terminū, & esse in termino. 2. Angelus eodem instanti, quo disposuit se ad gratiam, simul accepit gratiam. 3. iustus eodem instanti consequitur augmentum gratiæ, quo illud meretur.

12. Obiicitur 2. Impossibile est, nos eodem instanti mereri beatitudinem, & habere illam: Ergo idem dicendum est de Christo. Antecedens patet, quia illo instanti temporis, quo meremur beatitudinem, habemus actum Fidei, cum nulla nostra operatio possit esse meritoria sine actu fidei, iuxta illud 2. Cor. 5. 6. *Per fidem ambulamus.* Et Heb. 11. 6

Sine fide impoßibile eſt placere Deo. At actus fidei non poteſt eſſe ſimul cum actu viſionis beatificæ. Reſpõdeo. Non eſt ſimile de Chriſto, qui nunquam habuit actum fidei. Deinde, quod nos indigeamus actu fidei, hoc fit ſecundum legem Dei ordinariam: Alioqui non eſſet impoſſibile, nos acquirere beatitudinem ſine actu fidei, ſi Deus vellet.

13. Obiicitur 3. Si Chriſtus potuit mereri beatitudinem, vt nos aſſerimus, dicendum eſt quod de facto meruerit; cum perfectius ſit habere aliquid per meritum, quam ſine merito, vt initio quæſtionis argumentati ſumus. Reſpondeo. Perfectius eſt habere aliquid per proprium meritum, quam ſine merito, ſi cætera ſint paria. At in hoc caſu cætera non ſunt paria. Nam etiã ex altera parte perfectius eſt, operari ex habitu, quam ſine habitu: Ergo, ſi Chriſtus meruiſſet beatitudinem, debuiſſet id fieri per actum ſine habitu, vt in Concluſione explicatum eſt. Quæ fuiſſet quædam imperfectio. Ad hanc impediendam, conſtitutum fuit, vt haberet beatitudinem ſine merito.

QVÆSTIO VIII.

An Chriſtus meruerit ſibi gratiam habitualem?

1. HÆc quęſtio eodem modo decidenda eſt, quo pręcedens. Nam Chriſtus de facto non meruit gratiam habitualem; ſed tamen abſolute loquendo, potuiſſet mereri.

2. Prior pars patet, quia omnis actus meritorius in Chriſto fuit poſterior infuſione gratiæ habitualis, vt ex dictis patet: ergo per nullum

actum potuit eam mereri.

3. Altera etiam patet, quia absolute loquendo, potuisset fieri, vt Christus haberet actum amoris ex actuali Dei gratia, prius ordine naturæ, quam infunderetur illi gratia habitualis: Et per illum actum mereretur gratiam habitualem. Hoc enim non repugnat.

Quæstio IX.

Quid Christus meruerit Angelis?

1. Duo probanda sunt. 1. Christum non meruisse Angelis gratiam aut gloriam. 2. Meruisse tamen aliquarum rerum seu mysteriorum reuelationem. Prius probatur ex duplici principio. Vnum est, quod gratia & gloria Angelorum fuerit independens à peccato Adami, & consequenter à morte Christi. Alterum, quod merita Christi supponant peccatum Adami, & dependeant à carne passibili. Vtrumque explicatum est in 1. parte, cap. 2. de Angelis. quæst. 4. & obiectiones solutę.

2. Posterius colligitur ex Scriptura. Primo ex illo Isaiæ 63. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ?* Hæc enim interrogatio facta est ab Angelis in die Ascensionis Christi, qui vsque ad illud tempus multa ignorabant circa Christi Passionem, Resurrectionem, & Ascensionem. Quibus ab ipso Christo responsum est: *Ego, qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.* Et cum iterum interrogarent: *Quare ergo est rubrum indumentum tuum? & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Iterum responsum est: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir.*

mecum. Videntur Dionyſ.c.7. Cæleſtis Hierarchiæ, Hieronymus, Cyrillus, Lyran. in illum locum, D. Thom. in 1.p.q. 57.art. 5.

3. Secundo ex illo Eph. 3. 8. *Mihi data eſt gratia hæc, in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, vt innoteſcat Principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus, per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei,* &c. Hic per principatus & poteſtates intelliguntur Angeli ſancti, quibus per prędicationem Apoſtolorum multa reuelata ſunt circa Chriſtum, quæ antea neſciebant, vt exponunt Hieronymus, Theodoretus, Anſelmus, Theophylactus, & plures alij. Quibus fauet Auguſtinus lib. 5. ſuper Geneſin ad litteram cap. 19. & D. Thom. in 1. p. q. 117. art. 2. ad 1.

QVÆSTIO X.

Quid Chriſtus meruerit nobis?

1. HIc tria certa ſunt. Primo, meruiſſe nobis gratiam iuſtificantem, & remiſſionem peccatorum. Rom. 3. 24. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Et Eph. 1. 7. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis.* Et ratio eſt, quia hæc eſt præcipua cauſa, cur Chriſtus pati & mori voluerit, vt pro nobis ſatisfaceret, & nos à ſeruitute peccati redimeret, ac faceret Deo gratos & acceptabiles.

2. Secundo, meruiſſe nobis omnia dona gratię, quæ ſequuntur primam gratiam iuſtificantem, & remiſſionem peccatorum: Cuiuſmodi ſunt auxilia

gratiæ, merita bonorum operum, augmentum gratiæ, donum perseuerantiæ, remissio peccatorum venialium, remissio pœnæ temporalis, iuxta illam generalem regulam Eph. 1. 3. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo*, id est, per Christum, seu per merita Christi.

3. Tertio, Meruisse nobis vitam æternam. Ioan. 10. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Et Rom. 9. 23. *Gratia Dei vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.* Et hoc sensu dici solet, Christum sua morte aperuisse nobis ianuam regni cœlorum, quę antea erat clausa propter peccatum primi parentis. Hebr. 10. 19.

4. In his tribus conueniunt Scholastici. Disputant recentiores, an etiam meruerit nobis dispositiones, quibus præparamur ad primam gratiam iustificantem, & remissionem peccatorum, cuiusmodi sunt motus fidei, spei, dilectionis, contritionis. Negant Capreolus, Ioannes Driedo, Ruardus Tapperus, Adamus Sasbout, & alij citati apud Vasquez disp. 77. cap. 1. Docent enim, Christum meruisse quidem, vt adulti sufficienter dispositi consequantur gratiam iustificantem, non tamen meruisse motus fidei, spei, dilectionis, contritionis, quibus disponuntur ad susceptionem gratiæ iustificantis.

5. CONCLVSIO. Christus meruit nobis omnia auxilia gratiæ excitantis & adiuuantis, quibus disponimur ad gratiam iustificantem, & consequenter meruit nobis motionem fidei, spei, dilectionis, & contritionis. Ita Vasquez loco citato cap. 2. Suarez, disputatione 41. sectione 2. & alij plures. Et colligitur ex Diuo Thoma quęstione 7. articulo 9. &

sequentibus, vbi dicit, Christo datam esse gratiam, tanquam principio cuidam vniuersali, cuius virtus se extendat ad omnes gratiæ effectus & operationes. Et quæst. 8. art. 3. ad 2. Actum credendi in peccatoribus esse ex meritis Christi.

6. Et probatur 1. ex Scriptura Eph. 1. 3. *Qui benedixit nos in omni benedictione, in cœlestibus in Christo.* Certe sub omni benedictione spirituali, continetur etiã motus fidei, spei, charitatis. Et 2. Timoth. 1. 9. *Vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est in Christo Iesu,* id est, per meritum Christi Iesu. Et Hebr. 12. 2. *Aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum.* Secundo ex Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 5, vbi sic habet: *Declaratur præterea, ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia, sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Tertio ex Patribus, præsertim Augustino, Ambrosio, Prospero, Fulgentio, Bernardo, apud Vasquez, cap. 3.

7. Accedit triplex ratio. Prima, quia Christus est perfectus Redemptor humani generis: Ergo per illum habemus omnia, quę requiruntur ad perfectam redemptionem: Ergo etiam dispositiones ad remissionem peccatorum. Altera, Meritum Christi fuit sufficiens ad impetranda dona gratiæ; & Deus Pater promisit illi plenam potestatem distribuendi sua dona. (Isaiæ 53. 10.) Quo etiam spectat illud Eph. 4. 7. *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Tertia, Christus in hac vita non solum remittebat hominibus peccata per gratiam iustificantem, sed etiam disponebat il-

los per gratiam excitantem, Matthæi vndecimo, versu 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Nota. Quandocunque Christus externa voce hortabatur peccatores ad conuersionem & pœnitentiam, semper dabat illis internam gratiam excitantem, per quam possent conuerti & pœnitere, si vellent. Vnde passim docent Patres & Theologi, hoc intercesse inter Christum & Moïsen, quod Moïses externam legem dederit Iudæis, sine interna gratia: Christus autem addiderit etiam internam gratiam, qua possent legem seruare, iuxta illud Ioan. 1. 17. *Lex per Moysen data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*

8. Dices 1. Scriptura contrarium docet, Ioan. 6. 44. *Nemo*, inquit Christus, *potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, id est, Nemo potest esse particeps meritorum meorum, nisi Pater meus, sua gratuita vocatione eum traxerit, & disposuerit. Respondeo, Pater neminem trahit, nisi propter merita Christi. Nam hoc ipso, quod voluit Christum pro nobis mori, voluit etiam omnia media saluris nostræ pendere à morte & meritis Christi, iuxta illud Rom. 8. 32. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?*

9. Dices 2. Duo concurrunt ad iustificationem, nempe gratia iustificans, & dispositiones ad gratiã iustificantem. Si ergo non solum gratia iustificans, sed etiam dispositiones essent ex merito Christi, iam tota iustificatio esset ex merito: Ergo tota esset ex iustitia: Ergo nullo modo esset gratuita, quod est contra Apostolum Roman. 3. 24. *Iustificati gratis per*

gratiam ipſius. Reſpondeo. Iuſtificatio noſtra dupliciter ſpectari poteſt, primò reſpectu Chriſti: Et ſic tota eſt ex meritis Chriſti. Secundò reſpectu noſtri: Et ſic tota eſt gratuita.

10. Dices 3. Auguſtinus contrarium docet in libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. vbi ait; nos tam gratis iuſtificari, quam gratis humanitas Chriſti vnita eſt verbo. At hęc ſine vllo meritò, ſiue proprio, ſiue alieno vnita eſt verbo: ergo nos etiam ſine vllo merito ſiue proprio ſiue alieno, gratis iuſtificamur. Reſpondeo. Auguſtinus non confert vnionem hypoſtaticam cum noſtra iuſtificatione, ſed cum noſtra fide. Dicit enim nos tam gratuito fieri Chriſtianos per fidem, quam gratuito humanitas Chriſti vnita fuit perſonæ Verbi. Senſus autem eſt, ſicut humanitas Chriſti nullis ſuis operibus meruit aſſumi à perſona Verbi: ita nos nullis noſtris operibus meruimus fieri Chriſtiani. Quod veriſſimum eſt. Vide Vaſquez, diſp. 77. cap. 4.

11. Dices 4. Auxilia communia, quæ dantur omnibus adultis, non dantur ex meritis Chriſti, ſed ex ſola Dei benignitate, quia id exigit ordo diuinæ prouidentiæ. Reſpondeo, Auxilia communia ſunt duplicia: Quædam ordinis naturæ, quæ dantur homini, ratione creationis, per prouidentiam naturalem: Quædam ordinis gratiæ, quæ dantur homini, ratione redemptionis, per prouidentiam ſupernaturalem. Hæc pendent ex meritis Chriſti, illa non pendent.

12. Dices 5. Si Chriſtus non veniſſet, adhuc Deus dediſſet nobis auxilia gratiæ ad vitanda peccata, & ſeruandam legem: Ergo ſignum eſt, eiuſmodi auxilia non dari ex meritis Chriſti. Reſ-

pondeo. Non disputamus, quid futurum fuisset, si christus non venisset; sed quid nunc fiat post aduentum Christi. Nunc omnia auxilia gratiæ dantur ex meritis Christi. Non quidem fuissent data ex meritis Christi, si Christus non venisset. Sed, an fuissent data ex sola Dei benignitate, an omninò non fuissent data in pœnam peccati, nos nescimus.

13. Dices 6. Auxilia gratiæ, quæ nunc dantur infidelibus, non dantur ex meritis Christi. Ratio est, quia infideles non sunt membra Christi: Ergo Christus non est caput illorum: Ergo non influit in illos per sua merita. Respondeo. Christus non solum influit in fideles, qui sunt ipsius membra, sed etiam in infideles, vt fiant ipsius membra. Sicut calor naturalis in corpore humano non solum agit in membra corporis, ea conseruando, & vegetando; sed etiam in cibum & potum, ea conuertendo, & transmutando, vt fiant partes membrorum corporis.

14. Dices 7. Ea tantum recuperamus per Christum, quæ per Adamum perdidimus: Sed per illum non perdidimus fidem: Ergo per Christum non recuperamus fidem. Minor patet, Quia Adamus per peccatum obedientiæ non amisit fidē, sed gratiam & iustitiam originalem. Respondeo. Minor neganda est. Nam Patres passim affirmant, Adamum factum esse infidelem, quia non credidit Deo dicenti: *Quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Vide Bellarminum lib. 3. de amissione gratiæ cap. 6. Deinde, etiamsi verum esset, quod sibi non amisisset fidē, non tamē sequeretur, quod nobis

non amiſſiſſet, vt notat Vaſquez diſp. 77. cap. 4.

15. Dices 8. Merita Chriſti non applicantur omnibus: Ergo debet inueſtigari cauſa, cur huic potius quam illi applicentur, id eſt, cur hic potius vocetur ad fidem, quam ille: aut cur hic potius baptizetur, quam ille. Hoc autem non eſt ex merito Chriſti, ſed ex Diuina electione & miſericordia. Reſpondeo: Tametſi non ſit ex merito Chriſti totum hoc complexum, nempe, quod hic vocetur ad fidem, ille nõ vocetur; aut quod hic Baptiſmum ſuſcipiat, ille non ſuſcipiat; tamen altera pars illius complexi eſt ex meritis Chriſti, nempe, quod aliqui vocentur ad fidem & Baptiſmum ſuſcipiant: Altera vero ex iuſto Dei iudicio, nempe, quod aliqui non vocentur ad fidem, neque baptiſmum ſuſcipiant. Vide Auguſtinum tractatu 26. in Ioann. Valentiam quæſt 19. pũcto 4. Suarez diſp. 41. ſect. 2. De hac applicatione deinceps agendum eſt.

QVÆSTIO XI.

Quomodo merita Chriſti nobis applicentur?

1. TRiplex poteſt eſſe quæſtio. 1. quando merita Chriſti nobis applicentur? 2. an omnibus applicentur? Et ſi non omnibus, vnde hoc proueniat? 3. an iis, quibus applicantur, æqualiter applicentur? Et, ſi inæqualiter, quæ ſit cauſa inæqualitatis?

2. PRIMA CONCLVSIO. Merita Chriſti tunc dicuntur nobis applicari, quando aliquod donum gratiæ datur nobis ex illius meritis, ſiue detur in Sacramento, ſiue extra Sacramentum. Item, ſiue ſit donum fidei, ſpei, charitatis, quo diſponimur ad

iustificationem: siue sit ipsa iustificatio: siue aliud donum subsequens iustificationem. Itaque hæc duo æque late patent. 1. Dari nobis aliquid ex meritis Christi. 2. Applicari nobis merita Christi. Vide Vasquez disp. 77. cap. 5

3. Vnde sequitur, Capreolum, Driedonem, Tapperum, & alios, qui dicunt dispositiones ad iustificationem non dari ex meritis Christi, consequenter debere dicere, merita Christi non applicari nobis ante iustificationem, sed in ipsa iustificatione. Nos vero qui asserimus, dispositiones illas dari ex meritis Christi, consequenter debere asserere, merita Christi applicari nobis, etiam, ante iustificationem, nempe quando dantur nobis auxilia gratiæ, quibus disponimur ad iustificationem.

4. Secvnda Conclvsio. Merita Christi applicantur omnibus adultis, non tantum prædestinatis, sed etiam reprobis. Est contra Caluinistas, qui putant Christum pro solis prædestinatis mortuum esse: ac proinde illis solis applicari ac prodesse merita Christi. Sed errant. Nam Apostolus diserte ait, 2. Corinth. 5. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus.* Et 1. Timoth. 2. 6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et 1. Ioan. 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

5. Pro maiori explicatione, hæc tria notanda & distinguẽda sunt. Primo meritum Christi fuisse sufficiens ad omnes homnines redimendos & saluandos. In quo conueniunt nobiscum Caluinistę. Ratio est, quia meritum ipsius fuit infiniti valoris, vt supra dixi.

6. Secundo, Meritum Christi reipsa esse inefficax

respectu reproborum quoad vitam æternam. Neque hic dissentimus. Ratio est, quia reprobi reipsa non perueniũt ad vitam æternam. Si enim perueniirent, non essent reprobi, sed prædestinati.

7. Tertio, Meritum Christi reipsa esse efficax respectu reproborum quoad dona gratiæ in hac vita. Hoc negant Caluinistæ. Sed male. Nam reprobi reipsa accipiunt gratiam vocantem seu excitantem, ex meritis Christi, vt patet ex illo Matth. 11. 25. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et cap. 20. 16. *Multi vocati, pauci electi.* Et act. 7. 51. *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Vbi manifeste loquitur de reprobis, qui quidẽ accipiunt inspirationes diuinas ex meritis Christi, sed eas respuunt. Quo etiam spectat illud Prouerb. 1. 24. *Vocaui, & renuistis.* Et Matth. 23. 37. *Hierusalem Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti.*

8. Nec solum gratiam vocantem seu excitantem, sed interdum etiam fidem & gratiam iustificantem ex meritis Christi accipiunt, vt diserte docet Augustinꝰ lib. de correptione & gratia cap. 13. his verbis: *Credendum est, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseuerantiæ in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquandiu fideliter & iustè viuere, & postea cadere.* Et confirmatur ex Apostolo, 1. Timoth. 1. 19. *Quidam*, inquit, *circa fidem naufragauerunt.* Et Hebr. 6. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, & prolapsi sunt, rursum renouari ad pœnitentiam &c.* Vbi duo insinuantur. 1. fieri posse, vt qui semel per fidem & baptismum à Christo institutum illuminati sunt, & participes facti Spi-

ritus Sancti, prolabantur iterum in peccatum, & desinant esse, quales erant. 2. Impossibile esse, tales iterum reuocari ad pœnitentiá. Nunc quęro ex Caluinistis, an Apostolus loquatur de prædestinatis, an de reprobis? Non dicent de prædestinatis, quia prædestinati, ex sententia Caluini, nunquam amittunt fidem & iustitiam. Si ergo de reprobis (quod fatetur Caluinus libro 3. capite 3. §. 21.) Consequens est, reprobos aliquando illuminari & participes fieri meritorum Christi, quod nos contendimus.

9. Obiicit Caluinus, Christum fateri, se non venisse pro omnibus. Matthæi 9. versu 13. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Et cap. 15. versu 24. *Non sum missus, nisi ad oues, quæperierunt domus Israel.* Respondeo. Qui hæc loca obiiciunt, contra se faciunt. Nam si Christus non venit vocare iustos, sed peccatores, & ex Caluini sententia, venit vocare prædestinatos, non reprobos; efficitur ex Caluini sententia, solos probos esse iustos, solos prædedinatos esse peccatores. Quis hoc credat? Rursum, si non est missus nisi ad Iudæos? certe aut soli Iudæi prædestinati sunt, aut non est missus ad solos Prædestinatos. Videant Caluinistæ, quo se vertant.

10. Longe alius vtriusque loci sensus est, Christus quia medicus erat, sanabat eos, qui se ægros esse fatebantur, & medicinam admittebant. Alios vero, qui se sanos profitebantur, cuiusmodi tunc erant Pharisæi, & modo Caluinistæ, non sanabat, quia medici opem respuebant. Rursum, quia Messias erat, & solis Iudæis propter fidem Abrahæ promissus, dicit se missum ad solos Iudæos, vt ipsis suam præsentiam, prædicationem, & miraculorum

gratiam exhiberet, ideoque ab Apoſtolo Miniſter circumciſionis appellatur. (Roman. 15. 8. Nec tamen ideo gentes excluſit à ſua gratia. Imo gentes aſſumpſit; gentibus Euangelium prædicari voluit. *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes.*

11. Dixi in Concluſione, Merita Chriſti applicari omnibus adultis. Nam de infantibus diſtinguendum eſt. Quibuſdam applicantur, quibuſdam non. Applicantur iis, qui baptiſmum ſuſcipiunt: non aliis, qui non ſuſcipiunt. Prius prouenit ex meritis Chriſti; Poſterius ex iuſto Dei iudicio, qui reprobat illos propter peccatum originale, in quo nati ſunt, vt dictum eſt in prima parte, de reprobatione. Vide etiam Vaſquez in 3. par. diſp. 77. cap. 5.

12. TERTIA CONCLVSIO. Merita Chriſti non applicantur omnibus æqualiter, vt manifeſte conſtat ex Euangelio. Matth. 19. verſ. 12. *Qui poteſt capere capiat.* Et cap. 25. verſ. 14. *Vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum.* Et Luc. 8. v. 11. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei.* Et ex Apoſtolo, 1. Corinth. 7. verſ. 7. *Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius vero ſic.* Et Epheſ. 4. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Et alibi.

13. Hæc Concluſio in triplici ſenſu vera eſt. Primo, quia quibuſdam ex meritis Chriſti datur tantũ gratia vocationis, non tamẽ iuſtificationis, aut vitæ æternæ: quibuſdã gratia vocationis & iuſtificationis: aliis etiam vitæ æternæ. Secundo, quibuſdã datur maior gratia vocationis, quibuſdam minor. Quod ſimiliter de gratia iuſtificationis & vitæ æternæ intelligendum eſt. Tertio, ſæpe fit, vt qui habet maiorem gratiam vocationis, non vtatur; qui

qui minorem, vtatur. Et è contrario. Hæc omnia pendent partim ex Dei voluntate, qui inæqualiter distribuit suam gratiam, dando huic quinque, alteri plura, alteri pauciora talenta; partim ex cooperatione hominum, qui vel respuunt dona Dei, vel illis bene vtuntur: & alius maiori, alius minori conatu & industria (Matth. 25. versu 20. & 1. Corinth. 9. versu 24.)

Quæstio XII.

Quomodo nostra merita dependeant à meritis Christi?

1. Certum est, merita nostra, ratione suæ causæ pendere à meritis Christi. Nam causa nostrorum meritorum sunt auxilia gratiæ, quæ nobis dantur ad bene operandum & merendum. Hæc autem auxilia dantur ex meritis Christi; Ergo nostra merita, ratione auxiliorum gratiæ, pendent ex meritis Christi.

2. Quæstio est, an etiam ratione sui valoris pendeant ex iisdem meritis? Aliqui affirmant, asserentes opera nostra, quæ fiunt per auxilia gratiæ actualis, accipere quendam valorem, seu virtutem merendi ex meritis Christi, quem alioqui non haberent, etiamsi facta essent ex auxiliis gratiæ actualis. Vnde inferunt, omne augmentum gratiæ, quod meremur, non solum dari propter nostrum meritum, sed etiam propter meritum Christi, quia nostrum meritum per se non esset sufficiens, nisi coniungeretur cum merito Christi, & ab eo immediate haberet vim & efficaciam, vt ex iustitia aliquid obti-

neat. Pro hac ſententia citantur Andreas Vega, Hoſius, Sotus, & alij apud Suarez diſputatione 41. ſectione 3. Quibus videtur fauere Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. cum ait: *Non habet homo, vnde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.*

3. PRIMA CONCLVSIO. Opera iuſtorum, quę procedunt ex gratia per Chriſtum data, habent ſufficientem dignitatem ac valorem reſpectu augmẽti gratiæ & gloriæ. Ratio eſt, quia cæteris paribus, gratia per Chriſtum data non eſt minus efficax, quã gratia ex mera Dei liberalitate data: ſed opera iuſtorum, quæ procedunt à gratia, ex mera Dei liberalitate data, habent ſufficientem valorem & operationem reſpectu augmenti gratiæ & gloriæ, vt patet in Angelis viatoribus: Ergo idem dicendum eſt de operibus iuſtorum, quæ procedunt à gratia per Chriſtum data. Vnde ſequitur, ad hoc, vt opera iuſtorum habeant ſufficientem valorem ad præmiũ ſupernaturale, non opus eſſe, vt coniungantur cum meritis Chriſti, & inde nouum valorem participẽt: quia alioqui opera Angelorum non habuiſſent ſufficientem valorem, quod tamen falſum eſt.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Tametſi opera iuſtorum habeant ex ſe ſufficientem valorem ad præmium ſupernaturale, tamen non habent rationem perfecti meriti, niſi accedente Dei promiſſione. Hæc autem promiſſio videtur facta propter merita Chriſti, vt colligitur ex illo 2. Timoth. 1. 1. *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti, per voluntatem Dei, ſecundum promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu.*

Et ex Con. Trident. Sess. 6. cap. 16. *Bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Hoc ergo sensu dici potest, nostra merita nō esse sufficientia, nisi coniungantur cum meritis Christi, id est, nostra merita non posse obligare Deum, nisi intercedente promissione Dei de facienda retributione, quam promissionem meruit nobis Christus.

5. Non tamen negandum est, si opera iustorum coniungantur cum meritis Christi, posse habere maiorem vim & efficaciam, quam si præcise per se spectentur: non quod in seipsis futura essent maioris efficaciæ & valoris, sed quod plus obtinerent coniuncta cum meritis Christi, quam si sola sumātur. Et sic aliqui probabiliter asserunt, augmentum gratiæ, quod datur nobis propter nostrum meritum, semper maius dari, quam sit valor nostri meriti: & excessum illum prouenire immediate ex meritis Christi, quatenus cum nostro merito coniunguntur. Quod pie colligunt ex verbis Christi Ioan. 10. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Vnde sequitur, augmentum gratiæ habere quasi duas partes: alteram ex meritis nostris, alteram ex meritis Christi.

CAPVT XV.

De satisfactione Christi.

TRia spectari possũt in actionib⁹ Christi, vt supra dictum est. 1. Valor. 2. Meritum. 3. Satisfactio pro peccatis nostris. De hac quæritur 1. An satisfactio Christi, sit pura satisfactio, an vero includat etiam rationem meriti? 2. An Christus condigne satisfecerit pro peccatis nostris? An ex iustitia? 4. An ex rigore iustitiæ?

2. PRIMA CONCLVSIO. Satisfactio Christi includit rationem meriti, ac proinde non est pura satisfactio. Nota. Duplex est satisfactio Vna quæ per seipsam formaliter extinguit debitum: Vt si homicida, qui ratione homicidij incurrit debitũ mortis, reipsa sustineat mortem. Aut si Titius, qui ratione furti debet Petro restituere ablatam pecuniam, reipsa restituat. Altera, quæ per seipsam non extinguit debitum, sed meretur vel impetrat aliquid, per quod extinguitur debitum. Talis est satisfactio Christi. Nam Christus per suam satisfactionem meruit nobis gratiam iustificantem, per quam formaliter extinguitur peccatum. Prior satisfactio non includit rationem meriti, & ideo est pura satisfactio. Posterior includit rationem meriti, & ideo non est pura satisfactio.

3. Vnde sequitur, passionem Christi, quam voluntarie sustinuit, simul esse meritoriam & satisfa-

ctoriam respectu nostri Meritoria est, quia per illam meruit nobis gratiam iustificantem. Satisfactoria, quia mediante gratia iustificante, extinguit peccata nostra. Itaque immediate per se est meritoria: mediante vero gratia satisfactoria. Dixi, respectu nostri, quia respectu ipsius Christi & Angelorum, est tantum meritoria, non satisfactoria. Nã in Christo & Angelis nullum fuit peccatum, quod indigeret satisfactione.

4. Hinc vlterius sequitur, meritum Christi latius patere, quam satisfactionem. Et quidem dupliciter. Primo, ex parte eorum, pro quibus meruit & satisfecit. Nam meruit pro se, pro Angelis, pro nobis. At non satisfecit nisi pro nobis. Secundo, ex parte effectuum. Plures enim sunt effectus meriti Christi quam satisfactionis. Effectus meriti sunt triplices: Alij in ipso Christo; vt gloria corporis, & exaltatio nominis: Alij in Angelis, vt variæ illuminationes: Alij in nobis, vt gratia & gloria. Effectus satisfactionis est tantum vnicus, nempe liberatio à peccatis: qui tamen pendet ab affectu meriti, id est, à gratia iustificante, vt dictum est. Quomodo autem gratia iustificans extinguat peccatũ, explicaui in tract. de iustificatione c. 3. q. 5. §. 11.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Christus condigne, perfecte, exacte, imo etiam abunde satisfecit pro nobis. Ita D. Thom. quæst. 1. art. 2. ad 2. & q. 48 art. 2. Vasquez, disp. 5. cap. 2. & alij apud illum citati. Et patet ex illo Rom. 5. 15. *Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Et infra: *Vbi abundauit delictum, superabundauit gratia.* Quibus verbis in-

ſinuat Apoſtolus, meritum & ſatisfactionem Chriſti potentiorem eſſe ad ſaluandum, quam peccatum ad perdendum.

6. Ratio eſt, quia actiones Chriſti, quibus meruit & ſatisfecit, erant infiniti valoris, propter infinitam dignitatem operantis, vt ſæpe dictum eſt. Sicut ergo poterant condigne & abundanter mereri gratiã: ita etiam poterant condigne & abundanter ſatisfacere pro peccatis noſtris. Et confirmatur, quia voluntaria mortis ſuſceptio, per quam potiſſimum meruit & ſatisfecit Chriſtus, fuit infiniti valoris in merendo: ergo etiam in ſatisfaciendo. Nam ſatisfactio Chriſti fundatur in merito illius, vt explicatum eſt. Sicut ergo per illam condigne & abundãter meruit gratiam iuſtificantem: ita etiam condigne & abundanter ſatisfecit pro peccatis noſtris, quia hæc ſatisfactio facta eſt per meritum gratiæ iuſtificantis.

7. Dices 1. Chriſtus non potuit reddere condignas ſeu æquales Deo gratias pro beneficiis acceptis: Ergo etiam non potuit condigne ſeu æqualiter ſatisfacere pro peccatis noſtris. Aliqui negant antecedens, quia gratiarum actio, quam Chriſtus Deo exhibuit, fuit infiniti valoris. Alij conſequentiam, quia poteſt aliquis condigne ſatisfacere Regi pro debito alterius, etiamſi nequeat æquales illi gratias agere pro beneficiis ab eo acceptis. Fieri enim poteſt, vt debitum alterius, pro quo ſatisfacit, ſit minus, quam beneficium pro quo gratias agit.

8. Ego ſic reſpondeo. Tria ſpectari poſſunt in gratiarum actione, quam Chriſtus exhibuit. 1. quod ſit gratiarũ actio. 2. quod ſit infiniti valoris. 3. quod ſit nouum Dei beneficium, diſtinctum à prioribus

beneficiis, pro quibus offertur. Christus ergo potuit per illam gratiarum actionem, cum fuerit infiniti valoris, æquales Deo gratias reddere pro omnibus beneficiis, excepta ipsa gratiatum actione, quæ erat etiam beneficium Dei. Nam illa non fuit oblata pro seipsa, sed pro præcedentibus beneficiis: Alioqui si etiam pro seipsa potuisset offerri, fuisset sufficiens, quia erat infiniti valoris, vt dixi. Vide Vasquez disp. 5. cap. 7.

9. DICES 2. Si humanitas Christi, manens vnita Verbo, peccaret, non posset pro se ipsa condigne satisfacere: Ergo nec potuit condigne pro nobis. Respondeo. Illa suppositio est impossibilis. Fieri enim non potest, vt humanitas Christi peccet, durante vnione hypostatica. Admissa tamen suppositione, verum est antecedens. Nam si humanitas Christi peccaret, non esset Deo grata, sed inimica: ac proinde non posset pro se condigne satisfacere. Sed tunc negatur consequentia, quia quando pro nobis satisfecit, non fuit Deo inimica, sed grata, & ideo potuit condigne satisfacere, supposita vnione hypostatica.

10. TERTIA CONCLVSIO. An autem Christus, sicut condigne & abunde pro nobis satisfecit, sic etiam ex iustitia satisfecerit, pendet ex alia quæstione, An scilicet inter Christum & Deum possit esse iustitia? Vel, an in Deo possit esse iustitia respectu Christi, & similiter in Christo respectu Dei? Affirmat Suarez disp. 4. sect. 5. & alibi. Negat Vasquez disp. 7. & 8. Sed videtur esse dissensio de nomine. Nam si iustitia sumatur stricte, prout sumitur ab Aristotele eiusque sectatoribus, quando diuiditur in commutatiuam & distributiuam: certũ est, non

esse in Deo. Ratio est, quia iustitia hoc modo sumpta, supponit obligationem vnius ad alterum, qui perfecte alter est. Vt autem perfecte sit alter, duo necessaria sunt. Primo, vt sit alter, quoad personam seu suppositum. Et hoc sensu ait Diuus Thomas in 2.2. quæstione 58. art. 2. *Iustitia proprie dicta requirit diuersitatem suppositorum.* Secundo, vt sit alter, quoad ius & potestatem, seu, vt sit sui iuris & potestatis. Ex cuius defectu non est iustitia inter patrem & filium minorennem, aut inter seruum & Dominum, vt docet Aristoteles libro 5. Ethic. cap. 6. quia neque filius minorennis, neque seruus est sui iuris & potestatis; sed alter est sub iure & potestate patris, alter sub iure & potestate Domini.

11. Hinc sequitur, in Deo non esse iustitiam respectu Christi secundum humanitatem. 1. quia in Deo non est obligatio iustitiæ, respectu Christi. Tametsi enim Christus obtulerit Deo sufficiétem, imo etiam abundantem satisfactionem pro humano genere: tamen Deus non fuit ex iustitia obligatus acceptare illam satisfactionem, sed solum ex charitate vel gratuita promissione. 2. quia Christus secundum humanitatem non est perfecte alter à Deo. Non enim est sui iuris & potestatis, sed tota ipsius humanitas est sub iure, potestate, & dominio Dei, multo magis, quam filius aut seruus est sub potestate patris aut Domini. Si ergo ex hoc capite non potest esse iustitia inter patrem & filium, aut inter seruum & Dominum: multo minus inter Deum & Christum secundum humanitatem.

12. Si autem Iustitia sumatur latius, prout solet accipi in Scriptura, sic potest esse in Deo. Nam hoc modo sumpta, non requirit obligationem vnius

perſonæ ad alteram quæ ſit ſui iuris: ſed ſolum, vt inter duos ſeruetur æqualitas rerum, quam iuſtitia efficit. Hoc ſenſu Deus dicitur iuſtus Iudex, quia bene operantibus reddit æqualem ſeu integram mercedem, iuxta illud 2. Timoth. 4. 8. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Vbi Deus vocatur iuſtus, quia dat iuſtam ſeu æqualem mercedem. Et ipſa merces vocatur corona iuſtitiæ, quia eſt æqualis labori, pro quo datur. Vide Leſſium lib. 13. de diuinis perfectionibus cap. 2.

13. QVARTA CONCLVSIO. Recte dici poteſt, Chriſtum ſatisfeciſſe pro nobis ex rigore iuſtitiæ. Non quidem ex rigore iuſtitiæ priori, ſed poſteriori modo ſumptæ. Ita Vaſquez diſp. 7. cap. 5. & Leſſius loco citato. Ratio eſt, quia tam perfecte, exacte, & abunde ſatisfecit, vt ſecundum rigorem iuſtitiæ plus ab eo exigi non poſſit. Nota. Sicut iuſtitia dupliciter ſumi poteſt, ſemel ſtricte, & ſemel late, vt dictum eſt: ita etiam rigor iuſtitiæ. Primo pro rigore iuſtitiæ, qui & ſtrictam obligationem perſonæ ad perſonam ſui iuris, & æqualitatem rei ad rem includit. Secundo, pro rigore iuſtitiæ, qui ſolum includit exactam rei ad rem æqualitatem. Sic ſumitur hoc loco.

14. Ex dictis ſequitur, ad iuſtitiam ſtricte acceptam tria requiri. 1. Vt ſit inter duas perſonas diſtinctas. 2. Vt vtraque perſona ſit ſui iuris & poteſtatis. 3. Vt vna obligata ſit dare alteri ius ſuum ad æqualitatem. Et hoc modo non eſſe iuſtitiam inter Deum & Chriſtum ſecundum humanitatem. Rurſum ad iuſtitiam late acceptam, duo tantum requiri, 1. Vt ſit inter duos, etiamſi alter illorum non ſit

sui iuris & potestatis. 2. Vt alter alteri præstet æqualitatem, etiamsi alter alteri ex iustitia non sit obligatus. Et hoc modo inter Deum & Christum posse esse iustitiam: imo & rigorem iustitiæ.

CAPVT XVI.

De subiectione Christi.

TRIA quæri possunt. 1. An Christus sit minor Patre? 2. An sit illi subiectus? 3. An sit seruus illius? Prima quæstio facilis est, quia constat Christum secundum humanitatem, esse minorem Patre, iuxta illud Ioan. 14. 28. *Pater maior me est.* At de subiectione & seruitute est difficultas. Differunt autem hæc duo, quod subiectio dicat ordinem seu relationem ad præceptum superioris: Seruitus, etiam ordinem ad dominium alterius. Is enim dicitur alicui subiectus, qui debet obedire præcepto illius. Is autem dicitur seruus alterius, qui non solum debet illi obedire, sed etiam totus esse sub dominio & potestate illius ita vt non sit sui iuris. An aliquid amplius requiratur, postea videbimus.

Quæstio I.

An Christus fuerit subiectus legi aut Præcepto Diuino.

1. Loquor de Christo secundum humanitatem. Et potest esse quadruplex quæstio. 1. An Christus secundum humanitatem fuerit subiectus legi naturali? 2. An legi Mosaicæ? 3. An Euangelicę? 4. An speciali præcepto moriendi pro nobis?

2. Prima Conclvsio. Christus secundum humanitatem fuit subiectus legi naturali. Ita D. Thom. in 1.2. quæst. 93. art. 4. ad 2. Ratio est, quia tenebatur colere Deum, honorare parentes, non mentiri, non furari, & sic deinceps.

3. Dices, Ergo etiam Deus est subiectus legi naturali, quia tenetur etiam non mentiri. Respondeo. Non tenetur vi obligationis, quæ ab aliquo superiore imposita sit, sicut nos tenemur: sed tenetur ex natura bonitatis & veracitatis suæ, cui repugnat mentiri.

4. Dices 2. Lex habet vim obligandi sub reatu peccati: At Christus non potuit obligari sub reatu peccati, quia erat impeccabilis: Ergo non fuit subiectus Legi. Respondeo. Lex habet duplicē vim, nempe dirigendi & obligandi. Voluntas Christi potuit dirigi per legem, quia non erat sibiipsi regula suorum actuum. Potuit etiam obligari ad faciēdum bonum, & omittendum malum: Non tamē potuit obligari sub reatu peccati, quia erat impeccabilis.

Igitur hæc duo distinguenda sunt. 1. Lex obligat ad aliquid faciendum aut omittendum 2. Lex obligat ad hoc ipsum, sub reatu peccati. Prius conuenit legi, respectu cuiuscunque subditi; posterius, respectu illius tantum, qui peccare potest.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Christus non fuit subiectus legi Mosaicæ de iure, licet fuerit de facto. Ita D. Thom. quæstione 37. artic. 4. Ratio est, quia quamuis de facto seruauerit illam legem, non tamen tenebatur seruare. Nam lex illa fuit data Iudæis, qui per seminalem generationem descendebant ab Abrahamo, qualis non erat Christus. Quæres, cur seruauit legem, si non tenebatur? Respondeo, propter has causas. 1. vt daret nobis exemplum humilitatis & obedientiæ, 2. Vt suo facto approbaret legem, tamquam sanctam, & à Deo datam. 3. Vt non daret Pharisæis occasionem calumniandi. Vide D. Thomam loco citato.

6. Obiici potest illud Galat. 4. 4. *Misit Deus Filium suum factum sub lege.* Vnde colligitur, Christum fuisse subiectum legi Mosaicæ. Respondeo. fuit subiectus de facto, non de iure. Vnde Anselmus ibidem: *Subiectus est legi*, inquit, *non quia ipse legi quidquam deberet, sed vt nos redimeret.* Et Athanasius in disp. cum Ario, circa finem, ait, Christum fuisse & liberum, & subditum legi. Liberum, quoad obligationem: subditum, quoad obseruationem. Et D. Thom. quæst. 37. ar. 4. Christum non fuisse legi obnoxium, voluisse tamen legis onera subire.

7. Secundo obiicitur: Omnes circumcisi tenebantur seruare legem Mosaicam, teste Apostolo, Galat. 5. 3. *Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est vniuersæ legis faciendæ.* At Christus fuit cir-

cumcisus: Ergo fuit debitor legis faciendæ. Respõdeo. Maior est vera de hominibus peccato obnoxiis, non de Christo.

8. Tertia Conclvsio. Christus non fuit subiectus legi Euangelicæ, qualis est Lex Baptismi & aliorum Sacramentorum. Ratio est, quia ipsemet erat Legislator, & author illius legis. Dices, Legislator est etiam subiectus legi a se latæ. Respondeo, Tunc est subiectus legi à se latæ, quando Lex versatur in aliqua materia, quæ æque pertinet ad ipsum, & ad subditos: cuiusmodi est lex ieiunij. Tunc non est subiectus, quando lex respicit subditos, vt subditi sunt: cuiusmodi est lex de soluendis tributis. Talis est etiam Lex Euangelica à Christo lata, quæ respicit homines peccatores, qui cupiunt saluari.

9. Qvarta Conclvsio. Christus habuit speciale præceptum moriendi pro hominibus. Ita D. Thom. quæstione 47. articulo 2. vbi ex professo docet, Christum ex obedientia mortuum esse, iuxta illud Philipp. 2. 8. *Factus obediẽs vsque ad mortem*. Speciale vero præceptum, cui fuit obediens, colligitur ex illo Ioann. 10. 18. *Hoc mandatum accepi à Patre meo*. Et capite 14. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Ratio est, quia sicut homines per inobediẽtiam primi parentis fuerunt perditi, ita conueniens fuit, vt per obedientiã Christi saluarentur. Quod etiam Apostolus aperte docet Rom. 5. 19. *Sicut per inobediẽtiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita per vnius obeditionem, iusti constituentur multi.*

10. Queres, An præceptum moriendi, quod habuit Christus, fuerit præceptum proprie dictum? Aliqui negant, asserentes fuisse tantum simplicem Dei voluntatem, cui Christus voluerit se accommo-

dare, iuxta illud Matthæi 26. versu 42. *Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Alij rectius affirmant, quia vera obedientia nō est, nisi vbi est præceptum proprie dictum. At Christus fuit vere obediens: Ergo habuit præceptū proprie dictum. Nec obstat illud, *Fiat voluntas tua.* Nam voluntas sæpe sumitur pro lege seu præcepto, vt Matthæi 7. versu 21. *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Et Psalm. 39. versu 8. *Tunc dixi, Ecce venio: In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui,* (facere voluntatem tuam) *& legem tuam in medio cordis mei,* supple, posui. Vbi voluntas & lex sumuntur pro eodem, nempe pro præcepto Patris, quo voluit Christum mori pro hominibus.

11. Obiici potest illud Ioann. 10. versu 18. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre.* Vbi dicit se accepisse mandatum moriendi & resurgendi. At non accepit mandatum resurgendi proprie dictum: Ergo nec moriendi proprie dictum. Respondeo. Mandatum debet referri ad solam mortem, non ad resurrectionem, vt ipsemet Christus explicat ibidem versu 17. cum ait: *Propterea diligit me Pater, quia pono animam meam, vt iterum sumam eam,* id est, Propterea diligit me Pater, quia paratus sum seruare præceptum moriendi, vt iterum resurgam. Itaque mors est medium, quod præcipitur: resurrectio est finis propter quem præcipitur. Vide Suarez, disp. 43. sect. 3.

12. Secundo obiicitur: Charitas est perfectior, quàm obedientia: Ergo Christus ex charitate potius, quam ex obedientia mortuus est. Quod etiam

colligitur ex illo Eph.5. v. 2. *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem.* Et Ioann.15.versu 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Respondeo. Christus & ex charitate, & ex obedientia, pro nobis mortuus est. Vtrumque enim scriptura testatur. Nec alterum alteri contrarium est. Non enim repugnat, ex duplici motiuo mortem sustinere.

Qvæstio II.

An Christus secundum humanitatem propriè sit seruus Dei?

1. OMissa seruitute peccati, de qua hîc non est quæstio, duplex solet distingui seruitus: Vna naturalis, qua creaturæ sunt seruæ Dei. Hæc fundatur in essentiali dependentia creaturarum à Deo: Altera legalis seu humana, qua vnus homo est seruus seu mancipium alterius. Hæc contrahitur vel iure belli, vel natiuitate, vel iusta iudicis condemnatione, vel emptione. De priori seruitute hic agimus. Est igitur quæstio, An Christus secundum humanitatem sit seruus Dei, seruitute naturali? Affirmant Diuus Thomas quæstione 20. articulo 1. ad 2. Caietanus & Medina ibid. Suarez disputatione quadragesima quarta, sect. 1.

2. Probatur 1. Ex veteri Testamento, vbi Christus passim vocatur seruus Psalm. 115.versu 16. *O Domine, quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Et Isaiæ 42. versu 1. *Ecce seruus meus, suscipiam eum.* Et capite

44. versu 2. *Noli timere serue meus Iacob.* Et capite 52. versu 13. *Seruus meus exaltabitur.* Et capite 53. versu 11. *Iustificabit seruus meus multos.* Et Zachariæ 3. versu 8. *Ego adducam seruum meum orientem.* Deinde ex nouo, Philipp. 2. versu 7. *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.*

3. Secundo, ex Patribus. Ambrosius libro 5. de fide capite 6. ait: *Non igitur præiudicet, quod subiectus dicitur, cui non præiudicat, quod seruus legitur, quod crucifixus asseritur, mortuus prædicatur.* Et Augustinus Epistola 178. circa finem: *In qua eum infirmitate* (carnis) *non solum subditum, sed etiam seruum euidentissime confitemur.* Et Cyrill. lib. 12. thesauri cap. 15. circa finem: *Seruus factus est, quia vere homo.* Et Athanasius orat. 3. contra Arianos, longe à principio: *Quatenus in confesso est, eum hominem esse factum, nihil discriminis attulerit, siue genitus, siue factus, siue conditus, siue fictus appelletur, siue idem seruus, siue filius ancillæ.*

4. Tertio, accedunt rationes. 1. Christus, vt homo, est creatura: at omnis creatura est serua Dei: Ergo Christus, vt homo, est seruus Dei 2. Christus, vt homo, vere subiectus est Deo: Ergo est seruus Dei. 3. Etiamsi sit Dominus actionum suarum, non tamen est supremus: Ergo habet alium Dominum superiorem, nempe Deum. 4. Anima Christi debet adorare Deitatem adoratione latriæ, id est, seruitutis.

5. Alij contrarium tenent, Christum secundum humanitatem non esse proprie seruum Dei. Ita Vasquez disp. 80. cap. 6. Probatur 1. ex definitione Ecclesiæ, quia concilium Francofurdense & Adrianus primus in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, damnarunt sententiam Elipandi Archiepiscopi Toletani, qui

ni, qui asserebat, Christum secundum humanitatem esse filium Dei adoptiuum & seruum. De quo prolixe Vasquez loco citato cap. 3. 4. & 5.

6. Deinde ex Patribus. Damascenus lib. 3. de fide cap. 21. sic ait: *Sciendum autem, quod neque seruum ipsum dicere debeamus.* Et infra: *vnus enim existens Christus, non potest seruus suiipsius esse, & Dominus. Nam hæc non simpliciter dicuntur, sed ad alterum. Cuius ergo erit seruus Patris? Ergo non omnia, quæcunque habet Pater, & Filij sunt.* Et rursus ibidem: *Appellationem igitur serui habet, non quod ipse sane existat hoc, sed quod propter nos formam serui accepit, & seruus nobiscum vocatus.*

7. Et Augustinus tract. 3. in Ioannem, explicans illud, *Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*: sic ait: *Per seruum Lex data est, reos fecit: Per Imperatorem indulgentia data est, reos liberauit. Lex per Mosen data est. Non sibi aliquid amplius seruus assignet, quam quod per illum factum est. Electus ad magnum ministerium, tanquam fidelis in domo, sed tamen seruus. Agere secundum Legem potest, soluere à reatu Legis non potest.* Vbi opponit Mosen & Christum, tanquam seruum & Imperatorem. Quod etiam facit Apostolus Hebr. 3. asserens Mosen in domo Dei fuisse tanquam famulum: Christum, tanquam filium.

8. Chrysostomus hom. 13. in Epist. ad Hebræos: *Sicut enim seruus factus est, sic & Pontifex & Minister: sed seruus factus, non mansit seruus: sic & Minister factus, non mansit minister. Non enim Ministri est sedere, sed stare.* Vbi insinuat, Christum officio fuisse ministrum & seruum vsque ad mortem, non conditione naturæ. Nunc autem nec officio, nec conditione talem esse. Eodem sensu dixit Concilium Francofurdense, Christū in statu viæ assumpsisse ministerium

& humilitatem ſerui, cum tamen ſeruus non eſſet. Et Damaſcenus ſupra, fuiſſe ſeruum, non reipſa, ſed appellatione. Et Athanaſius ſerm. 3. contra Arianos fuiſſe ſeruum appellatione, non veritate. Et Cyrill. Alexandrinus in expoſitione Symboli Niceni circa medium: *Accepit autem formam ſerui, vt liberi, non ſeruus exiſtens ad libertatis rediit gloriam.*

9. Et ratio eſt. 1. quia Chriſtus ſecundum humanitatem eſt filius Dei naturalis: Ergo non eſt ſeruus. Hæc enim inter ſe pugnant. 2. Cum ſit Filius Dei naturalis, habet ius ad hæreditatem Dei Patris: At ſeruus non habet ius ad hæreditatem Domini. 3. Serui non eſt ſedere, ſed ſtare, vt argumentatur Chryſoſtomus: At Chriſtus ſecundum humanitatem ſedet ad dextram Dei Patris: Ergo non eſt ſeruus. 4. Paterfamilias in Parabola Euangelica, prius miſit ſeruos, deinde filium (Matth. 21. 34.) Quo ſignificatur, Deum prius miſiſſe Prophetas, qui erant ſerui: deinde Chriſtum, qui erat filius, non ſeruus.

10. Hæc controuerſia videtur eſſe de nomine. Et deciſio pendet ex eo, quid ſignificetur nomine ſerui? Aut, quæ ſint conditiones ſeruitutis? Humanæ, ſeu legalis ſeruitutis ſunt tres conditiones. 1. vt ſeruus obediat Domino. 2. vt non ſit ſui iuris. 3. vt cum Domino nec in bonis, nec in honore, nec in ſede communicet. Vel, vt alij, vt non habeat ius ad hæreditatem Domini. Ita Suarez diſputatione 44. ſectione 1. §. *ad dirimendam*, Vaſquez diſputatione 80. capite 4. & 8. Si totidem ſunt conditiones ſeruitutis naturalis, qua creaturæ ſunt ſeruæ Dei, iam certum eſt, Chriſtum ſecundum humanitatem non eſſe ſeruum, quia tertia conditio illi non conuenit.

Nam Christus secundum humanitatem habet ius ad hæreditatem Dei, & communicat cum illo in bonis, honore, & sede. In bonis quidem, iuxta illud Colos. 2. 9. *In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* In honore & sede, iuxta illud Hebr. 1. 3. *Sedet ad dextram Maiestatis in excelsis.*

11. Et hanc sententiam sequitur Damascenus suprà citatus, qui tria docet, 1. Humanitatem Christi secundum se sumptam, esse seruam Dei. 2. Eandem humanitatem, quatenus hypostatice vnita est Diuinitati non esse seruam Dei. 3. Nec Christum secundum humanitatem esse seruum Dei. Primum docet lib. 3. cap. 21. his verbis: *Seruam assumpsit naturam. Nam & hominis natura, serua Dei est, qui fecit illam.* Alterum ibidem: *Serua est caro, nisi vnita esset Deo Verbo. Semel autem vnita secundum hypostasin, quomodo serua erit?* Et lib. 4. cap. 19. *Nisi caro Deo Verbo copulata fuisset, serua procul dubio & ignorans extitisset. Verum ob personalem cum Deo Verbo vnionem id habuit, vt nec serua esset, nec in ignorantione versaretur.* Tertium, priori loco: *Sciendum autem, quod neque seruum ipsum dicere debeamus.* Rationem addit, quam suprà insinuaui, quia Christus secũdum humanitatem communicat cum Deo in bonis, honore, & sede. Vel, vt ipse loquitur, omnia, quæ sunt Dei Patris, sunt etiam Christi.

12. Nec obstant, quæ in contrarium allata sunt. Primo, quia Christus in Veteri Testamento vocatur seruus, duplici sensu. Tum quia assumpsit humanam naturam, quæ secundum se serua est. Et hoc sensu dixit Apostolus, *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Tum etiam, quia assumpsit ministerium & humilitatem serui, tametsi seruus non esset, vt ex Concilio Francofurdensi, & ex Damasceno, Atha-

nasio, Cyrillo dictum est. Patres, qui contra nos citantur, eodem modo explicari possunt.

13. Ad rationes sic Respondeo. Ad 1. Christus, vt homo, includit duo, nempe personam Verbi & humanitatem. Sic proprie non est creatura, vt nunc loquimur, de creatura: sed est compositum ex vno increato, & altero creato. Humanitas tamen Christi est creatura: sed ratione vnionis hypostaticæ, est creatura deificata, communicans cum Deo in bonis, honore, & sede: ac proinde non est serua, vt cum Damasceno explicatum est.

14. Ad 2. Negatur consequentia, quia etiam inter homines, filius est subiectus Patri, & tenetur illi obedire: nec tamen ideo seruus aut mancipium est.

15. Ad. 3. Verum est, Christus secundum humanitatem præcise, vel, quod idem est, humanitatem Christi habere alium Dominum se superiorē, nēpe Deum, sicut etiam ciues habent supra se Magistratum: Hoc tamen non sufficit ad conditionem seruitutis, sed vlterius requiritur negatio communicationis bonorum: vt supra dixi.

16. Ad 4. Nomen seruitutis sumi potest dupliciter. 1. pro obsequio, quod Deo debetur Et tunc idem est, quod latria. 2. pro conditione seruili, quæ includit negationem communicationis bonorum. Sic differt à latria.

CAPVT XVII.

De oratione Christi.

QVæri potest. 1. An Christus in hac vita vere orauerit? 2. Quare orauerit? 3. An oratio eius semper fuerit exaudita? 4. An etiam nunc in cœlis oret? Loquor autem de Christo secundum humanitatem, vt hactenus, quia secundum diuinitatem non potuit orare. Nã oratio est actus deprecantis alium, vt se adiuuet, ac proinde est actus indigentis ope alterius. At Christus secundum diuinitatem, nullius ope indiget.

QVÆSTIO I.

An Christus in hac vita vere orauerit?

1. PRIMA CONCLVSIO. Christus in hac vita vere orauit, tam pro se, quam pro nobis, Luc. 6. 12. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Et Lucæ 22. 32. *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Et Ioann. 17. versu 1. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum.* Et infra versu 9. *Ego pro eis rogo.* Et versu 11. *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Et alibi sæpius.

2. Dices 1. Damascenus docet, Christum non vere, sed simulate orasse. Nam libro 4. De fide, capite 19. post medium, diserte asserit, Christum multa

simulate feciſſe. primo, Cum interrogauit de Lazaro, *Vbi poſuiſtis eum*? 2. Cum ad ficum acceſſit, quærens ex ea fructum. 3. Cum finxit ſe longius ire. 4. Cum ſe abſcondit. 5. Cum orauit. Reſpondet Vaſquez diſputatione 82. capite 2. Orationem Chriſti dupliciter poſſe conſiderari. 1. Reſpectu humanæ naturæ tantum, quæ erat proxima cauſa elicíens actum orationis. 2. Reſpectu perſonæ Verbi. Si priori modo ſpectetur, Chriſtum vere & non ficte oraſſe, quia humana Chriſti natura vere indigebat auxilio Dei, nec per ſe poterat præſtare, quæ petebat. Si poſteriori, Chriſtum aliquo modo ſimulate oraſſe, quia quando coram hominibus externa voce orabat Deum Patrem, videbatur ſignificare, perſonam ſuam indigere auxilio Dei Patris, cum tamen non indigeret. Et hoc modo intelligendum eſſe Damaſcenum.

3. Hæc diſtinctio, tametſi bona ſit, non tamen attingit mentem Damaſceni. Nam cum dixiſſet Damaſcenus, Chriſtum multa per ſimulationem feciſſe, mox ſubiicit: *His enim & ſimilibus, neque vt Deus, neque vt homo indigebat.* Senſus igitur Damaſceni eſt, Chriſtum vere quidem oraſſe, ſicut etiam vere interrogauit de Lazaro, vere acceſſit ficũ, vere abſcondit ſe: ſed ſimulaſſe, ſe his omnibus indigere, cum tamen non indigeret. Non enim opus illi erat, vt interrogaret de loco ſepulturæ Lazari, quia ſciebat, vbi ſepultus eſſet: nec, vt accederet arborẽ fici, viſurus an fructum haberet, quia ſciebat non habere: Nec, vt ſe abſconderet, ne lapidaretur à Iudæis, quia poterat alio modo hoc malũ impedire: Neque, vt oraret Deum Patrem, quia potuiſſet ſine oratione obtinere quod petebat. An hoc po-

ſtremum de oratione abſolute verum ſit, ſequenti quæſtione diſputandum eſt.

4. Dices 2. Oratio eſt aſcenſio mentis in Deum: ſed mens Chriſti non poterat de nouo aſcendere in Deum, quia ab inſtanti conceptionis ſemper fuit illi coniuncta per viſionem & amorem beatificum: Ergo non poterat orare. Hoc argumentum proponunt Damaſcenus lib. 3. de fide capite 24. & D. Thomas quæſt. 21. art. 1. Sed non eodem modo reſpondent. Ego ſic reſpondeo. Mens Chriſti non poterat per viſionem & amorem beatificum de nouo aſcendere in Deum, vt bene oſtenſum eſt: poterat tamen per cognitionem ſcientiæ infuſæ, & per nouum deſiderium impetrandi aliquid à Deo. Idem dicẽdum eſt de mente Angelorum & aliorum beatorum in cœlo, qui quotidie pro nobis orant. Tametſi enim mens illorum ſemper Deo coniuncta ſit per viſionem & amorem beatificum: non tamen ſemper per affectum & deſiderium impetrandi hoc vel illud pro nobis.

5. Dices 3. Nullus prudenter petit id fieri, quod certo ſcit futurum, vel non futurum. Nam ſi certo ſcit futurum, non opus eſt petere, vt fiat. Si certo ſcit non futurum, fruſtra petit, vt fiat. At Chriſtus ab inſtanti conceptionis certo ſciuit omnia, quæ vel futura eſſent, vel non futura: Ergo non potuit prudenter petere ſeu orare, vt aliquid fieret. Reſpondeo. Nemo prudenter petit id fieri, quod certo ſcit futurum, vel non futurum, independenter à ſua oratione. Si autem certo ſcit aliquod bonum futurum propter ſuam orationem, quod aliàs non eſſet futurum, tunc prudenter poteſt orare, vt fiat. Similiter, ſi certo ſcit,

aliquod malum impediendum propter ſuam orationem, quod aliàs non eſſet impediendum, prudenter poteſt orare, vt impediatur. Et ſic fecit Chriſtus. Sciebat Deum Patrem quædam facturum propter ſuam orationem, & ideo orabat illum, vt iſta fierent. Rurſum ſciebat Deum Patrem permiſſurum quædam peccata, niſi per orationem impedirentur, & ideo orabat, vt impedirentur. Vide D. Thomam quæſt. 21. art. 1. ad 2.

QVÆSTIO II.

Quare Chriſtus in hac vita orauerit?

1. THeologi docent, Chriſtum variis de cauſis oraſſe. 1. Propter exercitium virtutis. 2. Ad exemplum aliorum. 3. Vt oſtenderet ſe eſſe Filium Dei Patris, & ab eo miſſum. 4. Propter neceſſitatem & indigentiam. Hæ cauſæ paucis explicandæ ſunt.

2. Primo igitur orauit propter exercitium virtutis. Sicut enim in hac vita, voluit exercere actum charitatis, patientiæ, miſericordiæ, humilitatis, paupertatis, obedientiæ, iuſtitiæ, fortitudinis: ita etiam actum religionis.

3. Secundo, vt daret nobis exemplum & modum orandi, quem imitemur. Modus autem orandi, quem nobis dedit ad imitandum, eſt hic. Primo, vt oremus cum debita corporis compoſitione, nũc flexis genibus, nunc oculis in cœlum eleuatis, nunc alio decenti ritu. Matth. 26. verſu 39. *Procidit in faciem ſuam, orans & dicens.* Et Lucæ 22. verſu 41. *Poſitis genibus orabat dicens.* Et Ioann. 11. 41. *Eleuatis ſurſum*

oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi. Secundo vt in loco commodo & apto. Matth. 14.23. *Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare.* Et Marci 6. 46. *Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare.* Tertio, vt sine tædio & fatigatione. Luc. 6.12. *Et erat pernoctans in oratione.* Et Matth. 26. 44. *Iterum abijt & orauit tertio, eundem sermonem dicens.*

4. Tertio, vt ostenderet se esse filium Dei, & à Deo Patre missum. Ita D. Thomas quæst. 21. art. 1. ad 1. Et probat dupliciter. Primo ex Verbis Christi, Ioan. 11. 42. *Propter populum, qui circumstat, dixi*) scilicet verba orationis) *vt credant, quia tu me misisti.* Deinde ex Hilario lib. 10. de Trinitate, sub finem, vbi ait: *Nobis itaque orauit, ne filius ignoraretur: & cum sibi non proficeret deprecationis sermo, ad profectum tamen nostræ fidei loquebatur.*

5. DICES, Ex eo, quod Christus orauit Deum Patrem, non potuit colligi, ipsum esse filium Dei, sed potius esse filium hominis. Non enim orauit secundum diuinitatem, qua erat Filius Dei, sed secundum humanitatem qua erat Filius hominis. Respondeo. Ex eo præcise, quod orauit, non potuit hoc colligi: sed ex eo, quod orauit Deum, vocando illum suum Patrem: & per miraculosam resuscitationem Lazari confirmando, se esse filium, vt patet Ioan. 11. 41. vbi ait: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me*, &c. Vide Vasquez, disput. 81. c. 1. in fine.

6. Quarto orauit, propter indigentiam & necessitatem. Nam aliqua non potuit obtinere, nisi per orationem. Sicut enim ordinatum fuit à Deo, vt homines non redimerentur, nisi per mortem Christi; ita etiam ordinatum fuit, vt quidam esse-

ctus non fierent, nisi per orationem Christi. Nec obstat, quod Damascenus dicat, Christum, neque vt Deum, neque vt hominem indiguisse oratione. Non indiguit quidem absolute, sed tamen, indiguit, supposito Dei decreto. Nam Deus libere decreuit, vt quædam non fierent, nisi per meritum orationis Christi. Vide Suarez disp. 45. sect. 1.

QVÆSTIO III.

An oratio Christi semper fuerit exaudita?

1. ALIQVI respondent cum distinctione, orationem Christi semper fuisse exauditam, quando procedebat ex absoluta & efficaci voluntate; non autem, quando procedebat ex simplici affectu, seu ex voluntate inefficaci. Ita Suarez, quæstione 21. art. 4. in Commentario, Caietanus, & recentiores Thomistæ ibidem. Prior pars colligitur ex illo Ioan. 11. 42. *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Et Hebr. 5. 7. *Exauditus pro sua reuerentia.* Posterior ex illo Matth. 26. 39. *Pater mi, si possibile est, trãseat à me calix iste.*

2. Alij sine distinctione, absolute asserunt, orationem Christi semper fuisse exauditam. Ita Vasquez disputatione 82. cap. 5. & alij ab eo citati. Et colligitur ex D. Thoma quæstione 21. articulo 4. vbi absolute dicit: *Omnis eius oratio fuit exaudita.* Ratio est, quia licet in Christo distingui debeat duplex voluntas, vna efficax, altera inefficax: non tamen distingui debet duplex oratio, vna procedens ex efficaci voluntate, altera ex inefficaci. Nam ora-

tio, si vere oratio est, semper procedit ex absoluta & efficaci voluntate orantis: nunquam ex inefficaci. Qui enim petit aliquid fieri, efficaciter illud desiderat, & ideo adhibet orationem, tanquam medium quoddam ad obtinendum id, quod petit. Hinc solet dici, orationem natura sua vtilem esse ad impetrandum. Vnde sic concludo: Qui vult aliquid voluntate inefficaci, nullum medium adhibet ad illud obtinendum: quia si adhiberet aliquod medium, iam vellet illud voluntate inefficaci: At qui orat, adhibet aliquod medium ad obtinendum, nempe ipsam orationem: Ergo quia orat, non vult voluntate inefficaci, sed tantum efficaci.

3. Hæc sententia est probabilior. Pro qua nota, aliud esse, orare; aliud, simplex seu efficax desiderium proponere. Quod facile in nobis ostendi & explicari potest. Nam nostra oratio debet esse coniuncta cum certa spe seu fiducia consequendi id quod petimus. Iacobi 1. 6. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Et Matth. 21. 22. *Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Quando autem proponimus seu manifestamus alteri simplex seu inefficax desiderium nostrum, non facimus id cum certa spe seu fiducia consequendi illud, sed potius cum contrario affectu: vt si dicam: *O mihi præteritos referat si Iupiter annos.*

4. Cum igitur Christus dixit: *Pater mi, Si possibile est, transeat à me calix iste.* non orauit, sed simplex naturæ desiderium proposuit, vt notat D. Thomas quæstione 21. artic. 4. ad 1. in fine. Et cum statim adiecit, *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis,* cohibuit illud desiderium, & orauit, ne fieret secundum suum desiderium, sed secundum volun-

tatem Dei Patris. Hinc confirmatur noſtra ſententia. Nam ſi oraſſet, cum dixit, *Tranſeat à me calix iſte*, ſequeretur, quod bis eodem pene inſtanti oraſſet: Semel, *Tranſeat à me calixi ſte*. Et iterùm, *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*: Et conſequenter, quod priorem orationem per poſteriorem reuocaſſet. Quod eſt abſurdum.

5. Dices, Ex Scriptura conſtat, orationem Chriſti non ſemper fuiſſe exauditam. Primo ex illo Luc. 23. 34. *Pater dimitte illis*. Non enim omnibus, qui aderant, dimiſſum eſt peccatum. Secundo, ex illo Pſalmo 21. 3. *Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad inſipientiam mihi*. Quod dictum eſt in perſona Chriſti. Reſpondeo. Ad priorem locum duplex ſolutio eſt. Vna D. Thomæ loco citato ad 2. Chriſtum fuiſſe exauditum, cum dixit, *dimitte illis*, quia non orauit pro omnibus crucifixionibus, ſed pro ſolis prædeſtinatis. Altera, oraſſe quidem pro omnibus, ſed hoc ſolum oraſſe, vt Deus daret illis ſufficientem gratiam, per quam poſſent conuerti, ſi vellent: & in eo fuiſſe exauditum.

6. Poſterior locus poteſt dupliciter intelligi. Primo ſic: Deus meus etiam ſi clamem die ac nocte, *Tranſeat à me calix iſte* non exaudies me. Et tamen non poterit hoc mihi aſſcribi ad inſipientiam ſi ita clamem, & non exaudiar: quia per illum clamorem non oro, vt tranſeat à me calix paſſionis & mortis, ſed ſolum oſtendo naturale deſiderium viuendi, ſeu naturalem metum ac horrorem mortis. Secundo ſic: Deus meus clamabo per diem, id eſt, dum ſum in hac vita, *Tranſeat à me calix iſte*. Et non exaudies: Et clamabo per noctem, cum fuero

mortuus, vt resurgam: & non ad insipientiam mihi, quia clamorem hunc exaudies. Vtramque expositionem habet Bellarminus in Commentario. At ex neutra sequitur, Christi orationem nõ fuisse exauditam. Nam clamor ille per diem, *Transeat à me calix iste*, non fuit oratio, sed explicatio naturalis effectus, quo Christi humanitas abhorrebat à morte.

Qvæstio IV.

An Christus etiam in cœlo pro nobis oret?

1. Certum est, Christum in cœlo nunc existentem aliquo modo pro nobis orare, quia id aperte constat ex Scriptura. Rom 8. 34. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et Hebr. 7.25. *Vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Et cap. 9. 24. *Iesus introiuit in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et 1. Ioann. 2. 1. *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum.*

2. Sed quæstio est, Quomodo id intelligendum sit? Potest enim dupliciter intelligi. Primo: quod vere, proprie, & expresse oret, petendo aliquid pro nobis. Secundo, quod solum improprie seu interpretatiue oret repræsentando suam passionem & merita. Igitur aliqui putant, illum proprie ac vere pro nobis orare, vt D. Thomas, Abulensis, Toletus, quos sequitur Suarez disputatione 45. sectione 2. & Valentia quæstione 21. part. 1. assert.

3. Probatur 1. Ex Scripturis citatis, quæ possunt proprie intelligi de vera oratione: Et speciatim ex illo Ioann. 14. 16. *Ego rogabo patrem* (nempe, postquam in cœlum ascendero) *& alium paracletum dabit vobis.* Deinde ex quibusdam Patribus. Tertio ratione, quia ex vna parte non est indecens, Christum pro nobis orare: ex altera, multùm commendat ipsius charitatem.

3. Alij rectiùs sentiunt, solum interpretatiue pro nobis orare, repræsentando Patri suam passionem, quam pro nobis sustinuit. Ita Rupertus, Spencæus, Adamus Sasbout, Bartholomæus Medina, quos sequitur Vasquez disputatione 82. capite 2. Probatur etiam ex Scripturis, Patribus, & ratione. Primo ex illo Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Vbi duo notanda sunt. 1. quod Christus loquatur de se secundum humanitatem. 2. quod loquatur de omni potestate spirituali (non excludo temporalem) quia mox addit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quasi dicat, Quandoquidem Deo Patri fui obediens vsque ad mortem, dedit mihi omnem potestatem spiritualem in cœlo & in terra; Et ex hac plenitudine potestatis, qua nunc vtor, mitto vos in vniuersum mundum, vt vbique prædicetis Euangelium, & administretis Sacramenta. Vnde sic concludo: Christus in cœlo nunc existens, habet omnem potestatem spiritualem, ita vt in rebus spiritualibus, seu ad vitam æternam pertinentibus, possit facere & disponere pro suo arbitrio: Ergo non opus est vt per orationem recurrat ad Deum Patrem, & aliquid ab eo impetret: quia potest vti sua potesta-

te, quam habet. Sicut si Rex daret filio suo, siue naturali, siue adoptiuo, omnem potestatem temporalem in aliqua prouincia, non opus esset, vt filius oraret Regem pro aliquo negotio temporali, ad illam prouinciam pertinente.

4. Secundo, ex illo Hebr. 9. versu 12. *Christus per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Vnde sic: Nemo re inuenta, orat pro illa, vt inueniat, sed potius gratias agit, quod inuenerit: At Christus in cœlo existens, inuenit nostram redemptionem, quam in hac vita desiderabat: Ergo in cœlo existens non orat pro nostra redemptione, tametsi in hac vita existens pro illa orauerit. Nota. Nomine redemptionis significantur omnia, quæ pertinent ad nostram salutem. Ergo Christus pro nulla re ad salutem nostram pertinente, nunc orat.

5. Tertio ex Patribus, præsertim ex Paulo Aquileensi, Nazianzeno, Gregorio, Chrysostomo, Ruperto, & aliis apud Vasquez loco citato. Accedit ratio, quia Christus in hac vita per suam passionem & mortem perfecit opus nostræ redemptionis, & omnia impetrauit, quæ ad salutem nostram necessaria sunt: Ergo nunc in cœlo existens, nihil amplius pro nobis petit. Nam si aliquid peteret, quod antea impetrasset, frustra peteret. Antecedens patet ex Hebr. 9. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et capite 10. 14. *Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.*

6. Hac ratione vsus est Chrysostomus homil. 15. in Epistol. ad Romanos, explicans illa verba: *Qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Sic

enim habet: *Qui desperatos & condemnatos, propria authoritate ab illa condemnatione liberauit, & iustos, & filios fecit, & ad honores supremos subuexit, & quæ nunquam sperata fuerant, ea ad opus deduxit: is quo tandem modo post omnia à se perfecta, post naturam nostram in throno Regio ostensam ac collocatam, ad ea, quæ faciliora sunt, intercessionis indigeat?* quasi dicat, minime.

7. DICES, Christus quidem per passionem & mortem suam perfecit opus nostræ redemptionis, & meruit omnia, quæ ad salutem nobis necessaria sunt, vt bene probatum est: nihilominus merita ipsius non prosunt nobis, nisi applicentur. Sicut ergo applicantur per Sacramenta, per sacrificium Missæ, per intercessionem Sanctorum: sic etiam possunt applicari per orationem Christi. Tametsi igitur Christus in cœlo existens, non oret pro nobis, vt impetret nobis gratiam & vitam æternam, orat tamen, vt merita ipsius nobis applicentur. Respondeo. Non ita est. Nam cum ipse habeat omnem potestatem spiritualem, vt dictum est, habet etiam potestatem applicandi nobis merita sua, ac proinde, non opus est, vt in hac re confugiat ad Deum Patrem, & illum exoret pro applicatione meritorum. Nam ipsemet potest applicare, quando vult, & cui vult. Vult autem applicare, vel per Sacramenta à se instituta, vt per sacrificium Missæ, vel per intercessionem Sanctorum, vel per alia media: non tamen per suam orationem. Non enim decet, vt post acceptam plenitudinem potestatis, ad Deum Patrem confugiat, quasi non haberet sufficientem potestatem.

8. Testimonia Scripturæ in contrarium allata facile explicantur. Christus enim dicitur pro nobis interpel-

interpellare, dicitur pro nobis apparere vultui Dei, dicitur esse aduocatus noster apud Deum Patrem: non quod proprie pro nobis oret, sed quia repræsentat Deo Patri sua merita, labores, passiones, & mortem, quam pro nobis sustinuit. Ita multi Authores apud Vasquez disputatione 82. capite 2. & 4. Illud porro, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*: non significat Christum rogaturum Patrem post ascensionem in cœlum, vt aliqui putant: sed ante passionem. Quod etiam fecit Ioan. 17. 9. *Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Et infra: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*, &c.

9. Quod ad Patres attinet, fateor aliquos contra nos sentire. Sed & multi nobiscum sentiunt, vt dixi. Quod obiicitur non esse indecens, Christum in cœlis pro nobis orare: imo esse signum charitatis ipsius erga nos: respondeo, magis ipsum decere, vt non oret, quam vt oret. Cum enim habeat omnem potestatem spiritualem, consentaneum est, vt vratur potestate sibi à Deo data, & non confugiat ad Deum per orationem, dissimulando suam potestatem. Charitas eius satis ostenditur per hoc, quod perpetuo repræsentet Deo Patri suam mortem, in fauorem nostri.

CAPVT XVIII.

De adoptione Christi.

DVPLEX est adoptio, humana,& Diuina. Quæritur 1. Quid sit adoptio, tam humana, quam Diuina? 2. Quomodo altera ab altera differat? 3. quinã sint capaces adoptionis Diuinæ? 4. An Christus secundum humanitatem sit Filius Dei adoptiuus? 5. An sit filius Dei naturalis?

QVÆSTIO I.

Quid sit Adoptio humana & Diuina?

1. PRIMA CONCLVSIO. Adoptio humana est gratuita assumptio seu acceptatio personæ extraneæ ad hæreditatem, vt colligitur ex Diuo Thoma, quæst. 23. art. 1. Solent autem à Iuristis assignari variæ conditiones, quæ requiruntur ad hanc adoptionem. Prima est, vt persona, quæ adoptatur, sit extranea, id est, vt ex vi suæ originis nõ habeat ius ad illam hæreditatem, ad quam adoptatur. Vnde si aliquis adoptatur in filium, necesse est, vt non sit filius naturalis. Si adoptatur in nepotem, necesse est vt non sit nepos. Quæres, quid si nepos adoptetur in filium, poteritne dici persona extranea? Respondeo. Quodammodo dicetur non esse persona extranea, vt patet Instit. de Adoptionibus.

§. *Sed hodie.* Simpliciter tamen debet dici extranea, quia caret illo gradu coniunctionis, ad quem adoptatur.

2. Altera conditio est, vt assumptio ad hæreditatem sit gratuita. Nam si detur titulo oneroso, non erit adoptio, sed venditio, vel alius similis contractus. Has duas conditiones posuit Concilium Francfurdense colum 4. vbi sic ait: *Adoptivus non dicitur, nisi qui est alienus, & adoptio non datur ex debito, sed ex indulgentia.*

3. Tertia est, vt is qui adoptatur, consentiat in adoptionem. Et quidem si sit sui iuris, rogatur an velit adoptari. Et talis adoptio vocatur adrogatio, vt habetur L. 2. ff. de adoptionibus. Si autem sit sub patria potestate, tunc retinet nomen adoptionis, & requirit consensum vtriusque, tam eius qui adoptatur, quam illius sub cuius potestate est, vt colligitur ex L. 5. ibidem. Quod si nondum ratione vtatur adoptandus, sufficiet consensus parentis vel tutoris, in cuius potestate est, vt patet ex L. 42. ibidem, & L. Impuberem. C. eodem titulo. Ratio huius conditionis est, quia adoptio est quasi contractus quidam humanus, ac proinde ex vtraque parte debet esse voluntarius. Aliæ conditiones, quæ adferuntur, sunt accidentariæ, vt patebit ex sequẽti quæstione.

4. Secvnda Conclvsio. Adoptio diuina est, quando Deus gratuito assumit aliquem ad participationem æternæ beatitudinis. Hæc enim beatitudo est hæreditas, ad quam homines & Angeli adoptantur. Habent autem hic locum eædem cõditiones, quæ sunt in adoptione humana. 1. quia persona humana & Angelica censetur extranea, ref-

pectu beatitudinis ſupernaturalis. Nam ex vi ſuæ originis nullum ius ad illam habet. 2. quia gratis acceptatur ad hæreditatem. Acceptatur enim in prima iuſtificatione, quę omnino gratuita eſt. 3. quia requiritur conſenſus eorum, qui acceptantur, ſiue proprius, vt in adultis: ſiue alienus, vt in infantibus.

5. Hæc adoptio Diuina nihil aliud eſt, quam ipſa hominum vel Angelorum iuſtificatio, vt docet Auguſtinus ep. 120. c. 4. & l. 3 contra Fauſtum c. 3. Et colligitur ex Scriptura Rom. 8. 15. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum*, nempe, quando iuſtificati eritis. Et Galat. 4. 4. *Miſit Deus filium ſuum, factum ſub lege, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Et Eph. 1. 5. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum.* Quam adoptionem explicans, ſubdit: *Gratificauit nos in dilecto filio ſuo.* Ratio eſt, quia homo iuſtificatus habet ius ad hæreditatem: Ergo eſt filius: Non naturalis: ergo adoptiuus, quam adoptionem in ipſa iuſtificatione ſuſcepit. Et confirmatur, quia per iuſtificationem dicitur homo renaſci. Ergo tunc incipit eſſe filius adoptiuus. Huc ſpectat illud Petri 1. 3. *Benedictus Deus, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem viuam, in hæreditatem incorruptibilem.* Et Iacobi 1. 18. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.* Et ad Titum 3. 5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Et Ioann. 1. 12. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui ex Deo nati ſunt.* Vide Suarez quæſt. 23. artic. 1. in Commentario.

QVÆSTIO II.

Quomodo differat adoptio diuina ab humana?

1. EX D. Thoma quæſt. 23. colliguntur variæ differentiæ. Prima eſt, quod adoptio humana formaliter fiat per ſolam extrinſecam acceptationem, qua confertur ius ad hæreditatem: non autem per aliquid intrinſecum, in quo funderur ius ad hęreditatem. Adoptio vero Diuina, non fit formaliter per extrinſecam acceptationem ad gloriam, vt putãt Lutherani & Caluiniſtæ, ſed per internam infuſionem gratiæ ſanctificantis, per quam homo fit particeps diuinæ naturæ, & acquirit ius ad gloriam ſeu hæreditatem cœleſtem. (1. Ioann. 3. & 2. Petri 1. 4.)

2. Secunda, quod humana adoptio non habeat rationem generationis phyſicæ, quia fit per ſolam extrinſecam acceptationem, vt dictum eſt. Adoptio autem Diuina participat quandam rationem generationis & natiuitatis, vt patet ex Scripturis q. 1. § 5. citatis, quia in ea confertur gratia habitualis, quæ eſt quædam Diuinæ naturæ participatio. (2. Pet. 1. 4.)

3. Tertia, quod ex adoptione humana non reſultet relatio realis, ſed tantum rationis: quia fundatur in ſola extrinſeca denominatione ſeu acceptatione. At ex diuina adoptione reſultat relatio filiationis realis, fundata in reali & intrinſeca iuſtificatione. Hæc enim iuſtificatio eſt vera & realis gene-

ratio, in similitudinem Diuinę naturæ, non quidem perfectam & substantialem, sed tamen realem & accidentalem.

4. Quarta, quod in humana adoptione, persona quæ adoptatur, non procedat in suo esse reali à persona adoptante: At in diuina, semper procedat à Deo adoptante, saltem per creationem & conseruationem: Hoc tamen non obstat, quo minus sit vera adoptio. Nam licet homo realiter & effectiue procedat à Deo per creationem, censetur tamen persona extranea, quia vi creationis non habet ius ad æternam hæreditatem, ad quam adoptatur.

5. Quinta, quod adoptio humana introducta sit ex defectu & indigentia filij naturalis, Diuina vero, non ex indigentia, (quia Pater in Diuinis habet Filium naturalem) sed ex infinita Dei bonitate, vt similitudo filij naturalis communicetur filiis adoptiuis. Ita D. Thom. art. 1. ad 2. Et in hunc sensum explicat illud Rom. 8, 29. *Quos præscinit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.*

6. Sexta, quod adoptio humana ad hoc ordinetur, vt Filius succedat Patri in hæreditate. De ratione autem successionis est, vt altero decedente vel deferente hęreditatem, alius accedat, & acquirat illam. Adoptio autem Diuina non ordinatur ad successionem, sed ad communicationem vel participationē eiusdem hęreditatis. De qua August. tract. 2. in Ioann. sic ait: *Non timuit Christus habere coheredes, quia hereditas eius non fit angusta, si multi eam possederint.*

7. Septima, quod in humana adoptione solus ille possit adoptare, qui potest generare. In diuina autē adoptant omnes personæ, licet non omnes possint

generare. Nam solus Pater generat, non Filius, aut Spiritus Sanctus. Ita D. Thom. art. 2. ad 1. Hæc autem differentia non fundatur in iure ciuili, quia secundum illud possunt etiam adoptare illi qui non possunt generare, vt expresse habetur Inst. De adoptionibus, §. Sed & illud, his verbis: *Sed & illud vtriusque adoptionis commune est, quod & ij, qui generare non possunt, (quales Spadones) adoptare possunt, castrati autem non possunt.*

QVÆSTIO III.

Quinam sint capaces adoptionis Diuinæ?

1. PRIMA CONCLVSIO. Nulla creatura irrationalis est capax Diuinæ adoptionis. Ita D. Thom. art. 3. Ratio est, quia non est capax æternæ hæreditatis, quæ in visione beatifica consistit. Dices, Deus non dicitur Pater alicuius creaturæ, nisi per adoptionem: Dicitur autem Pater alicuius creaturæ irrationalis, nempe pluuiæ, iuxta illud Iob. 38. 28. *Qui est pluuiæ Pater?* &c. Ergo est Pater illius per adoptionem: Ergo creatura irrationalis potest adoptari. Resp. Deus dicitur Pater creaturæ irrationalis, non per adoptionem, sed per creationem, vt patet ex loco citato, vbi additur: *Quis est pluuiæ Pater? vel quis genuit stillas roris?* Quo sensu, etiam peccatores possunt vocari filij Dei, vt notat Irenæus l. 4. contra hæres. cap. 79. Et patet ex illo Deut. 32. 6. *Hæccine reddis Domino populo stulte & insipiens? nunquid non ipse est Pater tuus, qui creauit te?* Vide D. Thom. art. 3. ad 1.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Omnis creatura rationalis ex se capax est Diuinæ adoptionis, tametsi non omnis actu eam habeat. Ita D. Th. ibid. Ratio est, quia omnis creatura rationalis ex se capax est gratiæ iustificantis, ad quam nullum ius habet ex vi suæ originis. Hinc sequitur 1. Angelos sanctos esse filios Dei adoptiuos. 2. Adamum in statu innocentiæ fuisse filium Dei adoptiuum, quia habuit gratiam iustificantem, & consequenter habuit ius ad æternam hęreditatem, licet per peccatum postea illud amiserit. 3. Omnes iustos Veteris Testamenti fuisse filios Dei adoptiuos, quia tales facti sunt per iustificationem.

3. DICES, Adoptio filiorum non est concessa hominibus, nisi post aduentum Christi: Ergo in Veteri Testamento nulli fuerunt filij adoptiui. Antecedens patet ex illo Ioan. 1. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et Galat. 4. 4. *Misit Deus filium suum, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Respondet Cyrill. l. 1. in Ioan. c. 15. & Chrys. hom. 13. in Ioannem, Adoptionem antiquorum Patrum solum fuisse figuram & typum veræ adoptionis nobis conferendæ per Christum.

4. Sed contra, quia in illis Patribus fuit vera gratia & iustitia, eiusdem rationis ac speciei cum nostra. Ergo etiam in illis fuit vera adoptio. Respondeo. 1. Antiqui Patres vi Legis Mosaicæ non habebant veram iustitiam & adoptionem internam, qualem nos habemus vi legis Euangelicæ: sed solum habebant iustitiam & adoptionẽ legalẽ, quæ erat figura veræ iustitiæ & adoptionis per Christum dandæ. Sic intelligendi sunt Cyrill. & Chrys. Resp. 2. Prętер illam legalem iustitiam & adoptionem, quam habebant

vi legis Mosaicæ, habebant etiam veram iustitiam & adoptionem vi legis Euangelicæ, quatenus scilicet viua fide credebant in Christum venturum. Et sic magis ad legem nouam, quam ad veterem pertinebant, vt sæpe docet Augustinus.

5. Addo, Tametsi illi Patres haberent veram iustitiam & adoptionem, per fidem in Christum, sicut nos habemus, multum tamen differebant à nobis. Primo, quia non habebant statum filiorum, sed seruorum: Erant enim sub lege, & spiritu timoris ducebantur. Vnde Apostolus comparat eos paruulo, qui quanquam hæres sit, *tamen quamdiu sub actoribus & tutoribus est, nihil differt à seruo.* (Galat. 4. 1. Secundo, quia licet essent filij adoptiui, non tamen poterant adire hæreditatem, donec Christus veniret. Hinc patet, quo sensu dicatur Christus venisse, vt adoptionem filiorum reciperemus. Hoc enim duplici sensu verum est. 1. vt liberati à iugo & seruitute legis Mosaicæ, transferremur in statum filiorum Dei. 2. vt possimus actu hæreditatem adire.

6. QVÆRES, An omnes prædestinati, & nulli reprobi, sint filij Dei adoptiui? Resp. hîc duæ regulæ generales seruandæ sunt. Prior est, nullos peccatores esse filios adoptiuos pro eo tempore, quo peccatores sunt, etiamsi alias sint prædestinati. Posterior, omnes iustos esse filios adoptiuos pro eo tempore, quo iusti sunt, etiamsi alioqui sint reprobi. Ratio est, quia adoptio consistit in iustificatione: Ergo quicunque est iustificatus, est etiam filius adoptiuus. Hinc patet errasse Gabrielem in 3. dist. 10. vbi negat præscitos esse filios adoptiuos, quia non sunt per voluntarem Dei ad hæreditatem prærordinati. Quamuis enim non sint prærordinati ad

gloriam per voluntatem Dei efficacem & absolutam, sunt tamen præordinati per voluntatem antecedentem & conditionatam. Vnde si tales decederent in statu gratię, reuera assequerentur gloriam. Quod autem amittant gratiam, hoc fit illorum culpa, non Dei prædestinatione. Quo spectat illud Apoc. 3. 11. *Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Et 2. Tim. 2. 21. *Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem.*

QVÆSTIO IV.

An Christus secundum humanitatem sit filius Dei adoptiuus?

1. TRIPLEX opinio est. Prima, Christum vt hominem, esse filium Dei adoptiuum. Ita Durand. in 3. dist. 4. q. 1. & Bassolis ibidem articul. 2. Probatur 1. quia gratia Christi est eiusdem rationis cum nostra: sed non sumus filij adoptiui, ratione huius gratiæ: Ergo & Christus. Cõfirmatur, quia formalis effectus gratiæ habitualis est, adoptare creaturam rationalem ad beatitudinem. Nam gratia, quæ infunditur in iustificatione, in aliis hominibus habet hunc effectum per solam informationem & causalitatem formalem: sed in Christo, quatenus est homo, est talis gratia: Ergo facit illum filium adoptiuum. 2. Probatur, quia Christus, vt homo, est filius Dei: At non est filius naturalis per æternam generationem: Ergo est adoptiuus per gratuitam acceptationem. 3. Si secundum humanitatem potest esse seruus, vt multi putant, multo magis filius Dei adoptiuus.

2. Altera est. tametsi Christus secundum humanitatem non sit filius Dei adoptiuus, tamen ipsam Christi humanitatem denominari posse filiam adoptiuam, vt insinuat Scotus in 3. dist. 10. Ratio est, quia relatio seu denominatio filij non est propria suppositi, sed potest etiam naturæ conuenire. Humanitas autem Christi est extranea respectu Verbi, & ex sola Dei liberalitate ordinata est ad vnionem hypostaticam: Ergo potest dici filia per adoptionē.

3. Tertia est, Humanitatem Christi non quidem dici posse filiam adoptiuam, eoquod relatio & nomen filij conueniat soli supposito, & non naturæ: Posse tamen dici adoptatam, quia gratuito assumpta est ad participationem æternæ hæreditatis. Ita Gabriel in 3. dist. 10. Almainus & Maior ibid. Fauet Hilar. l 2. de Trinitate, post medium, vbi ait: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* Hæ tres opiniones refellendę sunt.

9. Prima Conclvsio. Christus inquantum homo, non est filius Dei adoptiuus. Ita D. Thom. q. 23. ar. 4. Magister in 3. dist. 4. Albertus, Bonauent. Paludan. Capreolus ibid. Et patet ex Conc. Francfurdensi, & ex Epist. Adriani Papæ. Ratio sumitur ex definitione adoptionis. Nam adoptio est gratuita assumptio seu acceptatio personę extraneæ ad hæreditatem. At Christus, vt homo, non est persona extranea, respectu Dei, cum sit ipsa persona filij Dei naturalis. Nec gratuito acceptatur ad æternam hæreditatem, sed iure vnionis hypostaticæ.

5. Secvnda Conclvsio. Humanitas Christi non potest dici filia adoptiua. Ita D. Thom. art. 4. ad 1. Ratio est, quia filiatio proprie conuenit hypostasi seu personæ, non a. naturę: Ergo natura hu-

mana non potest dici filia adoptiua. Et confirmatur ex dictis, quia adoptio est assumptio personæ, non naturæ, ad hæreditatem. Hinc D. Thomas art. 4. ad 3. ponit differentiam inter seruitutem & filiationẽ, quod filiatio respiciat personam tantum: seruitus etiam naturam.

6. TERTIA CONCLVSIO. Humanitas Christi non potest dici vere adoptata. Ita D. Thom. ibid. Ratio est, quia si non est filia adoptiua: Ergo nec adoptata. Hæc n. pro eodem sumuntur. Confirmatur, quia nec est adoptata ad gratiam habitualẽ, nec ad gratiam vnionis, nec ad gloriam. Non 1. Quia adoptio est assumptio ad hæreditatem: At gratia habitualis non est hæreditas: Ergo ad gratiam habitualem nemo dicitur adoptari, sed potius per gratiam ad gloriam. Nec 2. propter similem rationem. Nec 3. quia si humanitas Christi esset adoptata ad gloriam, vel esset ad illam adoptata per gratiam vnionis, vel per gratiam habitualem. Nõ prius, quia vnĩo nõ potest esse adoptio: tum quia per adoptionem non communicatur filiatio naturalis, quæ tamen communicatur Christo per vnionem: tũ etiam, quia Deus per adoptionem non communicat nobis suum proprium esse naturale: At per vnionem communicat suum proprium esse personale. Nec posterius, quia adoptio debet esse gratuita: At gratia habitualis non est Christo data gratuito, sed ex debito, ratione vnionis: Ergo adoptio non est facta per gratiam habitualem.

7. Ad argumenta primæ opinionis sic Respond. Ad 1. Quamuis gratia Christi sit eiusdem rationis cum nostra, in eo tamen differt, quod illi data sit ex debito, nobis autem ex liberalitate. Vnde nos pos-

sumus adoptari per gratiam, quia respectu illius sumus personę extraneæ: At Christus non potuit per illam adoptari, quia non erat persona extranea. Nam ratione vnionis debebatur illi gratia.

8. Ad confirmationem. Effectus formalis gratiæ habitualis non est, facere hominem adoptiuū, sed facere sanctum, iustum, & Deo gratum. Nam gratia habitualis est forma quędam absoluta: Ergo debet habere effectum formalem absolutum. Esse autem filium adoptiuum, non est quid absolutum: sed relatiuum, quod resultat ex formali effectu gratiæ habitualis in subiecto capaci. Christus autem nō est capax illius filiationis adoptiuæ, cum non sit persona extranea. Vnde licet Christus & alij homines in eo conueniant, quod per gratiam habitualem constituantur formaliter sancti, iusti, & Deo grati: in eo tamen differunt: quod in Christo non resultet relatio filij adoptiui, eo quod nō sit persona extranea, in aliis autem resultet, quia sunt personæ extraneæ.

9. Ad 2. Christus, vt homo, est filius naturalis, vt dicam sequenti quæstione. Ad 3. Christus secūdum humanitatem, nec est seruus, nec filius adoptiuus, ex nostra sententia. Esto tamen, humanitas Christi sit serua, vt multi volunt: non sequitur esse filiam adoptiuam. Nam seruitus potest conuenire naturæ, filiatio soli personæ, vt supra dictum est ex D. Thoma art. 4. ad 3.

10. Ad Argumentum 2. & 3. opinionis patet solutio ex dictis. Ad testimonium Hilarij respondeo cū D. Thoma art. 4. ad 1. quod improprie locutus sit.

QVÆSTIO V.

An Christus secundum humanitatem sit filius Dei naturalis?

1. RAtio dubitandi est duplex: Vna, quia Christus, vt est homo, non est DEVS: Ergo nec est filius DEI naturalis. Nam filius DEI naturalis est DEVS. Altera, quia filius DEI naturalis procedit à Patre per ęternam generationem: sed Christus secundum humanitatem non procedit à Patre per æternam generationem: Ergo nō est filius DEI naturalis.

2. Nota. Tribus modis possumus loqui de Christo. 1. de Christo, quatenus est Verbū. 2. de Christo homine. 3. de Christo, quatenus est homo. Igitur hæc tria probanda sunt. 1. Christum, quatenus est Verbum, esse Filium Dei naturalem, per æternam generationem. 2. Christum hominem, esse Filium Dei naturalem, per communicationem idiomatum. 3. Christum, quatenus est homo, esse filium Dei naturalem, per gratiam vnionis hypostaticæ.

3. PRIMA CONCLVSIO. Christus, quatenus est Verbum, seu secunda persona in Deitate, est filius Dei naturalis, per æternam generationem. Hoc probatum est in Tractatu de Trinitate contra Arianos.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Christus homo, seu hic homo Christus, est filius Dei naturalis, per communicationem idiomatum. Hoc patet ex c. 7. Nam sicut attributa essentialia Verbi, sic etiam

personalia possunt in concreto prædicari de hoc homine Christo, propter identitatem personæ. Vnde sicut recte dicimus, Hic homo est Deus, omnipotens, immortalis, immensus; sic etiam, Hic homo est filius Dei naturalis, Hic homo est Verbum, Hic homo est secunda persona Deitatis.

5. TERTIA CONCLVSIO. Christus, in quantum homo, est filius Dei naturalis. Ita D. Thom. q. 23. art. 4. Probatur ex Scriptura. Lucæ 1. 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Et Ro. 8. 32. *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Hæc testimonia intelliguntur de Christo, quatenus est homo, quia quatenus homo, natus est ex Maria Virgine, & pro nobis traditus: Ergo quatenus homo, est filius Dei naturalis. Non enim potest dici adoptivus, vt supra probatum est.

6. QVARTA CONCLVSIO. Quod Christus, inquantum est homo, sit filius Dei naturalis, potest duobus modis intelligi. 1. vt illa particula, *inquantum homo*, sumatur ratione personæ seu suppositi, vt sensus sit: Christus, quatenus est suppositum humanæ naturæ, est filius Dei naturalis. 2. vt eadem particula sumatur ratione naturæ, vt sensus sit: Christus secundum humanitatem est filius Dei naturalis. Vide D. Thomam, quæst. 16. art. 11. Si intelligatur priori modo, certum est Christum, quatenus est suppositum naturæ humanæ, esse filium Dei naturalem, & quidem per æternam generationem. Nam neque natura humana habet aliud suppositum, præter filium Dei naturalem: neque illud suppositum ex eo, quod subsistat in natura humana, desini esse filius Dei naturalis. Si autem suma-

tur posteriori modo, probabile est, Christum secundum humanitatem dici posse aliquo modo filium Dei naturalem: non quidem per æternam generationem, neque per communicationem idiomatum, sed per gratiam vnionis hypostaticæ. Nam Christus secundum humanitatem, ratione vnionis hypostaticæ, habet ius ad æternam hæreditatem, in quo iure fundatur hæc filiatio. Hoc autem ius non est adoptionis, quia non est datum personæ extraneæ: nec est ius per æternam & naturalem generationem, quia Christus secundum humanitatem non est ab æterno per naturalem generationē productus: sed est ius fundatum in vnione hypostatica, quod aliquo modo dici potest connaturale Christo, quia non est datum personæ extraneæ, licet datum sit naturæ extraneæ.

7. Hinc facile soluuntur rationes dubitandi, quas initio posui. Nam hæc propositio: Christus quatenus est homo, non est Deus, debet distingui. Vera est, si particula illa, *quatenus homo*, designet naturam. Christus enim secundum humanitatem non est Deus. Falsa est, si eadem particula designet suppositum. Nam Christus, quatenus est suppositum naturæ humanæ, est reuera Deus. Similiter, duobus modis dici potest Filius naturalis. 1. qui est Filius per naturam, vel per naturalem generationem à patre. 2. qui est filius per ius aliquo modo naturale, hoc est, per ius, quod non datur personæ extraneæ. Hoc sensu Christus secundum humanitatem est filius Dei naturalis, non priori.

8. Ex dictis constat, duplicem esse filiationem in Christo, respectu Dei: Alteram increatam, æternā, & om-

& omnino naturalem, quæ conuenit Christo Verbo per æternam generationem: & Christo homini per communicationem idiomatum. Alteram creatam, temporalem, & aliquo modo naturalem, quæ conuenit Christo secundum humanitatem per gratiam vnionis hypostaticæ. Prior est realis, posterior rationis. Prior fundatur in generatione æterna: posterior in gratia vnionis. Prior intrinsece constituit personam Verbi: posterior accidentaliter illi aduenit. Prior est per se subsistens: posterior non item. Per priorem Christus est Filius totius Patris; per posteriorem, totius Trinitatis.

9. DICES 1. Theologi non agnoscunt nisi duas filiationes naturales in Christo: alteram respectu patris: alteram respectu matris. Nos autem addimus tertiam, respectu Trinitatis: Ergo. Respond. Theologi agnoscunt tantum duas filiationes naturales, fundatas in generatione naturali. Nostra tertia non fundatur in generatione naturali, sed in gratia vnionis.

10. DICES 2. Si Christus secundum humanitatem est Filius totius Trinitatis. Ergo est Filius suiipsius. Ergo eadem persona est Filius & Patet, quod est absurdum. Resp. Quod ad rem attinet, concedi potest, eandem personam, ratione diuersarum naturarum, habere paternitatem & filiationem. Modus tamen loquendi est cauendus, ne videamur duas personas in Christo admittere. Nam qui diceret, Christum esse filium Christi, significaret duas esse personas Christi, alteram Patris, alteram Filij.

11. DICES, 3. Christus secundum humanitatem non est Filius Spiritus Sancti: Ergo non est Filius totius Trinitatis. Antecedens patet ex Concilio To-

letano 11. in Confeſſ. fidei, vbi expreſſe definit, Spiritum S. non eſſe Patrem Chriſti. Idem docet Auguſt. in Enchirid. c. 38. & 39. Et confirmatur ex illo Matth. 3. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Nam illa verba ſunt ſolius Patris, non Spiritus Sancti, vt interpretantur Patres. Ergo ſolus Pater in diuinis poteſt dici Pater Chriſti. Vnde Aug. l. 2. de Trinit. c. 10. explicans illa verba, dicit: non niſi de Patre accipi poſſe, quia *Chriſtus Spiritus S. filius, aut etiam ſuus filius credi non poteſt.* Reſpond. Chriſtus ſecundum humanam generationem eſt Filius Mariæ Virginis, ex cuius vtero natus eſt: non tamen Filius Spiritus Sancti, cuius virtute conceptus eſt. Et hoc ſenſu intelligendi ſunt authores citati.

CAPVT XIX.

De prædeſtinatione Chriſti.

DRÆTEREA, quæ generatim diſputari ſolent de Prædeſtinatione in 1. parte, ſuperſunt pauca de Prædeſtinatione Chriſti in particulari. 1. An Chriſtus ſecundum Diuinitatem poſſit dici prædeſtinatus? 2. An ſecundum humanitatem? 3. An ipſa humanitas ſit prædeſtinata? 4. An prædeſtinatio Chriſti ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis?

QVÆSTIO I.

An Christus secundum diuinitatem possit dici prædestinatus?

1. IN prædestinatione possunt hæc tria spectari. 1. Actus Dei prædestinantis. 2. obiectum prædestinationis, id est, res quæ prædestinatur. 3. terminus prędestinationis, ad quem scilicet fit prædestinatio: vt cum dico, Petrus prædestinatur ad gloriam. Est ergo quęstio, An Christus secũdum diuinitatem, vel an Verbum, seu filius Dei naturalis, possit dici prædestinatus ad aliquem terminum? Potest autem fingi triplex terminus in hoc casu. 1. filiatio Dei naturalis, quæ est Verbo seu filio Dei intrinseca. 2. Beatitudo filij Dei increata. 3. Assumptio humanitatis, seu, Esse hominis.

2. PRIMA CONCLVSIO. Non potest dici, Christum secundum Diuinitatem, seu personam Verbi prædestinatam à Deo, vt sit Filius Dei naturalis, seu, ad Esse filij naturalis. Ita Scholastici in 3. dist. 7. Et probatur 1. quia actus Dei prædestinantis est communis toti Trinitati: Ergo omnes personæ prædestinant: Ergo si Pater prædestinaret Filium ad Esse Filij, etiam Filius prædestinaret seipsum ad Esse filij, quod est falsum. Dices, Pater Filio dat esse Filij, per æternam generationẽ: Ergo prædestinat filium ad Esse filij, per æternam præfinitionem. Resp. Non sequitur, quia generare conuenit soli Patri: prędestinare toti Trinitati.

3. Probatur 2. Quia terminus prędestinationis debet esse extrinsecus illi, qui prædestinatur ad ter-

minũ. Nemo enim dicitur prædestinari ad id, quod est illi essentiale & intrinsecum, vt Homo non dicitur prædestinari ad Esse hominis. At personæ Verbi intrinsecum est esse Filium Dei naturalem: Ergo ad hoc non potest prædestinari.

4. Tertiò, Quia illi tantum dicuntur prædestinari, qui subiiciuntur gubernationi diuinæ prouidentiæ, cum prædestinatio sit pars quædam prouidẽtiæ, vt docet D. Thom. in 1. p. q. 23. ar. 1. Filius autem Dei non subiicitur tali gubernationi, sed potius est auctor illius gubernationis, sicut Pater, & Spiritus Sanctus: Ergo, &c.

5. SECVNDA CONCLVSIO. Nec dici potest, personam Verbi prædestinatam esse ad beatitudinẽ increatam. Probatur iisdem fere argumentis. Nam neque persona Verbi potest seipsam prædestinare: neque subiecta est gubernationi & prouidentiæ Diuinæ: neque potest ordinari ad id, quod illi intrinsecum & essentiale est, cuiusmodi est beatitudo increata, quæ consistit in cognitione increata, qua Deus seipsum cognoscit, vt docet D. Thomas in 1. parte, quæst. 26. art. 2.

6. TERTIA CONCLVSIO. Quamuis probabile sit, dici posse filium Dei prædestinatum esse ab æterno, vt fiat homo, seu ad esse hominis: probabilius tamen est oppositum. Priorem partem tenet Suarez dis. 50. sect 1. & citat pro se D. Thomam, & quosdam alios. Ratio eius est, quia proprie dicimus, Verbum factum est homo, Ergo etiam, Verbum prædestinatum est, vt fieret homo, Posterior pars probatur 1. ex dictis, quia filius Dei non est subiectus gubernationi Diuinæ prouidẽtiæ. 2. quia

aliàs prædestinasset seipsum, vt fieret homo. 3. quia nomen prædestinationis significat, prædestinatum ordinari ad aliquod beneficium, vel gratiam suscipiendam: At respectu filij Dei, non est beneficium aut gratia, quod fiat homo. Vide D. Thomã q. 24. ar. 2. ad 3. & Durandum in 3. dist. 7.

7. Dices. 1. Pater dicitur misisse filium in hunc mundum, vt fieret homo. 2. Ab æterno decretum est, vt fieret homo. 3. in tempore factus est homo. Cur ergo dici non potest, prædestinatum esse, vt fieret homo? Respondeo 1. Pater non misit filium per Imperium aut Concilium, sed per originem seu generationem: sicut etiam Pater & Filius mittunt Spiritum Sanctum, per originem seu spirationem, hæc autem missio est æterna. Præter hanc, est alia, quę fit in tempore, qua Pater mittit filium in hunc mundum, vt fiat homo. Item Pater, & Filius mittunt Spiritum Sanctum, vt distribuat dona gratiæ in Apostolis & aliis hominibus. Hæc missio fit etiam per originem. Nam hoc ipso, quod vna persona habet ab alia essentiam Diuinam sibi communicatam cum omnibus attributis, censetur etiam habere, vt efficiat in creatura, quicquid efficit. v. g. Spiritus Sanctus habet essentiam & potentiam suam à Patre & Filio per æternam processionem: Ergo quando Spiritus Sanctus in hoc aut illo homine incipit operari dona gratię, dicitur hoc facere vi suæ processionis à Patre & Filio, quia scilicet à Patre & Filio habet vt hoc faciat. Idem est de Filio respectu Patris. Hinc patet, missionem Filij per originem, non per imperium aut subiectionem esse factam. At prædestinatio requirit subiectionem in prędestinato.

8. Respondeo 2. Tametsi ab æterno decretum & ordinatum sit, vt Filius Dei assumeret humanitatem, tamen illud decretum non habet rationem prædestinationis, respectu Filij. 1. Quia non refertur ad Filium, tanquam ad rem subiectam gubernationi Diuinæ. 2. quia factum est à tota Trinitate. Tota enim Trinitas decreuit, vt secunda persona assumeret humanitatem.

9. Respondeo 3. Filius in tempore factus est homo, non ex vi prædestinationis æternæ, sed vi illius Decreti, de quo dictum est. Vnde quamuis verum sit, ab æterno decretum & ordinatum esse à Deo, vt Filius fieret homo: non tamen dici potest, Filium Dei prædestinatum esse ad humanitatem, seu vt fieret homo. Quod etiam fatetur Diuus Thomas quæstione vigesima quarta, artic. secundo ad tert. in fine. Et definitum est in Concilio Toletano 11. in Confess. Fdei, his verbis: *Filius Dei per hoc* (id est, secundum hoc) *quod de Patre sine initio procedit, neque factus, neque prædestinatus dici potest. Per hoc tamen, quod de Maria Virgine natus est, factus, & prædestinatus esse credendus est.*

QVÆSTIO II.

An Christus secundum humanitatem possit dici prædestinatus?

1. DVO sunt controuersa. 1. An Christus secũdum humanitatem dici possit prædestinatus ad esse Filij Dei naturalis? 2. An ad gratiam & gloriam?

PRIMA CONCLVSIO. Quamuis probabile sit, proprie dici posse, Christum quatenus est homo, prædestinatum esse ab æterno, vt in tempore sit Filius Dei naturalis: tamen probabilius est contrarium. Priorem partem tenet Suarez disp. 50. & sect. 2 & citat D. Thomam, & quosdam alios. Fundamentum sumitur ex illo Rom. 1. 3. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum.*

2. Posteriorem tenet Durandus in 3. dist. 7. quæst. 3. Paludanus ibidem, Toletus in ca. 1. ad Romanos, Vasquez in 1. p. disp. 18. n. 6. & multi alij. Ratio est, quia obiectum prædestinationis non debet includere terminum eiusdem prędestinationis. At Christus, quatenus est hic homo, in suo conceptu includit suppositum Filij Dei: Ergo nullo modo potest dici prædestinatus ad hoc, vt sit Filius Dei. Confirmatur 1. Quia homo non dicitur prædestinari ad animam rationalem, cum hic terminus includatur in ipso homine: Ergo nec Christus ad Esse Filij naturalis, cum hoc Esse includatur in Christo. 2. Quia

non proprie dicimus, Christus in quantum homo, factus est Deus, eo quod Christus includat suppositum diuinum: Ergo etiam nõ recte dicimus, Christus inquantum homo, prædestinatus est, vt sit Filius Dei, propter eandem rationem.

3. Respondet Suarez, Christum vt est hic homo, non includere suppositum Filij Dei, sed solum id, quod subsistit in hac humanitate. Sed contra, quia illud subsistens in humanitate, vel est suppositum diuinum, vel humanum. Non humanum, vt omnes Catholici fatentur: Ergo Diuinum. At non est suppositum Patris, aut Spiritus Sancti: Ergo est suppositum Filij: Ergo suppositum Filij includitur in obiecto prædestinationis: Ergo non potest esse terminus.

4. Locus Apostoli, qui obiicitur, potest dupliciter explicari. Primo, vt intelligatur, non de prędestinatione Christi, sed de eius manifestatione, hoc sensu: licet Christus factus sit secundum carnem, tamen declaratus & manifestatus est Filius Dei. 1. in virtute miraculorum. 2. in sanctificatione Apostolorum per missionem Spiritus Sancti. 3. in resurrectione ex mortuis. Ita Chrysost. Theophylact. & alij Græci expositores, quibus fauet Græcus textus. Nam in Græcis exemplaribus non habetur verbum, προορίζω, quod significat prædestino, sed ὁρίζω quod sæpe sumitur pro declaro.

5. Altera expositio est, vt Christus dicatur prædestinatus, non quidem absolute & simpliciter, vt sit Filius Dei, sed vt sit Filius Dei in virtute, id est, vt nos redimat, sanctificet, & resuscitet. Est ergo hic sensus, Christum esse prædestinatum ad officiũ redimẽdi, sanctificandi, & resuscitandi homines. Ita

Augustinus in Expositione inchoatę Epistolę ad Romanos, quam sequitur Titelmanus, & Caietanus ibidem.

6. Secvnda conclvsio. Christus secundum humanitatem potest dici prædestinatus ad gratiam & gloriam. Est contra quosdam Thomistas qui putant id vere ac proprie dici non posse. Ratio illorum est, quia prædestinatio dicitur esse ad id, quod est supremum & præcipuum in prædestinato: At in Christo suprema eius dignitas non est beatitudo, sed vnio hypostatica, & naturalis filiatio Dei: Ergo non proprie dicitur prædestinatus ad beatitudinem, sed solum ad Esse Filij Deo naturalis. Sed probatur Conclusio, quia ab æterno Deus præparauit Christo gratiam, & gloriam: Ergo ab æterno fuit prædestinatus ad gratiam & gloriam. Nam teste Augustino, Prædestinatio nihil aliud est, quam præparatio gratiæ & gloriæ. Nec obstat ratio cõtraria, quia prędestinatio non solum est ad supremam hominis dignitatem, sed etiam ad inferiorem. Nam homines non tantum dicuntur prædestinari ad gloriam animę, sed etiam ad gloriam corporis, & ad dona gratiæ. Et August. in libro de prædestinatione Sanctorum cap. 15. dicit, Christum fuisse prædestinatum, vt sit caput nostrum. Deinde, falsum est, quod Christus sit prædestinatus ad naturalem filiationem, aut ad vnionem hypostaticam. Nam naturalis filiatio, & vnio hypostatica includuntur in Christo, vt ex dictis patet.

QVÆSTIO III.

An humanitas Christi possit dici prædestinata?

1. DVPLEX quæstio est. Vna, An humanitas Christi sit prædestinata ad vnionem hypostaticam? Altera, an sit prædestinata ad beatitudinem? Vtrumque videtur negare Diuus Thomas, quæstione 24. articul. 1. ad 2. vbi asserit suppositum prædestinari, non autem naturam. Et ratio est, quia prædestinari nihil est aliud, quam dirigi in salutem: nemo autem dirigitur in salutem, nisi qui per certa media consequitur finem: At consequi finem est suppositi, non naturæ. Nam actiones sunt suppositorum.

2. CONCLVSIO. Humanitas Christi proprie non potest dici prædestinata ad beatitudinem, vt bene notat D. Thom. loco citato. Nam beatitudo consistit in operatione: At operari non est naturæ, sed suppositi. Potest tamen dici prædestinata ad vnionem hypostaticam, vt docet Augustin. in libro de Prædestinatione Sanctorum capite 15. Ratio est, quia vnio non est operatio, sed coniunctio naturæ humanæ cum diuino supposito; Ergo proprie conuenit naturæ: Ergo potest natura ad illam prædestinari. Vide Suarez disputatione 50. sect. 4.

Quæstio IV.

An prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis?

1. Respondeo cum distinctione. Si prædestinatio spectetur quoad actum prædestinátis, prædestinatio Christi non potest dici causa nostræ prædestinationis. Ita Diuus Thomas articulo tertio & quarto. Ratio est, quia Deus vno & eodem actu prędestinauit nos & Christum. Si autem prędestinatio spectetur quoad terminum, sic prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis. Ita D. Thomas ibidem. Ratio est, quia gratia ad quam Christus fuit prædestinatus, est causa illius gratiæ, ad quam nos prædestinamur.

2. Quæres. In quo genere causæ id verum sit? Diuus Thomas videtur loqui de triplici genere causæ. 1. de exemplari. 2. de meritoria. 3. de finali. Hæc omnia pendent ex iis quæ dicta sunt partim in prima parte de prædestinatione, partim in hac tertia parte, capite primo de fine Incarnationis, & capite 14. de merito Christi.

CAPVT XX.

De Christo Capite Ecclesiæ.

HActenus fere actum est de Christo, quatenus est singularis persona. Nunc de publicis ipsius officiis agendum est, cuiusmodi sunt hęc: Esse caput seu monarcham Ecclesiæ, esse mediatorem: esse Sacerdotem, Prophetam, Regem, Legislatorem, Iudicem. Igitur hoc loco quæritur 1. An Christus sit Caput Ecclesiæ? 2. An sit Caput omnium hominum? 3. An etiam Angelorum? 4. Quæ sit gratia Capitis in Christo?

2. PRIMA CONCLVSIO. Christus est caput totius Ecclesiæ, tam militantis in terra, quam triumphantis in cœlo: est consequenter, Ecclesia esse corpus Christi. Hoc diserte docet Apostolus Ephes. 1. 22. *Omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et capite 4. 15. *Crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus.* Et capite 5. 37. *Vir caput est mulieris, sicut Christus Caput est Ecclesiæ.* Et Coloss. 1. 18. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ*

3. Nota. Nomen capitis sumitur dupliciter. 1. Proprie pro naturali capite humani corporis, cuius officium est gubernare membra corporis. 2. Metaphorice, pro morali capite, seu principe Reipublicę, cuius officium est gubernare membra Reipublicę seu communitatis. Et hoc sensu Christus

dicitur Caput seu Princeps Ecclesiæ, quia gubernat Ecclesiam.

4. Hanc metaphoram sic explico. Caput naturale duob. modis gubernat corpus humanum. 1. per internum influxum: qui in eo consistit, quod ex capite, tanquam ex fonte seu principio deriuantur spiritus sensitiui in reliqua membra. Vnde fit, vt reliqua membra possint vitam conseruare, & suas functiones exercere. 2. per externam directionem, quæ in eo consistit, quod caput per intellectum, voluntatem, visum, auditum, & alios sensus, qui in eo vigent, dirigat reliqua membra in externis actionibus, ne aberrent: quo pacto per intellectum & voluntatem dirigit manus, ne quid illicitum committant: Et per visum dirigit pedes, ne in foueam incidant: & sic deinceps.

5. Sic etiam Christus duobus modis gubernat Ecclesiam. 1. per internum influxum donorũ gratię. Ioann. 1. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Et Eph. 4. 7. *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* 2. per externam gubernationem Eph. 5. 22. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Vbi Christus eo sensu dicitur esse caput Ecclesię, quo vir est caput mulieris, nempe per externam gubernationem. Sicut enim mulier in externis suis actionibus tenetur se dirigere iuxta imperium sui viri: ita Ecclesia iuxta legem & mandatum Christi.

6. Duo tamen addenda sunt. 1. Christum, cum adhuc in terris esset, per se exercuisse vtrumque officium capitis in Ecclesia. Nam & per se donabat fidelibus internam gratiam: & similiter per se dirige-

bat & gubernabat illos in externis actionibus, quæ ad Ecclesiæ statum pertinebant. At nunc, cum in cœlis est, per se quidem præstat prius officium: posterius vero per Vicarium. 2. Christum dupliciter considerari posse. 1. Quatenus est Deus. 2. quatenus est homo. Vtroque modo per se præstat prius officium: sed diuersa ratione. Nam quatenus est Deus, per se physice & effectiue producit gratiam: quatenus homo, per se moraliter & meritorie illã confert. Prior modus conferendi est illi communis cum Patre, & Spiritu Sancto: posterior est illi proprius.

7. SECVNDA CONCLVSIO. Christus est caput omnium hominum, qui sunt in Ecclesia militante, & triumphante. Sequitur ex dictis, quia si est Caput totius Ecclesiæ, est etiam caput omnium membrorum Ecclesiæ. Et quidem duplici titulo, vt explicatum est. 1. quia per externam directionem gubernat omnes, qui sunt in Ecclesia. 2. quia omnes ab eo accipiunt influxum donorum gratiæ; non tamen æqualiter. Nam aliqui accipiunt influxum fidei & spei: alij etiam charitatis & gratiæ iustificantis: alij denique perseuerantiæ & æternę gloriæ. Hinc sequitur 1. non esse Caput damnatorum, qui sunt in inferno, quia nec gubernantur ab illo per externam directionem, nec accipiunt influxũ gratiæ. 2. ob eandem causam, non esse caput infantiũ, qui sine baptismo moriuntur. 3. esse tamen aliquo modo caput eorum infantium, qui quidem baptizati non sunt, sed tamen baptizandi: quia, tametsi non accipiant ab illo influxum gratiæ ante Baptismum: gubernantur tamen ab illo per externam directionem, mediante ministerio Angelorum, parẽ-

tum, vel aliorum hominum, vt possint baptizari. 4. esse etiam aliquo modo caput adultorum infidelium, vt Gentilium, Iudæorum, Turcarum, quia tametsi non sint in Ecclesia, propter defectum fidei, & baptismi: accipiunt tamen influxum gratiæ actualis, qua excitantur ad fidem & baptismum, si non proxime & immediate, saltem remote & mediate.

8. TERTIA CONCLVSIO. Christus est caput omnium Angelorum in cœlis: vt patet ex illo Ephes. 1. 20. *Suscitans illum* (id est, Christum) *à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus: supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, dominationem, & omne nomen.* Et Coloss. 2. 10. *Qui est caput omnis principatus, & potestatis.* Ratio est, tum quia Christus gubernat omnes Angelos beatos, & vtitur illorum ministerio circa salutem hominum: tum etiam, quia omnes accipiunt ab illo dona gratiæ: non quidem gratiæ iustificantis, aut gloriæ, sed tamen illuminationis & illustrationis, vt capite 14. quæst. 9. ostensum est.

9. QVARTA CONCLVSIO. Cum duplex sit gratia in Christo, altera vnionis hypostaticæ, altera habitualis: Christus est Caput Ecclesiæ per vtramque gratiam. Ratio est, quia per vtramque influit dona gratiæ in membra Ecclesiæ. Nota. Christus quatenus homo, influit dona gratiæ meritoriæ, nō physice. Igitur per opera meritoria influit gratiam. Duo autem spectari possunt in operibus Christi meritoriis. 1. Quod in entitate sua sint supernaturalia: Et hoc habent à gratia habituali. 2. Quod sint infiniti valoris in merendo: Et hoc habent à gratia vnionis.

CAPVT XXI.

De Christo mediatore.

VO explicanda sunt. 1. An solus Christus sit mediator inter Deum & homines. 2. secundum quam naturam sit mediator. Nota. Is propriè dicitur mediator, qui inter personas dissidentes intercedit, vt eas inter se conciliet. Hoc potest fieri quatuor modis. 1. Discernendo & iudicando causam vtriusque partis: quo pacto arbitri possunt dici mediatores. 2. Referendo hinc inde pacta, & conditiones vtriusque partis: quo pacto omnes internuncij possunt dici mediatores. 3. orando & supplicando vni parti pro altera. 4. soluendo & satisfaciendo vni parti pro altera.

2. PRIMA CONCLVSIO. Solus Christus dicitur mediator Dei & hominum, hoc vltimo modo, quia scilicet solus ipse satisfecit Deo pro nobis, & suo sanguine nos illi reconciliauit, iuxta illud 1. Timoth. 2. 5. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Nihilominus præter Christū, possunt esse alij mediatores, alio sensu. Quo pacto Moyses fuit mediator, referendo pacta & conditiones vtriusque partis, vt patet ex illo Deuteron. 5. 5. *Ego sequester & medius fui inter dominum, & vos, in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius.* Item Sancti in cœlo possunt esse mediatores, orando, & supplican-

plicando pro nobis. Idem dici potest de hominibus in terra existentibus.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Christus secundū humanitatem est Mediator, non secundum diuinitatem. Est contra Lutheranos & Caluinistas, qui docent Mediatorem esse secundum vtramque naturam. Sed facile refelluntur. Primo, ex verbis Apostoli citatis, *vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Vbi particula, *Homo*, addita est, vt cōstaret secundum quam naturam esset Mediator, vt notauit Augustinus lib. 2. de Peccato originali cap. 28. & serm. 11. de verbis Apostoli. Et confirmatur, quia Apostolus distinguit Mediatorem à Deo, cum ait: *vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Ergo non est Mediator secundum diuinam naturam, quia secundum illam non distinguitur à Deo.

4. Respondent Aduersarij, Apostolum facere distinctionem, non ratione naturæ, sed personæ, vt per vnum Deum intelligatur Pater, à quo Filius distinguitur personaliter. Hoc probant, quia si per vnum Deum intelligeretur Trinitas, & à Trinitate distingueretur Mediator, iam necessario daretur quaternitas, quod est absurdum. Sed contra, quia Augustinus sermon. 1. in Psalm. 29. explicans verba Apostoli, diserte docet, vnum Deum significare Trinitatem, & Christum esse Mediatorem inter Trinitatem, & homines peccatores. Sic enim loquitur, *Quid est, Mediatorem esse inter Deum & homines? Non inter Patrem, & homines, sed inter Deum & homines. Quid est Deus? Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Qui sunt homines? peccatores, impij, mortales, In-*

ter illam Trinitatem & hominum infirmitatem, & iniquitatem, Mediator factus est homo, non iniquus, sed tamen infirmus. Idem docent Chrysostomus, Theophylactus, Beda, & Anselmus, in locum Apostoli citatum.

5. Et ratio est, quia non solus Pater fuit offensus, propter nostra peccata, sed etiam Filuis, & Spiritus Sanctus: Ergo omnes tres personæ, quatenus sunt vnus Deus, debebant placari à Mediatore. Nec inde sequitur quaternitas personarum in Deo, quia vna eademque persona, quæ est Filij, est etiam Mediatoris. Quæ quidem persona, ratione diuinitatis fuit offensa, ratione humanitatis fecit officium Mediatoris. Duo igitur spectari debent in Mediatore. 1. Persona Verbi, quæ exercuit opera Mediatoris. 2. humanitas, per quam exercuit.

6. Primo, obiicitur illud Ioan. 10. 15. *Ego pono animam meam pro ouibus meis*, quem locum vrget Caluinus in epist. ad Polonos, quia Christus hic loquitur tanquam Mediator. At non loquitur vt homo, sed vt Deus: quia homo non habet arbitrium vitæ & mortis, sed Deus. Respondeo, Ponere animam, nihil aliud est, quàm mori. Hoc autem non conuenit Christo secundum diuinitatem, sed secundũ humanitatem. Nota. Aliud est, ponere animam, aliud, habere potestatem ponendi animam. Nam ponere animam, conuenit homini secundum mortalitatẽm. Potestas vero ponendi animam datur à Deo. Hinc illud Augustini Tractat. 47. in Ioannem: *Caro ponit animam suam, & Caro iterum sumit eam: non tamen sua potestate caro, sed potestate inhabitantis carnem.* Vide eundem Augustinum lib. 3. contra Maximinum capite 14.

7. Secundo obiicitur illud 2. Corinth. 5. 18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum.* Et infra versu decimo nono, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Et Colossens. 1. 20. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.* Hic Deus dicitur reconciliare & pacificare. At reconciliare & pacificare sunt officia Mediatoris: Ergo Christus vt Deus, est Mediator. Respondeo. Non semper sunt officia Mediatoris. Nam qui alteri offensus est, potest vel per seipsum, vel per Mediatorem, reconciliare sibi hostem seu aduersarium suum, & cum eo pacem inire. Deus igitur, qui fuit offensus, non per seipsum, sed per Christum Mediatorem reconciliauit sibi humanum genus, & cum eo pacem iniit.

8. Tertia obiectio. Solus Deus potest renouare corda, & dare Spiritum Sanctum. Sed renouare corda, & dare Spiritum sanctum, sunt opera Mediatoris, teste Augustino in Enchiridio capite trigesimo tertio. Ergo solus Deus est Mediator. Respondeo. Solus Deus effectiue renouat corda, & dat Spiritum Sanctum. At Mediator facit vtrumque meritorie. Vide plura apud Vasquez disputatione 83. capite tertio & quarto, & apud Bellarminum libro quinto, de Christo, capite octauo.

CAPVT XXII.

De Christo Sacerdote.

1. QVæritur 1. An Christus fuerit vere & proprie Sacerdos? 2. An fuerit Sacerdos secundum naturam humanam? 3. An fuerit simul Sacerdos & sacrificium? 4. An sacerdotium eius sit eiusdem rationis cum sacerdotio legis naturæ, aut cum sacerdotio Mosaico, aut cum sacerdotio Euangelico? 5. quomodo dicatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech?

2. PRIMA CONCLVSIO. Christus fuit vere & proprie Sacerdos. Ita D. Thomas quæstione 22. artic. 1. Et patet ex Apostolo Hebr. 5. 6. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* & v. 10. *Appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech.* Et cap. 7. 24. *Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Et cap. 8. 1. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextra sedis magnitudinis in cœlis.* Ratio est, quia proprium officium Sacerdotis est offerre sacrificium, vt docet idem Apostolus Heb. 5. 1. At Christus obtulit sacrificium pro humano genere, vt patebit ex tertia Conclusione: Ergo fuit vere Sacerdos. Vide Suarez disputatione 46. sectione 1.

3. SECVNDA CONCLVSIO. Christus secundum humanitatem, non autem secundum di-

uinitatem fuit Sacerdos. Est contra Lutheranos & Caluinistas, qui dicunt fuisse Sacerdotem secundum vtramque naturam. Sed errant, quia Christus secundum diuinitatem non habet superiorem, cui possit sacrificium offerre: Ergo secundum diuinitatem non potuit esse Sacerdos, sed secundum humanitatem.

4. Obiicitur illud Hebr. 4. 14. *Habemus Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos.* Et cap. 7. 3. *Sine Patre, sine Matre, sine genealogia.* Nam penetrare cœlos non potest conuenire puro homini, sed homini Deo. Similiter, esse sine patre & matre, non conuenit Christo vt homini, sed vt Deo & homini simul. Nam vt Deus, non habet matrem; vt homo, non habet patrem. Igitur secundum vtramque naturam est Pontifex siue Sacerdos. Respond. Aliud est, Christum esse Deum simul ac hominem: aliud esse Sacerdotem secundum deitatem, & humanitatem. Fatemur esse Deum simul ac hominem: imo fatemur, Christum Sacerdotem esse Deum, & hominem: Sed negamus esse Sacerdotem secundum diuinitatem & humanitatem. Illud igitur Apostoli: *Habemus Pontificem, qui penetrauit cœlos*, sic debet intelligi: Habemus Pontificem, in quo duo distingui debent. 1. virtus penetrandi cœlos. 2. ipsum penetrare cœlos. Virtus erat à Christo secundum diuinitatem. At ipsum penetrare cœlos, conueniebat Christo secundum humanitatem: quia cum penetrare, sit moueri loco, non potest Christo conuenire secundum diuinitatem, quæ est immobilis. Similiter illud, *sine Patre, sine Matre*, cõuenit etiã Christo, quatenus est Deus & homo; sed esse sacerdotem, non conuenit illi secundum vtramque naturam,

ſed ſecundum humanam.

5. TERTIA CONCLVSIO. Chriſtus ſimul fuit ſacerdos, & ſacrificium, iuxta illud Epheſ. 5. 2. *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* Quod etiam docet Nazianz. orat. 36. quæ eſt quarta de Theologia, prope finem, vbi ait Chriſtum dici ouem, quia fuit victima, & Pontificem, quia fuit oblator. Et in Carmine nono: *Mortalisque Deusque, & victima pura ſacerdos.* Et definitum eſt in Epiſtola Concilij Alexandrini, Anathematiſmo ſecundo, quæ Epiſtola eſt decima apud Cyrill. & recepta in Concilio Epheſino.

6. QVARTA CONCLVSIO. Sacerdotiũ Chriſti fuit altioris & perfectioris rationis, quam vllum aliud ſacerdotium, ſiue naturæ, ſiue legi Moſaicæ, ſiue Euangelicæ. Et quidem triplici titulo. 1. Propter infinitam dignitatem perſonæ offerentis. 2. Propter ampliorem ipſius poteſtatem. 3. propter nobiliorem finem, qui erat totius humani generis redemptio. Vide Suarez diſputatione 46. ſectione 3.

7. QVINTA CONCLVSIO. Chriſtus dicitur fuiſſe ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, propter repræſentationem, quę in his cõſiſtit. Primo, quia Melchiſedech idem eſt, quod Rex iuſtitiæ, Chriſtus autem eſt verus Rex iuſtitiæ. Secũdo, Melchiſedech fuit Rex Salem, id eſt, Rex pacis. Chriſtus autẽ eſt vera pax noſtra. (Eph. 2. 14. & Coloſſ. 1. 20. Tertio, Melchiſedech introducitur ſine patre & matre. Chriſtus autem ſecundum deitatem non habuit matrem: nec ſecundum humanitatem habuit Patrem. Quarto. Melchiſedech introducitur *neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Chriſtus autem nec principium habuit dierum, quoad diuinitatem;

neque finem vitæ, quoad sacerdotium. Quinto Melchisedech obtulit panem, & vinum. Christus obtulit suam carnem, & sanguinem sub specie panis, & vini. Suarez ibid. se. 4.

CAPVT XXIII.

De Christo Propheta.

CERTVM est, Christum fuisse Prophetam. Sic enim de eo prædixit Moyses, Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Vnde Petrus Apostolus, Act. 3. 22. *Moyses quidem dixit, quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester, de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis.*

2. At quæstio est, quo sensu fuerit Propheta? Nota. Varia erant officia Prophetarum in veteri Testamento. Primum, docere, instruere, & reformare populum in vero Dei cultu. Et quidē Moyses docuit populum, quando dedit & explicauit illi legem Decalogi, & Deuteronomij. Reliqui Prophetæ, qui diuersis temporibus secuti sunt, reformarunt populum: & aberrantem à lege reuocarunt in viam. Quo spectat illud Ioann. 4. 37. *Alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Vbi Christus loquitur de Prophetis & Apostolis. Prophetæ seminauerunt: Apostoli messuerunt. Prophetæ laborauerunt: Apostoli eorum laboribus fruiti sunt. Quomodo hoc? quia Prophetæ, antequam ve-

nirent Apoſtoli, multum laborauerunt in erudiendo populo, & eorum corda ad Chriſtum recipiendum præpararunt. Quod ſi non feciſſent, plus laborandum fuiſſet Apoſtolis. Vide Orig. Iren. Aug. Chryſ. & alios apud Maldon. in illum locum.

3. Alterum, Arguere, reprehendere, & obiurgare eos, qui vel à vero Dei cultu, vel ab aliqua alia diuina lege recederent. Sic Samuel reprehendit Saulem Regem, eo quod non obediuiſſet voci Domini. 1. Reg. 15. 19. Sic Nathan reprehendit Dauidem propter adulterium & homicidium. 2. Reg. 12. 9. Sic Helias populum claudicantem in duas partes. 3. Reg. 18. 21. Daniel duos ſenes, quod falſo accuſaſſēt Suſannā de adulterio. Dan. 13. 52. & ita deinceps.

4. Tertium, Prædicere futura. Quod fiebat dupliciter. Nam Prophetæ aliquando prædicebant futura bona, ad populi conſolationem, vt aduentum Meſſiæ, & alia myſteria Redemptionis humani generis. Iſa. 7. 14. *Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Et c. 11. 1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Et c. 14. 1. *Prope eſt, vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Miſerebitur n. Dominus Iacob.* Et c. 40. 1. *Conſolamini, conſolamini populo meus, dicit Deus veſter.* Aliquando prædicebant & minabantur futura mala, quæ imminebant populo propter ſua peccata: vt famem, peſtem, bellum, captiuitatem. Ierem. 1. 14. *Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ.* Et c. 5. 15. *Ecce ego adducam gentem ſuper vos de longinquo, domus Iſrael, ait Dominus, Et comedet ſegetes tuas, & panem tuum: deuorabit filios tuos & filias tuas: comedet gregem tuum & armenta tua: conteret vrbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam.*

5. Quartum, Secreta seu occulta cognoscere. Sic Samuel sciebat omnia quę erāt in corde Saulis, quę-rentis asinas patris sui. 1. Reg. 9. 19. Sic Helisæus sciebat omnia, quæ à famulo absente erant perpetrata. 4. Reg. 5. 25. Itemque omnia secreta consilia Regis Syriæ, 4. Reg. 6. 12. Sic Daniel sciebat occultum somnium Nabuchodonosoris, Dan. 2. 26.

6. Christus, tanquam Propheta, hæc omnia officia exercuit. Ac primo docuit & instruxit populū. Matth. 26. 55. *Quotidie apud vos sedebam docens in templo.* Et Marci 1. 21. *Sabbathis ingressus in Synagogam docebat eos.* Et Lucæ 4. 15. *Ipse docebat in Synagogis eorum.* Et Ioann. 13. 13. *Vos vocatis me, Magister, & Domine, & bene dicitis. Sum etenim.*

6. Secundo, Reprehendit & obiurgauit Pharisæos, qui à vero Dei cultu vel saltem ab aliqua diuina lege recedebant, appellans illos hypocritas, auaros, stultos, inanis gloriæ cupidos, sepulchra dealbata, plenos rapina & immunditia, plenos hypocrisi & iniquitate, serpentes, genimina viperarum, filios gehennæ, generationem malam & adulterā. Deinde obiiciens illis Mat. 15. 3. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* Et alia similia.

8. Tertio, prædixit multa futura, nempe suam mortem & passionem. Mat. 26. 19. Crucifixionem. Ioan. 3. 14. & c. 8. 28. & ca. 12 23. Ascensionem. Ioan. 3. 13. & c. 6. 63. Spiritus Sancti missionem. Ioann. 7. 39. & ca. 14. 16. Destructionem templi Ierosolymitani. Mat. 24. 2. Et multa alia.

9. Quarto, cognouit secretas & occultas hominū cogitationes, Mat. 9. 4. *Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et

Lucæ 6. 8. *Ipse vero sciebat cogitationes eorum, nempe Scribarum, & Phariſæorum.* Et c. 24. 38. *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?*

10. DICES, Scriptura videtur ſignificare, nullos fuiſſe Prophetas in nouo Teſtamento, ſed tantum in veteri, Matth. 11. 13. *Omnes Prophetæ & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt.* Ergo nullus poſt Ioannem Baptiſtam prophetauit: Ergo nec Chriſtus. Item Hebr. 1. 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſime diebus iſtis, locutus eſt nobis in Filio.* q. d. Deus in veteri Teſtamento loquebatur per Prophetas: Iam non amplius per Prophetas, ſed per Filium.

11. Reſpondeo. Etiam in nouo Teſtamento fuerunt veri Prophetæ. Primo Ioannes Euangeliſta, qui prædixit multa in Apocalypſi, quæ teſte Hieronymo in Epiſtola ad Paulinum, tot habet Sacramẽta, quot verba. Secundo, Paulus Apoſtolus, qui duo potiſſimum prædixit. 1. ſua vincula. Act. 20. 23. Deinde ſuam & ſociorum liberationem ex tempeſtate maris, Act. 27. 22. Tertio, Agabus, qui etiam duo legitur prædixiſſe. 1. futuram famem. Actor. 11. 27. Deinde Paulum à Iudæis vinciẽdum, Act. 21. 10. Quarto, filiæ Philippi Diaconi, de quibus Act. 21. 9. *Huic Philippo, erant quatuor filiæ virgines prophetantes.*

12. Illud porro, quod obiicitur, *Omnes Prophetæ & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt*, poteſt dupliciter explicari. Primo, Chriſtũ loqui de omnibus Prophetis veteris Teſtamenti, qui Ioannem & Chriſtũ præceſſerunt, vt hic ſit ſenſus: Omnes Prophetæ veteris Teſtamenti prædixerunt Chriſtum venturũ: Ioãnes fuit primus, qui præſentem annunciauit. Ita Chryſ. Hier. Beda, Euthym. Secundo, legem & Prophetas vſque ad Ioannem prophetaſſe, id eſt, viguiſſe, vim

habuisse, officio suo functos esse, perduraſſe. Ita Maldonatus. Et hoc colligit ex antitheto, quod sequitur: *A diebus a. Ioannis Baptistæ Regnum cœlorum vim patitur.* Vbi Regnum cœlorum opponitur legi & Prophetis, id est, nouum Testamentum opponitur veteri, vt hic sit sensus: Lex & Prophetæ viguerunt vsque ad Ioannem Baptistam: At à tempore Ioannis Baptistæ incepit Euangelium, seu nouum Testamentum.

CAPVT XXIV.

De Christo Rege.

1. CHristus dupliciter spectari potest. 1. Quatenus est Deus. 2. quatenus est homo. Priori modo certũ est, esse Regem Regũ, & Dominum dominãtium, non minus quam Patrem. Posteriori, vocatur etiã Rex in Scriptura, Matth. 2. 2. *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* & cap. 21. 5. *Dicite Filiæ Sion: ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam.* Et Lucæ 19. 38. *Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini.* Et Ioan. 12. 13. *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Et 18. 37. *Dixit ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia Rex sum ego.* Disputãt Theologi, an sit Rex tantũ spiritualis, an etiam tẽporalis?

2. PRIMA CONCLVSIO. Christus quatenus homo est spiritualis Rex seu Monarcha totius Ecclesiæ. Hoc patet. 1. ex iis Scripturæ testimoniis, vbi vocatur Caput Ecclesiæ. 2. ex iis, vbi vocatur Pontifex seu Sacerdos. Nam hæc tria pro eodem fere accipiuntur, *Pontifex, Caput Ecclesiæ, Rex spiritualis.* 3. ex illo Psalmo 2. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Quod intelligi debet de Regno spirituali, hoc sensu: Ego Christus, non ab hominibus, sedà Deo ordinatus sum Rex super Ecclesiam, quæ est Ciuitas in monte posita. Item ex illo, quod sequitur in eodem Psalmo: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: quia nimirum Ecclesia toto terrarum orbe diffundenda erat, & à mari vsque ad mare propaganda. Item ex illo Isaiæ 9. 6. *Factus est principatus super humerum eius.* Et Dan. 7. 13. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit: Et dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum: Et omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur: & Regnum eius quod non corrumpetur. Eodem sensu dictũ est: Tu es sacerdos in æternum.*

3. Vnde constat, Christum, quatenus est homo, esse Regem spiritualem totius Ecclesiæ, & datam esse illi potestatem æternam, quæ nõ auferetur. Qua potestate vsus est, quando Ecclesiam fundauit, quãdo Sacramenta instituit, quando Leges Ecclesiasticas sanciuit, quãdo Apostolos ordinauit, & ad prædicandum Euangelium misit. Et eadem vsurus est in extremo die iudicij, quando segregabit bonos à malis, & dabit vnicuique secundum opera sua.

4. Secvnda Conclvsio. Christus, quatenus est homo, de facto non fuit Rex temporalis in hac vita. Quod patet ex propria ipsius cõfessione, Ioan. 18.37. *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est, non est mundanum, non est terrenum, non est temporale, sed cœleste, & spirituale. Et ratio est, quia nũquam exercuit officium Regis temporalis. Dices, videtur exercuisse, quando eiecit è templo vendentes oues & boues. Respondeo. Nõ erat officium Regum, sed sacerdotum, eiicere homines è templo: sicut in veteri Testamento Sacerdotes eiecerunt Oziam de templo. 2. Paralip. 26. Deinde, Christus non eiecit homines de templo, tanquam Rex aut Sacerdos, sed tanquam Propheta. Solent enim Prophetæ, diuino quodam zelo similia facere, quo pacto Helias occidit Prophetas Baal.

5. Queres, An Christus, si non de facto, saltẽ de iure fuerit Rex temporalis in hac vita? Triplex opinio est. Prima, Iure successionis hæreditarię fuisse Regem Iudęæ, seu Regnum Iudæorum, iure hæreditario pertinuisse ad Christum. Ita Armacanus l. 4. de quæst. Armenorũ c. 15. & 16. vbi dicit Beatã Virginem habuisse ius hæreditarium ad Regnum Iudæorum, quia per lineam rectam descẽdebat ex familia Dauid, & deficiente viro, succedebat fœmina in hæreditate. Altera, Christũ ex donatione Dei Patris, habuisse absolutum & directum dominium, & potestatem super omnia Regna temporalia, per quam posset ea regere, gubernare, & mutare pro suo arbitrio. Ita Antoninus, Turecremata, Hostiensis, Panormitanus, Nauarus, & quidam alij apud Valentiã, q 22. puncto 6. Tertia, Christum nullo titulo habuisse Regnum temporale, nec titulo hære-

ditariæ ſucceſſionis, nec titulo electionis, nec titulo iuſti belli, nec titulo donationis. Ita Bellarminus, l. 5. de Pontifice c. 4. Quæ opinio probabilior eſt, & clare à Bellarmino probatur ac deducitur.

CAPVT XXV.

De Chriſto Legislatore.

1. DVplex hic error eſt. Alter Pelagianorum, & Petri Abbailardi, Chriſtū non fuiſſe Redemptorem, ſed tantum Legiſlatorem. alter Lutheri & Herbrandi, non fuiſſe Legiſlatorem, ſed tantum Redemptorem. Nos dicimus vtrumq; fuiſſe, & Redemptorem, & Legiſlatorem, vt definitum eſt in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 21.

2. Et quidem quod fuerit Legiſlator, de quo hic diſputamus, manifeſto conſtat ex illo Iſaiæ 33. 22. *Dominus Iudex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſaluabit nos* Et ipſe in Euangelio paſſim loquitur de ſua lege Ioann. 14. 15. *Mandata mea ſeruate.* Et cap. 15. 10. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Et Matth. 28, 19. *Docete eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* Quod etiam facit Apoſtol. 1. Corinth. 7. 10. *Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere.* Et 1. Corinth. 9. 21. *Illis, qui ſine lege erant, factus ſum tanquam ſine lege eſſem, cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti.* Et Hebr. 2 confert inter ſe Chriſtū & Moſen, tanquã duos legiſlatores, alterum veteris, al-

rerum noui Testamenti: & ait, si transgressores legis à Mose datæ puniti sunt, multo magis transgressores legis à Christo latæ puniendos esse.

3. Sunt autem triplicia præcepta legis à Christo latæ, nempe moralia, Sacramentalia, & Fidei. De moralibus constat, Matth. 5. 6. 7. vbi Christus explicat & perficit præcepta Decalogi, quæ proprie ad mores pertinent. Et Matth. 19. 6. vbi prohibet diuortium & libellum repudij, ac decernit, vt vinculum matrimonij deinceps non dissoluatur. De Sacramentalibus patet ex illo Ioan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et Ioann. 6. 53. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Denique de præcepto fidei, ex illo Marci 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Et Ioann. 8. 24. *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Hoc tamen interest inter triplicia illa præcepta; quod Sacramentalia sint vere & proprie à Christo instituta: reliqua non tam instituta, quam aucta vel explicata. Et quidem moralia, cum sint iuris naturalis, non egebant institutione, sed explicatione. Præceptum autem fidei aliquo modo auctum est. Nam Christi natiuitas, passio, mors, & reliqua mysteria, quæ à Iudæis implicite & obscure credebantur, iam expresse & distincte creduntur à Christianis.

CAPVT XXVI.

De Christo Iudice.

1. CHRISTVS in primo suo aduentu non exercuit officium Iudicis, sed Saluatoris, vt ipsemet fatetur Ioann. 3.17. *Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* At in secundo aduentu exercebit officium Iudicis, vt patet ex Symbolo Fidei: *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Quod prædictum fuit per Prophetam: Isaiæ 3.14. *Dominus ad iudicandū veniet cum senibus populi sui, & principibus eius.* Quo etiam spectat illud Petri Apostoli, Act. 10. 42. *Ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum.* Et illud ipsius Christi, Matth. 25: 31. *Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis.*

2. Obiici potest illud Ioann. 3. 18. *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est.* Vnde sequitur, Christum in primo aduentu iudicasse eos, qui noluerunt in ipsum credere. Respondeo. Duplex est iudicū: alterū legis, alterum Iudicis. Lex dicitur iudicare, quia qui peccat in legem, per ipsam legem iam morti addictus est, quoad reatum seu obligationem; licet sententia Iudicis nondum sit lata. Iudex dicitur iudicare, quia in transgressores legis profert sententiam mortis, quoad executionem.

De

De vtroque iudicio loquitur Christus cùm ait: *Non misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* In priori parte loquitur de Iudicio Iudicis; in posteriori, de Iudicio legis. Est igitur hic sensus: Ergo non veni ad iudicandos homines, sed ad saluandos. Vel enim credunt in me, vel non credunt. Si credunt, non iudico eos ad mortem, sed à sententia mortis, cui obnoxij sunt, transfero ad vitam. Si non credunt, ne sic quidem eos iudico, quia iam ante per legem iudicati sunt, ob legis transgressionem.

3. Hic sensus clarissime exprimitur in fine cap. 5. 36. *Qui credit in filium; habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum.* Quæ est illa ira, quæ manet super eum? Nempe quæ in principio mundi super omnes filios Adæ denunciata est. De qua Apostolus Eph. 2. 3. *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.* Idem sensus colligitur ex illo Ioann. 5. 24. *Qui credit habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte ad vitam,* id est, de sententia mortis æternæ, qui omnes propter peccatum primi parentis subiecti sunt, & à qua per fidem in Christum liberantur.

4. Neque hinc sequitur, Christum non fore iudicem in die iudicij. Omnino erit. Tametsi enim, qui in ipsum non credunt, iudicati & damnati sint per legem, quatenus sunt rei damnationis æternæ, propter legis transgressionem; nihilominus adhuc iudicabuntur à Christo, qui in illos sententiam feret, quoad executionem, iuxta illud Matth. 25. 41. *Tunc Dicet his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in*

ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.

CAPVT XXVIII.

De Antichristo.

DE Christo hactenus. Nunc aliquid de Antichristo, seu de Christi Aduersario dicẽdum est. De quo Lutherani & Caluinistę, non tam veritatis, quam calumniandi studio, hæc duo apud rudem plebeculam inculcant. 1. Antichristum iam pridem venisse in hunc mundum. 2. Eumque esse Pontificem Romanum. Quo consilio id faciant, facilis coniectura est. Certe non alio, quam vt suam apostasiam & defectionem à fide Catholica possint velare & excusare, sub titulo ac pretęxtu defectionis ab Antichristo. ET liceat ipsis, quod apud Catholicos non licebat, Prælatos contemnere, vota Deo nuncupata violare, Moniales in vxores sibi adscisere, festa & ieiunia negligere, carnis illecebras sectari, & quæ similia sunt. Duobus illorum assertis oppono duas Conclusiones.

2. PRIMA CONCLVSIO. Antichristus proprie dictus, qui ab Apostolo vocatur homo peccati, & filius perditionis, nondum venit in hunc mundum. Probatur 1. quia Antichristus non veniet, nisi prius euersum & desolatum sit Romanum Imperium. Atqui hoc nondum factum est: Ergo Antichristus nondum venit. Maior passim asseritur ab antiquis Patribus, tam Græcis, quam Latinis. Cyrillus Catechesi 15. ait: *Veniet prædictus Antichristus, cum impleta fuerint tempora Romani Imperij.* Et Chrysostomus in 2. Thess. 2. *Quando è medio sublatum fuerit Romanum Im-*

perium, tunc veniet Antichristus. Similia habent Theophylactus, Oecumenius, & Ambrosius ibidem, Lactantius lib. 7. cap. 15. Hieromynus q. 11. ad Algasiã, & Tertullianus in Apologetico cap. 32. Vbi etiam addit, fideles orare pro diuturnitate Romani Imperij, eo quod intelligant, Romano Imperio euerso, imminere orbi extremam sub Antichristo calamitatem.

3. Nec temere aut sine fundamento hoc dicunt Patres. Habent pro se aperta Scripturæ testimonia: habent perpetuam ab Apostolorum temporibus Traditionem. Quæ antequam proferantur, priùs explicandum est, in quo consistat illa desolatio seu euersio Romani Imperij, postquam venturus dicitur Antichristus. Aliud enim est inclinatio illius Imperij; aliud desolatio: seu euersio.

Inclinatio facta est variis temporibus. 1. Quando Roma capta est sub Gothis. 2. quando Imperium defecit ab Occidente. 3. quando restaurato per Carolum Magnum Imperio in Occidente, destructum est in Oriente per Turcas.

Porro desolatio seu euersio tunc erit, quando Imperium Romanum diuidetur, ac distrahetur in decẽ Reges, amisso nomine ac dignitate Imperiali. Et tunc primum veniet Antichristus.

4. Probant hoc Patres ex Daniele & Apocalypsi. Nam cap. 2. Danielis, describitur successio quatuor præcipuorum regnorum vsque ad finem mundi, per quandam statuam, habentem caput aureum, pectus argenteum, ventrem æneum, & tibias ferreas. Explicatio est hæc. Caput aureum significat regnũ Chaldeorum: pectus argenteum, regnum Persarum;

venter æneus, regnum Alexandri, & Græcorum: tibiæ ferreæ, regnum Romanorum. Porro ex duabus tibiis oriebantur decem digiti, in quib. tota illa statua desinebat; quia scilicet Romanum Imperium tãdem in decem Reges diuidendum est, & eo ipso desolandum seu euertendum.

5. Eadem quatuor Regna apud eundem Danielem cap. 7. designantur per quatuor bestias. Leęnam, Vrsum, Pardum, & aliam innominatam, habentem decem cornua in capite. Hæc autem bestia innominata significat Imperium Romanum: & decem cornua significant decem Reges, qui Imperium illud diuisuri sunt. *Bestia quarta*, inquit Daniel, *Regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuersam terram, & cõculcabit, & comminuet eam. Porro cornua decem ipsius regni, decem Reges erunt.*

6. Quod autem illi decem Reges Imperium Romanũ diuisuri ac distracturi sint, colligitur ex Apocalypsi cap. 17. vbi Ioannes describit bestiam cum septem capitibus, & decem cornibus, super quam sedebat *mulier circumdata purpura & coccino, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immundatia fornicationis.* Nam, vt Angelus ibidem interpretatur, Mulier est vrbs magna, quæ sedet super septem colles, id est, Roma. Decem cornua, sunt decem Reges qui vno tempore simul regnabunt. *Et hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnem eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.* Quibus verbis aperte significat Angelus, Romanum Imperium per illos decem Reges penitus destructum ac dissipatum iri.

7. Ad hæc Scripturæ testimonia accedit antiquissima Ecclesiæ Traditio, de qua Diuus

Hieronymus in cap. 7. Danielis sic scribit: *Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando Regnum destruendum est Romanorum decem futuros Reges qui orbem Romanum inter se diuidant.* Quid clarius dici potest?

8. Constat ergo ex Scripturis & Ecclesiæ Traditione, Imperium Romanum tunc euertendũ ac destruendum, quando in decẽ Reges diuidetur. Quod autẽ Antichristus non ante venturus sit, aperte conuincitur ex Daniele cap. 7. v. 24. vbi sic legimus: *Cornua decem ipsius Regni, decem Reges erunt,* (de quibus iam diximus) *& alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit, & sermones contra Excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret; & putabit quod possit mutare tempora & leges; & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Vbi clarissime loquitur de Antichristo, quem prædicit venturum esse post decem illos Reges, qui Imperium Romanum inter se diuident; & consequenter post Romani Imperij euersionem.

9. Quod multi probabiliter confirmant ex illo 2. Thess. 2. 3. *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati,* subaudi, non veniet dies Iudicij. Hic enim Apostolus instruit Thessalonicenses, qui falso persuasi erant, instare diem Iudicij. Ponit autẽ duo signa, quæ diem illum antecessura sint, nempe defectionem Romani imperij, & aduentum Antichristi. q. d. Nõ veniet dies Iudicij, nisi prius discessio facta sit ab Imperio Romano, & appareat Antichristus. Ita explicant magni authores.

Tertullianus in lib. de resurrectione carnis cap. 24. *Nisi*, inquit, *veniat abcessio primo, huius vtique regni* (Romani) *& reueletur delinquentiæ homo, id est,*

Antichriſtus, filius perditionis, &c. Et paulo poſt: *Tantum, qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat: quis? niſi Romanus ſtatus, cuius abceſſio in decem Reges diſperſa, Antichriſtum ſuperinducet, & tunc reuelabitur iniquus*, &c. D. Hieronymus quæſt. 11. ad Algaſiam: *Niſi venerit diſceſſio primum, quod græce dicitur apoſtaſia, vt omnes gentes, quæ Imperio Romano ſubiacent, recedant ab eo*, &c. *Niſi inquam, fuerit Romanum Imperium ante deſolatum & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet, qui ideo venturus eſt, vt Antichriſtum deſtruat.*

Et infra: *Tantum vt Romanum Imperium, quod nunc vniuerſas gentes tenet, recedat, & de medio fiat, & tunc Antichriſtus veniet ſons iniquitatis.* Similia habēt Chryſoſtomus, Theophylactus, Sedulius, Primaſius, Strabus, & alij in eundem locum.

10. Hæc expoſitio, vt dixi, probabilis eſt, & poteſt confirmari ex ipſo contextu. Nam Apoſtolus, antequam ſcriberet hanc Epiſtolam ad Theſſalonicenſes cum adhuc præſens apud illos eſſet, viua voce tradiderat illis quędam myſteria ad fidem Chriſtianam pertinentia, quorum vnum erat, non prius venturum diem iudicij, quàm euerſum eſſet Imperium Romanum, & Antichriſtus apparuiſſet. Illi autem, relicta hac Traditione, neſcio à quibus perſuaſi erant, diem iudicij iam adeſſe præ foribus. Igitur reuocat eos ab hoc errore, & ſimul hortatur, vt in ea Traditione, quam coram acceperant, deinceps perſiſtant, & ab ea non ſinant ſe dimoueri.

Videamus nunc verba Apoſtoli. Sic ergo incipit. *Rogamus autē vos fratres, vt non moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, quaſi inſtet dies Domini.* Ecce error Theſſalonicenſium. Putabant inſtare diem iudicij, & ideo terrebantur. Sequitur inſtructio Apoſtoli: *Ne*

quis vos seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, non veniet dies iudicij. Nunc retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? nempe, non venturum diem iudicij, nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati. Quæ autem illa discessio? *donec de medio fiat* Imperium Romanum, id est, donec omnes discedant ab obedientia Imperij Romani, & sic Imperium illud de medio tollatur. *Itaque fratres state, & tenete Traditiones, quas accepistis*, præsertim illam quod dies iudicij ventura non sit nisi præcesserint duo illa signa, quæ iam commemoraui.

11. At obiici potest, aliquos per verba illa Apostoli, *Nisi venerit discessio primum*, intelligere discessionem seu a postasiã à fide, quæ antecedet diem iudicij, iuxta illud Lucæ 18. 8. *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Fateor ita esse: sed tamen alij, quos supra citaui, non incommode intelligunt discessionem ab Imperio Romano. Et fortasse rectius: Primo quia totus contextus optime cohæret, si interpretemur de Imperio Romano, vt ostensum est. Secundo, quia constat Apostolum, quasi de industria obscurissime locutum in illo capite, adeo vt scribat Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 19. *Ego prorsus, quid dixerit, me fateor ignorare.* At nulla erat causa cur obscure loqueretur de defectione à fide, cum Christus apertissime de ea locutus sit loco citato, *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Erat autẽ causa, cur obscure loqueretur de defectione ab Imperio Romano; quia cùm Romę scriberet hãc epistolã, si clare scripsisset de euersione illi⁹ Imperij, potuisset Neronẽ offẽdere, qui erat homo in nouos

Christianos crudelissimus.

Hanc causam attigit D. Hieronymus quæst. 11. ad Algasiam, cum ait: *Non vult aperte dicere, Romanum Imperium destruendum, quod ipsi, qui imperant, æternum putant.* Et paulo post: *Si enim aperte audacterque dixisset, Non veniet Antichristus, nisi prius Romanum destruatur Imperium; iusta causa persecutionis in orientem tunc Ecclesiam consurgere videbatur.*

12. Sed quicquid sit de hoc loco Apostoli, qui varie exponi potest, sufficit nobis, quod ex Daniele, Apocalypsi, & antiqua Patrum Traditione clare probatum sit, non prius venturum Antichristum, quam Imperium Romanum penitus extinctum sit, ac in decem Reges distributum, quod hactenus factũ non est. Vnde concludo nõ veniſſe hactenus Antichristum. Et hoc sit primum contra Aduersarios argumentum.

13. Secundum Argumentum est eiusmodi. Duo testes venturi sunt eodem tempore, quo Antichristus; & habebunt has conditiones, seu qualitates. 1. Erunt *amicti sacco* seu cilicio. 2. *prophetabunt dieb. mille ducentis sexaginta*: 3. habebunt potestatem *claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum*: & potestatem *conuertendi aquas in sanguinem; & percutiendi terram omni plaga, quotiescunque voluerint.* 4. quando absoluerint *testimonium suum* (nempe post dies 1260.) tunc Antichristus mouebit contra illos bellum, *& vincet illos, & occidet.* 5. *corpora eorum iacebunt* Hierosolymis insepulta *per tres dies & dimidium.* 6. post illos dies reuiuiscent, & spectante ac tremente populo, *ascendent in cælum.* 7. tunc erit *magnus terræ motus quo decima pars ciuitatis* corruet, & *septem millia hominum* occidentur. Hæc omnia disertis verbis habentur in Apocalypsi cap. 11. v. 3. & sequentibus.

14. At hi duo testes (quicunque tandem illi sint) nondum venerunt: Ergo nec Antichristus venit. Est autem duplex Catholicorum de illis sententia. Plerique putant fore Henoch, & Heliam. Nam de iis testatur Scriptura, venturos ante diem iudicij. Malach. 4. 5. *Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et convertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum.* Et Ecclesiastici 44. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.* Et sic fere sentiunt antiqui Patres.

15. Alij putant fore Mosen & Heliam. Primo quia illi duo locuti sunt cum Christo in monte Thabor, quando transfiguratus est. Secundo, illi duo repræsentant legem, & Prophetas. At lex & Prophetæ erunt grauissimi testes pro Christo, ad redarguendum Antichristum. Tertio, illis duobus optime conueniunt, quæ ex Apocalypsi de duobus testibus allata sunt. Nam Moses habuit potestatem cõuertendi aquas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga. (Exod. 7. & sequentibus.) Et Helias habuit potestatem claudendi cœlum, ne pluat. (3. Reg. 17. & Iacobi 5. 17.) Hanc sententiam sequitur Maldonatus in cap. 17. Matthæi v. 11.

16. Aduersarij nostri, quia vident vtramque sententiam sibi repugnare (nam ex vtraque sequitur, Antichristum nondum venisse, cum nondum venerit Henoch, Helias, aut Moses) nouam interpretationem comminiscuntur. Et alij quidem generatim aiunt, per illos duos testes intelligi quoscunque Ministros fideles, qui ab Antichristo, id est, à Romano Pontifice (ex illorum sententia) vel hactenus persecutionem passi sunt, vel adhuc patiuntur. Alij

vero ſpeciatim deſignant vel Huſſium, vel Lutherum, vel Caluinum, vel aliquem ſimilem. Sed valde errant. Nam ea, quæ de duobus teſtibus à Ioanne prædicta ſunt, nullo modo conueniunt Luthero, Caluino, & ſimilibus. Quod ſic oſtendo. Vel enim quæ prædicta ſunt, intelligi debent ſecundum ſenſum litteralem, ſeu hiſtoricum; vel ſecundum ſenſum myſticum ſeu ſpiritualem.

17. Si priori modo, certum eſt, Lutherum & Caluinum non poſſe deſignari per duos teſtes. Non enim fuerunt amicti ſacco, nec prophetauerunt 1260. diebus: Non clauſerunt cœlum, ne plueret: non conuerterunt aquam in ſanguinem: non percuſſerunt terram omni plaga, quotieſcunque voluerunt: non ſunt interfecti ab Antichriſto: nec poſt tres dies & medium in cœlum aſcenderunt. Et ſic deinceps.

18. Si autem myſtice hæc omnia intelligenda ſunt, ne ſic quidem Luthero & Caluino poterunt accommodari. Ac primo dicant aduerſarij, quid myſtice intelligatur per ſaccum, vel cilicium, quo amicti ſunt duo teſtes? An pœnitentia, caſtigatio corporis, auſteritas vitæ? At Lutherus & Caluinus, nec ipſi corpus ſuum caſtigarunt; nec alios, vt caſtigarent, docuerunt. Nam Lutherus, violato caſtitatis voto, Monialem ſibi ſociauit: Caluinus, propter Sodomiam, candenti ferro inuſtus eſt. Lutheri vox fuit; *Si non vult vxor, veniat ancilla*: Caluini, *Lex Decalogi eſt impoßibilis.*

19. Secundo dicant, quid myſtice ſit, *claudere cœlum, ne pluat*? An eſt idem, quod efficere, ne gratia Dei, per modum pluuiæ, deſcendat de cœlo? At hoc efficere non eſt bonorum teſtium,

qui conantur alios ad fidem Christi conuertere. Nam ad hunc effectum maxime opus est diuina gratia de cœlo distillante. An è contrario, est idem, quod efficere, ne vindicta Dei descendat de cœlo? At si hoc faciunt duo illi testes, de quibus loquitur Ioannes in Apocalypsi, quomodo ergo dicuntur aquas in sanguinem conuertere, & percutere terram omni plaga? An non hæc vindicta de cœlo est?

20. Tertio dicant, quid mystice sit, Antichristum contra duos testes bellum facere, eosdem bello vincere, & occidere? An hoc intelligendum est de bello, victoria, & occisione spirituali, quæ non in corpore, sed in anima fit? Si ita est, sequitur Lutherum, & Caluinum, non in corpore, sed in anima, victos & occisos esse ab Antichristo. Quod nescio, an aduersarij concessuri sint.

21. Quarto dicant, quid mystice sit, corpora duorum testium, Lutheri & Caluini, per tres dies, & dimidium, iacuisse Hierosolymis insepulta, ac postea resumpto spiritu reuixisse, & in cœlum ascendisse? Quid item, magnum terræ motum factum esse, decimam partem ciuitatis corruisse, septem millia hominum occisa esse? Hæc prius explicent aduersarij, si contendant impleta esse. At non possunt.

22. Ex dictis concludo, Antichristum nondum venisse. Primo, Quia Romanum Imperium nondum euersum, ac in decem Reges diuisum est. Secundo, Quia duo illi testes, de quibus loquitur Ioannes in Apocalypsi, nondum à Deo missi sunt.

OBIECTIO.

23. Aduersarij obiiciunt tria Scripturæ testimonia, quibus probant illum venisse. Primum 2. Thess. 2.7. *Mysterium iam operatur iniquitatis*. Alterum 1. Ioan. 2.18. *Filioli, nouissima hora est; & sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.* Tertium, 1. Ioann. 4. 3. *Hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est.* Sed dupliciter refelluntur. Primo, quia seipsos iugulant. Nam si illa testimonia probarent Antichristum venisse; sine dubio probarent venisse tempore Apostolorum. At si certum est tunc venisse, cur aduersarij de tempore aduentus ipsius dissentiunt? Cur Lutherus dicit venisse anno 600. tempore Phocæ Imperatoris? cur Bullingerus anno 763, Musculus anno 1200. cur alij alio tempore?

24. Deinde, male explicant Scripturam. Nam cum ait Apostolus, *Mysterium iam operatur iniquitatis*; non loquitur de Antichristo, sed de typo seu figura Antichristi, nempe de Nerone, vel aliquo alio. Hoc constat ex ipso contextu. Primo, Quia hæc duo opponuntur, *Mysterium iniquitatis*, &, *reuelatio* seu apparitio Antichristi. Sicut enim reuelationem seu apparitionem Christi præcessit typus, seu figura Christi, nempe Melchisedech, Salomon, Ionas; sic etiam reuelationem & apparitionem Antichristi, quæ nondum facta est, præcessit typus & figura Antichristi, vt Antiochus in veteri Testamento; Nero, Simon Magus, & alij in nouo. Secundo, quia cum dixisset Apostolus, *Mysterium iam operatur iniquitatis*, mox subdit: *Tan-*

eum, vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Quibus verbis aperte significat, eo tempore, quo mysterium iniquitatis operabatur, nondum fuisse reuelatum Antichristum, id est, nondum venisse aut apparuisse: Itaque non ipsum, sed Neronem, qui typus illius erat, fuisse tunc operatum.

25. Nec reliqua duo testimonia, quæ ex Ioanne allata sunt, intelliguntur de Antichristo, sed de hæreticis illius temporis, qui erant præcursores Antichristi. Pro quo notandum est, nomen Antichristi duobus modis sumi posse. Primo generatim, pro quocunque Christi hoste seu aduersario; cuiusmodi sunt omnes hæretici, & persecutores Christianorum. Et hoc sensu dictum est à Ioanne, *Nunc Antichristi multi sunt*, id est, multi hæretici, de quibus sequitur: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Eodem sensu dictum est, *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus, de quo audistis, quia venit, & nunc iam in mundo est.* Secundo, speciatim, pro præcipuo seu principali Christi hoste, qui in fine mundi venturus est, & cuius reliqui omnes præcursores sunt. Et de hoc loquitur Paulus cum ait: *Nisi reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus.*

26. Hanc distinctionem tradit Augustinus lib. 2. contra aduersarium legis cap. 12. vbi ait: *Ad quem pertinet etiam iste, qui se ostendit Antichristum, non vnum illum maiorem cæteris; sed ex his aliquem, de quibus dicit Ioannes Euangelista; Nunc Antichristi multi facti sunt. Eos enim dicebat hæreticos, qui temporibus*

Apostolorum esse, iam ceperant. Et Damascenus lib. 4 Orthodoxæ Fidei cap. 27. *Omnis qui non confitetur filium Dei, & Deum venisse in carne, & esse Deum perfectum, & factum esse hominem perfectum, Antichristus est. Attamen peculiari modo ac præcipuo Antichristus dicitur, qui in consummatione sæculi venturus est.* Et alij passim.

27. SECVNDA CONCLVSIO. Pontifex Romanus non est Antichristus. Probatur ex dictis. Primo, quia Antichristus nondum venit, nec venturus est, nisi euerso Imperio Romano. At Pontifex pridem venit, florente Imperio Romano. Secundo, Antichristus occidet duos illos Prophetas, de quibus agitur in Apocalypsi. Hoc Pontifex non fecit. Accedunt tria alia argumenta.

28. PRIMVM. Antichristus non regnabit, nisi tres annos cum dimidio: At Pontifex regnauit iam multis sæculis: Ergo Pontifex non est Antichristus. Maior colligitur ex Scriptura, quæ variis modis illum annorum numerum expressit. Primo, sub hac forma: *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* (Dan. 7. 25. & Dan. 12. 7. & Apoc. 12. 14.) Secundo sub hac: *Mensibus quadraginta duobus.* (Apoc. 11. 2. & Apoc. 13. 5.) Tertio sub hac: *Diebus mille ducentis sexaginta.* (Apoc. 11. 3.) Vide Augustinum lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 28.

29. SECVNDVM. Antichristus à Iudæis pro Messia recipietur: At Pontifex Romanus non recipitur ab illis pro Messia: Ergo non est Antichristus. Maior passim habetur tanquam certa apud antiquos Patres, Irenæum, Cyrillum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Hilarium, Prosperum, & alios. Et probant ex duobus Scripturæ locis. Primo, ex illo Ioan. 5. 43. *Ego veni in nomine meo,*

& non recipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis. Quis est ille alius, qui in nomine suo venturus est, nisi Antichristus? Hunc ergo recipient Iudæi. Secundo ex illo 2. Thess. 2. 10. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* Qui sunt illi, qui veritatem, id est, Christum non receperunt? Iudæi. Quomodo propter hoc peccatum puniet illos Deus? *Mittet illis operationem erroris, vt credant mendacio*, id est, Antichristo, quem pro Messia recipient.

30. TERTIVM. Antichristus faciet ignem de cœlo descendere, iuxta illud Apoc. 13. 13. *Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram, in conspectu hominum.* At Pontifex non facit ignem de cœlo descendere; Ergo non est Antichristus.

31. Pouelus Caluinista lib. 1. de Antichristo c. 26. §. 15. & Balduinus Lutheranus in disput. de Antichristo cap. 6. §. 32. vt euadant, vel potius eludant vim argumenti huius, interpretantur verba Ioannis de igne excommunicationis, vt hic sit sensus: Antichristus faciet ignem de cœlo descendere, id est, excommunicabit homines. Et hoc aiunt facere Pontificem. O diuinos interpretes. Hoc modo licebit similia Scripturæ testimonia interpretari, vt verbi gratia, 4. Reg. 1. 10. *Elias dixit quinquagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos*, id est, (iuxta glossam Nouatorum) si homo Dei sum, veniat excommunicatio Pontificia, & percellat vos. Similiter Lucæ 9. 54. *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos?*

id est, iuxta eandem glossam. Domine, vis dicimus, vt excommunicentur hi? Inepta sunt hæc.

32. Sed neque circumstantiæ supradicti loci patiuntur hanc expositionem. Cum enim dicit Ioannes, *Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de cœlo descendere*; plane significat, magnũ signum seu miraculum fore, cum Antichristus faciet ignem de cœlo descendere. Imo tale miraculum, quo seducat homines, vt credant esse opus diuinitatis. At quæso, quod aut quale miraculum est, excommunicare hominem? Nullum penitus.

33. Deinde, cum addit Ioannes, *vt etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram, in conspectu hominum*; omnino excludit ignem excommunicationis. Is enim non recte dicitur de cœlo descendere in terram in conspectu hominum; sed potius de cælo in homines ad terrorem aliorum.

34. Miror vero aduersarios, quod ignem excommunicationis tribuant Antichristo. Primo; quia hic ignis, vt ipsi fatentur, descendit de cœlo: quod non aliter potest intelligi, quam quia potestas excommunicandi datur à Deo. Secundo, Paulus Apostolus hac potestate vsus est, quando excommunicauit Corinthium incestuosum. An ergo putant, vel Paulum fecisse idem miraculum, quod Antichristo tribuitur? Vel, Antichristum habere à Deo potestatem excommunicandi Christianos, quam Apostolus habuit? Videamus nunc quid ipsi nobis obiiciant.

Obiectio

Obiectio desumpta ex notis Antichristi.

35. Omnia fere argumenta, quibus aduersarij conantur probare, Papam esse Antichristum, ad hunc vnum syllogismum possunt reuocari: Cuicunque conueniunt omnes Notæ Antichristi, quæ in Scripturis fundatæ sunt, is sine dubio est Antichristus: At Pontifici Romano conueniunt omnes eiusmodi Notæ: Ergo Pontifex Romanus est Antichristus. Minorem probant, quia notæ Antichristi sunt hæ, &c.

1. Deficere à vera fide. 2. Thess. 2. 3.
2. Sedere in templo Dei. ibidem.
3. Ostendere se tanquam Deum. ibidem.
4. Extollere se supra omnem Deum. ibid.
5. Negare Christum. 1. Ioan. 2. 22.
6. Facere falsa miracula. 2. Thess. 2. 9.
7. Imprimere subditis characterem. Apoc. 13. 16.

36. At hæ Notæ conueniunt Romano Pontifici: Ergo Romanus Pontifex est Antichristus. Minor probatur, discurrendo per singulas Notas, & eas Pontifici applicando. Prima est, deficere à fide: At Pontifex defecit à fide, quia defendit Purgatorium, Inuocationem Sanctorum, Sacrificium Missæ, & similia. Respondeo. Quid si dicam aduersarios defeciisse à fide, quia negant Purgatorium, & reliqua iam enumerata? Plures ex Patribus mihi adhærebunt, quam illis, vt in progressu videbimus.

37. Secunda est, sedere in Templo Dei. At Pontifex sedet Romæ in Ecclesia Christi. Respondeo. Tripliciter hîc peccant aduersarij. Primo contra seipsos, quia si Pontifex sedet in Ecclesia Christi, fateri debent se non esse in Ecclesia Christi, cum

non sint in illa Ecclesia, in qua Pontifex sedet. Secundo, contra rem ipsam, quia ex eo præcise, quod Pontifex sedet in Ecclesia Christi, non recte infertur, illum esse Antichristum. Alias pari ratione, Petrus & proximi successores illius fuissent Antichristi, quia sederunt in Ecclesia Christi. Tertio, contra mentem Apostoli, quia supponunt illum per templum Dei, intellexisse Ecclesiam Christi, cum plerique Patres aliter sentiant, nempe intellexisse templum Hierosolymitanum. Nam sicut Antichristus Hierosolymæ interfecturus est duos Prophetas (vt habetur Apoc. 11. 8.) sic etiam ibi sessurus est in Templo, & à Iudæis adorabitur. Nec obstat, quod templum illud iam pridem destructum sit. Nam suo tempore restaurabitur, non quidem ad cultum veri Dei, cui olim destinatum erat, sed ad abominationem & impietatem, vt colligunt Patres ex illo Dan. 9. 27. *Erit in templo abominatio desolationis vsque ad consummationem & finem.*

38. TERTIA est, ostendere se tanquam Deum. At Pontifex hoc facit, quia exhibet se pro visibili capite Ecclesiæ, vt explicat Iconius in Elencho. Respondeo. Hæc non est explicatio, sed depravatio Scripturæ. Nam aliud est, ostendere se tanquam Deum, cum non sit Deus: aliud vero, exhibere se pro visibili capite Ecclesiæ, cum reuera sit visibile caput. Illud prius conuenit Antichristo: Hoc posterius, Petro & successoribus eius.

39. QVARTA est, Extollere se supra omnem Deum; At hoc facit Pontifex, quia extollit se supra omnem Ecclesiasticum, & politicum ordinem, vt explicat idem author Vel, quia mandata sua præfert mandatis Dei, & dispensat contra legem veteris ac

noui Testamenti, vt tradit Pouelus lib. 1. c. 17. Respõ. deo. Prior explicatio falsa est: Alioqui Moses diceretur se extulisse supra omnẽ Deũ, quia fuit supra omnẽ ordinem Ecclesiasticũ & politicũ, quãdo Aaronẽ consecrauit. Posterior constat meris mendaciis.

40. Qvinta est, negare Christum. At Pontifex negat Christum, quia corrũpit doctrinam de Christo Mediatore, vt interpretatur Iunius in suis Notis ad Bellarminum. Respondeo. Nondũ probatũ est ab aduersariis, quod Põtifex corrũpat doctrinã de Christo Mediatore. Ego facilius probabo aduersarios id facere. Ipsi enim docẽt Christũ esse Mediatorem secundũ vtramque naturam, diuinam & humanã, qui est manifestus error, vt supra cap. 21. ostensum est.

41. Sexta est, facere falsa miracula. At Pontifex facit falsa miracula Laureti apud statuam B. Virginis, & alibi. Respondeo. Pontifex non facit miracula Lauretana, sed Deus. Deberent aduersarij ostendere, Pontificem facere ea miracula, quæ Scriptura dicit facturum Antichristum: cuiusmodi sunt hæc duo. 1. Ignem de cœlo deducere. 2. Efficere, vt imago bestiæ loquatur (Apoc. 13. 13.) Neutrum adhuc legimus factum à Pontifice.

42. Septima est, imprimere subditis characterem. At hoc facit Pontifex: Ergo est Antichristus. Respondeo. Aduersarij dissentiunt in modo explicandi, quis sit ille character. Bullingerus vult esse vnctionem chrismatis, quo Christiani signantur in fronte, quando suscipiunt Sacramẽtum Confirmationis. Theodorus Bibliãder dicit esse professionem Romanæ fidei. Chytræus addit tria. 1. iuramentum fidelitatis, quod Pontifici præstatur. 2. vnctionem Sacerdotalẽ, quæ in vertice & in manu accipitur. 3.

procumbere ad ſtatuas, & panem conſecratum. Similia habent Iunius, Pouelus, & alij.

43. Sed facile refelluntur. Nam character Antichriſti debet habere tres conditiones. 1. vt ſit communis omnibus, puſillis & magnis, diuitibus & pauperibus, liberis & ſeruis. 2. vt indifferenter poſſit imprimi, vel in fronte, vel in dextera manu. 3. vt nemo, niſi habens characterem, poſſit emere aut vendere. (Apoc. 13. v. 16. & cap. 14. v. 9.) At iſtæ conditiones non conueniunt vnctioni chriſmatis, nec vnctioni ſacerdotali, nec profeſſioni fidei Romanæ, nec iuramento fidelitatis, nec inflexioni corporis ad ſtatuas, vt per ſe patet.

44. Nam vnctio Chriſmatis, quæ fit in Sacramento Confirmationis, ſæpe non datur omnibus: nec indifferenter in fronte, vel in manu dextra; nec ad emptionem aut vẽditionem neceſſaria eſt. Multi Romæ, in conſpectu Pontificis, emunt & vendunt, non modo Iudæi, ſed etiam Chriſtiani, qui Sacramentum Confirmationis nunquam ſuſceperunt.

Vnctio ſacerdotalis multo minus confertur omnibus; nec vllo modo ad emendum aut vendendum requiritur.

Profeſſio Romanæ fidei non imprimitur in fronte aut in dextra manu, ſed lingua & ore perficitur. Et plurimi ſunt Mercatores Pontificij, qui nunquam profeſſionem illam, non dico, præſtiterunt, ſed ne viderunt quidem vel audierunt. Idem eſt de iuramento fidelitatis. Inflexio, non frontem aut manum, ſed genua & totum corpus afficit. Piget in re tam manifeſta diutius hærere. Quærant aduerſarij alium Antichriſtum, Pontifex certe non eſt.

45. Ex dictis colligo duo efficaciſſima argumenta

pro Pontifice. Vnum est; Ille non est Antichristus, cui non conueniunt Notæ Antichristi: At Pontifici non conueniunt Notæ Antichristi: ergo Pontifex non est Antichristus. Minorem probo, quia Notæ Antichristi, præter alias, sunt hæ tres. 1. Regnare tres annos cum dimidio. 2. interficere duos Prophetas Hierosolymis. 3. omnibus subditis imprimere characterem in dextra manu, vel in fronte. At hę Notæ non conueniunt Pontifici: ergo, & c.

46. Alterum est; Ecclesia Catholica, quæ toto orbe dispersa est, non potest errare in fide, vt probatum est alibi: At Ecclesia Catholica, quæ toto orbe dispersa est, negat Pontificem esse Antichristum, & agnoscit illum pro suo capite ac Pastore: Ergo reuera non est Antichristus, sed Caput & Pastor Ecclesię Catholicæ.

47. Hinc vlterius infero, aduersarios non habere legitimam causam suæ defectionis ab Ecclesia & Pontifice: quin potiùs, eo ipso, quod defecerint ab Ecclesia & Pontifice, a fide defeciſſe, & hæreticos factos esse. Accipiant ergo hunc syllogismum.

Omnes hæretici sunt præcursores Antichristi.
Aduersarij nostri sunt hæretici: Ergo sunt præcursores Antichristi. &c.

CAPVT XXVIII

De B. Virgine Matre Christi.

MVLTA hic disputari solent. Hæc potissimum. 1. An B. Virgo contraxerit peccatum originale? 2. An habuerit fomitem peccati? 3. An aliquando peccauerit venialiter? 4. An semper Virgo per-

manserit, etiam post partum? 5. An verum matrimonium contraxerit cum Iosepho? 6. An proprie dicenda sit Mater Dei?

QVÆSTIO I.

An B. Virgo concepta sit in peccato originali.

1. AFfirmant antiqui Scholastici, qui fuerunt ante Scotum, vt D. Thomas q. 27. art. 2. ad 2. Albertus, Bonauentura, Richardus, Durandus, Paludanus in 3. dist. 3. & multi ex recentioribus. Probatur 1. ex Scriptura, quæ generatim & sine vlla exceptione affirmat, omnes peccasse & mortuos esse in Adamo. Roman. 5. 12. *In quo omnes peccauerunt.* Et 1. Corinth. 15. 21. *In Adam omnes moriuntur.* Et 2. Corinth. 5. 14. *Omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Hæ sententiæ generales sunt, à quibus non licet aliquem excipere sine Patrum aut Ecclesiæ traditione, quæ in proposito nulla est. Hinc D. Thomas quæst. 4. de malo, art. 6. dicit, errorem esse, aliquos ex Adamo genitos per seminalem generationem immunes facere à peccato originali.

2. Probatur 2. quia Christus est vniuersalis Redemptor omnium hominum: Ergo etiam redemit B. Virginem; at non potuisset illam redimere, nisi fuisset in seruitute peccati: ergo reuera fuit in seruitute peccati. Maior patet ex illo 2. Corinth. 5. 14. *Pro omnibus mortuus est Christus.* Et 1. Timoth. 2. 6. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

3. Probatur 3. quia pœnæ peccati originalis fuerunt in B. Virgine, nempe mors, morbus, & similia: ergo & ipsum peccatum originale, quia pœna supponit culpam. Huc spectat illud Rom. 5. 12. *Per vnum*

hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors.

4. Probatur 4. quia nisi B. Virgo contraxisset peccatum originale, sequeretur eam, si ante Christum fuisset mortua, statim visuram fuisse Deum, cũ nullum haberet impedimentum. Hoc autem falsum est, quia Christus debuit omnibus aperire ianuam regni cœlestis.

5. Probatur 5. quia fuit singulare priuilegium Christi, quod natus sit sine peccato originali, iuxta illud Lucæ 1.35. *Quod nascetur ex te sanctum.*

Probatur 6. quia prædestinatio & reprobatio hominum facta est ex præuisa massa perditionis, vt passim docet Augustinus: ergo prædestinatio B. Virginis supponit illam prius fuisse in massa.

Probatur 7. quia Pius V. abstulit proprium officium conceptionis, idque propterea, quia in illo B. Virgo dicebatur immaculata & præseruata.

Probatur 8. Plerique Patres ita sentiunt, vt Anselmus lib. 2. Cur Deus homo, c. 16. Bernard. Epist. 174. & Rupertus Abbas lib. 1. in Cant. circa principium.

6. CONCLVSIO. B. Virgo peccauit quidem in Adamo, & ex vi suæ conceptionis fuit obnoxia, vt contraheret peccatum originale; non tamẽ contraxit illud peccatum, eo quod per diuinam gratiam fuerit præseruata. Prima pars probatur ex illo Rom. 5. 12. *In quo omnes peccauerunt.* Item ex eo, quod Christus sit Redemptor totius humani generis. Secunda sequitur ex priori, quia si peccauit in Adamo, ergo hoc ipso, quod ex Adamo per naturalẽ generationẽ nata est, habuit debitũ cõtrahendi peccatũ originale ab Adamo. Tertia pars defenditur à Scoto in 3. dist. 3. & multis aliis Scholasticis. Fundamentum consistit

in his tribus punctis. Primo, quia potuit fieri, vt B. Virgo cõciperetur sine peccato originali, cum nulla appareat repugnantia. Secundo, quia decuit ita fieri, cum esset futura mater Dei. Tertio, quia Scriptura, Patres, & Ecclesia insinuant ita factum esse.

7. Probatur 1. quia ex Scriptura constat Adamum gessisse figuram Christi, Rom. 5. 12. Et 1. Corinth. 15. 22. Sed Adam fuit factus ex terra nondum maledicta: ergo verisimile est, Christum quoque natum fuisse ex matre non maledicta, iuxta illud Lucæ 1. 42. *Benedicta tu inter mulieres.* Hanc figuram notauit S. Andreas Apostolus his verbis: *Sicut de terra immaculata factus fuerat primus homo, ita necesse erat, vt de immaculata Virgine Christus nasceretur.* Ita referunt Presbyteri Achaiæ in libro de passione eiusdẽ Apostoli.

8. Probatur 2. ex quibusdam Scripturæ locis, quæ secundum sensum spiritualem accommodantur B. Virgini, vt Cantic. 2. 1. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et cap. 4. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et Psal. 45. 5. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.*

9. Probatur 3. ex illo Gen. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Hinc enim colligitur, B. Virginem nunquam fuisse subiectam diabolo. Fuisset autem subiecta, si contraxisset peccatum originale.

10. Probatur 4. quia Ecclesia celebrat festum Conceptionis, & Sixtus IV. in extrau. *Cum præexcelsa*, inuitat omnes ad hoc festum celebrandum, concessis indulgentiis. Hanc extrauagantem approbauit Pius V. & Concilium Trident. sess. 5. Similiter Alexander VI. Iulius II. & Leo X. approbarunt, & priuilegiis ornarũt quendam ordinem religiosum, peculiariter institutum ad honorem immaculatæ

Conceptionis B. Virginis. Denique Concil. Basileense sess. 36. definiuit, B. Virginem sine peccato originali conceptam esse, quamuis Martinus V. hanc sessionem non approbauit.

11. Probatur 5. quia in Academia Parisiensi, Valentina, & aliis quibusdam, nemo potest fieri Doctor Theologiæ, nisi iuramentum præstet, numquam se hanc veritatem oppugnaturum.

12. Probatur 6. quia Deus solet vnicuique dare gratiam conuenientem suo statui & dignitati: Sed B. Virgo excellit omnes homines & Angelos in dignitate, cum sit mater Dei: ergo debet omnes excellere in gratia. Cum ergo Angeli & primi parentes producti sint in gratia sanctificante, non debuit hoc negari matri Dei; præsertim cum ipsa sit regina hominum, & Angelorum.

13. Probatur 7. quia Christus dispensauit cum matre sua in aliis legibus, præsertim in lege fomitis; & in illa: *In dolore paries filios*: & in illa; *In puluerem reuerteris*. Ergo verisimile est, quod etiam dispensauerit cum illa in lege peccati.

14. Postremo, Accedit authoritas Patrum, & præsertim Conc. Tridēt. sess. 5. vbi sic habet: *Declarat sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & immaculatam Virginem Mariam.*

15. Ad primum argumentū contrarium patet solutio ex dictis. Nam B. Virgo peccauit quidē in Adamo, & in eo mortua fuit: non tamen in se contraxit peccatum originale, quia in ipso conceptionis instāti per gratiam sanctificantem præseruata est. Ad secundum, Christus fuit vniuersalis redemptor omnium hominum, & sua redemptione effecit, vt

B. Virgo non contraheret in se peccatum originale, ad quod contrahendum erat obnoxia. Hic modus redimendi est nobilissimus. Ad tertium, Pœnæ peccati fuerunt in B. Virgine, quia peccauerat in Adamo. Ad quartum, Si B. Virgo fuisset mortua ante Christum, expectasset in limbo Patrum, donec Christus aperuisset ianuam regni, quæ fuerat clausa per peccatum Adami, in quo etiam B. Virgo peccauit. Ad quintum, Priuilegium Christi in eo consistebat, quod ex vi suæ conceptionis nasceretur sanctus, quod de B. Virgine dici non potest. Ad sextum, prędestinatio facta est ex massa corrupta per actuale peccatum Adami, non per peccatum originale. Ad septimum, Pius V. non ideo mutauit officium conceptionis, quasi aliquid falsi in eo contineretur, sed quia voluit omnia reuocare ad antiquum morem, ideoque etiam B. Annam, & S. Rochum ex Calendario expunxit. Ad octauum, fatendum est, aliquos Patres contrarium sentire.

QVÆSTIO II.

An B. Virgo habuerit fomitem peccati?

1. SVppono ex capite 12. quæst. 5. fomitem peccati dupliciter spectari posse: Vel in actu primo, vel in actu secundo. Fomes in actu secundo, est actualis quędam motio appetitus sensitiui ad obiecta sensibilia turpia, & rationi contraria, ipsam rationem præueniens, & ad peccatum inuitans. Fomes in actu primo, est ipsemet appetitus seu naturalis eiꝰ inclinatio, quatenus est proxime dispositа ad supradictam motionem.

2. PRIMA CONCLVSIO. B. Virgo numquam habuit fomitẽ in actu secũdo. Ita D. Thomas quęst.

2 7. art. 4. ad 1. & Richardus de S. Victore libro 2. de Emmanuele cap. 29. vbi docet in B. Virgine nullum fuisse internum bellum, sed summam pacẽ. Et citat illud Psalm. 45. 10. *Auferens bella vsque ad finem terræ.* Vnde concludit, illam solam inter puros homines in hac vita impleuisse ex omni parte præceptũ illud, *Diliges Dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo*, quia non tantum tem præceptam, sed etiam finẽ & modum præcepti assecuta est. Et capite 31. dicit, *in cæteris Sanctis magnificum fuisse, quod à vitijs non sint expugnati: in Virgine autem, quod nec impugnata fuerit.* Ratio conclusionis est, quia eiusmodi motiones appetitus sensitiui ex se indecẽtes & inordinatæ sunt: tametsi nõ sint culpabiles, nisi accedat cõsẽsus: at verisimile est, Matrẽ Dei non habuisse aliquid indecẽs & inordinatũ.

3. Secvnda Conclvsio. Fomes in actu primo vel fuit ligatus in B. Virgine, vt docet D. Thomas loco citato: vel fuit sublatus & extinctus, vt volunt Scotus, Gabriel, & Almainus in 3. dist. 3. Ratio est, quia infallibiliter factum est, vt appetitus sensitiuus nullum inordinatum motum habere potuerit in B. Virgine. Quæres, quomodo id factũ sit. Aliqui putant factum esse per solos habitus seu qualitates inhęrentes, quæ potuerint continere appetitum sensitiuum, ne contra rectam rationem moueretur. Sed non placet. Sicut enim soli habitus vitiosi non possunt impedire naturalem inclinationem ad bonum: ita nec habitus boni per solã informationẽ possunt impedire naturalem inclinationem ad actus inordinatos. Dicendum igitur, duobus modis fieri potuisse, vt appetitus sensitiuus in B. Virgine non potuerit exire in actum aliquẽ inordinatũ. 1. per solã extrinsecã prouidentiã Dei, vel impedientem obiecta, quæ

possent appetitum mouere ad actum inordinatum; vel negantem concursum suum ad eiusmodi actum. 2. Partim per habitus inhærentes, partim per actualem gratiam excitantem & adiuuantem.

QVÆSTIO III.

An B. Virgo aliquando peccauerit venialiter?

1. CAluinistę & Lutherani docent illam peccasse instar aliorum hominum. Ita Caluinus in Harmonia circa caput primum Lucę, Kemnitius in examine Concilij Tridentini sess. 5. Brentius in caput 12. Matthæi, Magdeburgenses Centuria 1. in vita Mariæ.

2. PRIMA CONCLVSIO. Certum videtur, B. Virginem numquam peccasse, nec mortaliter, nec venialiter. Est communis sententia Catholicorum, & dicitur esse definita in Concilio Claremontano sub Vrbano 2. vt refert Andreas Vega, libro 14. in Tridentinum cap. 18. Fauet etiam concilium Tridentinum sess. 6. can. 23. vbi dicit, Ecclesiam tenere, B. Virginem ex speciali priuilegio omnia peccata venialia vitasse. Probatur 1. ex iis omnibus, quibus supra ostensum est, Beatam Virginem fuisse immaculatam & immunē à peccato originali, nec habuisse motus vllos inordinatos. 2. Authoritate Patrum; Celebre est illud Augustini libro de natura & gratia capite 36. *Cum de peccatis agimus, nullam de Virgine Matre haberi volo quæstionē.* Item illud Bernardi serm. 2. de Assumptione: *Absit, vt proprij quicquā inquinamenti hæc aliquando habuisse dicatur.* Similia habent Rupertus lib. 7. de Trinitate capite 13. Richar-

dus de sancto Victore super Cantica cap. 19. & alij.

3. Accedit ratio D. Thomæ quæst. 27 art. 4. quia quos Deus elegit ad aliquid, solet ita disponere & præparare, vt sint idonei ad id, ad quod eliguntur, iuxta illud 2. Corinth. 3. 6. *Idoneos nos fecit ministros Noui Testamenti.* At Beata Virgo fuit diuinitus electa vt esset Mater Dei: Ergo Deus per suam gratiam fecit illam idoneam ad hoc munus. Nō autem fuisset idonea, si aliquando peccasset. Primo, quia honor parentum redundat in prolem. Prouerbiorum 17. 6. Ergo per oppositum, ignominia matris redundasset in filium. Secundo, quia Beata Virgo habuit singularem affinitatem ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem 2. Corinth 6. 15. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* Tertio quia *in malenolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap. 1. 4. At Christus, qui est Dei sapientia, habitauit in anima & in corpore Beatæ Virginis: Ergo nullum ibi fuit peccatum. Quo spectat illud Psalm. 45. 5. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* Et Cant. 4. 7. *Tota pulchra es, & macula non est in te.*

4. Secvnda Conclvsio. B. Virgo in hac vita non fuit impeccabilis ab intrinseco per visionem beatificam, aut vnionem hypostaticam, vt omnes fatentur, sed per confirmationem in bono. Habuit enim talia dona & auxilia gratiæ, vt infallibiliter nū quam peccaret. Et hoc est speciale priuilegium, quod iuxta Concilium Tridentinum illi concessum est.

5. Dices 1. Scriptura generatim affirmat, omnes esse peccatores. Hinc omnibus prescribitur à Christo illa precandi formula *Dimitte nobis debita nostra.*

Respondeo, quando Scriptura loquitur generatim, non excludit speciale priuilegium B. Virginis, vt Concilium Tridentinum sess. 5. declarauit. Addo, potuisse B. Virginem pro tota Ecclesia dicere *Dimitte nobis debita nostra.*

6. Dices 2. B. Virgo ex humana quadam ambitione rogauit filium suum in Cana Galileæ, vt miraculum faceret, & ideo reprehensa fuit à filio his verbis: *Quid mihi & tibi est mulier?* ita videtur exponere Chrysostomus homilia 20. in Ioannem. Respondeo. B. Virgo non fecit hoc ex ambitione, sed ex fide & charitate. Nam ex vna parte firmiter credebat, Christū posse facere quicquid vellet: ex altera, cupiebat ex charitate subuenire sponso nō habenti vinū. Ita Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 22. Porro illa verba, *Quid mihi & tibi est mulier*, possunt dupliciter exponi. Primo sic, Quid ad nos attinet? Secundo sic, Quid mihi tecum est? nempe in faciendo miraculo. Hoc enim non pendet ex humano affectu Matris, sed ex diuina potentia. Iuxta hunc sensum non sunt verba obiurgatoria, sed instructoria. Nam Christus instruit Matrem, vel potius alios, qui erant præsentes, qua virtute & affectu miracula patrari debeant. Chrysostomus excessit in modo loquendi, vt notat D. Thomas quæst. 27. art. 4. ad 3.

QVÆSTIO IV.

An B. Virgo semper permanserit in virginitate?

1. TRiplex potest esse quæstio. 1. An permanserit Virgo in Conceptione Christi? 2. An in partu? 3. An post partum?

2. Prima Conclvsio. B. Virgo non concepit Christum ex viri semine, sed sola Spiritus Sancti virtute & operatione; ideoque virginitatem concipiẽdo non amisit. Est articulus fidei. Et probatur 1. ex Scriptura. Matth. 1. 18. *Inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto.* Et infra: *quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Et Lucæ 1. 35. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et Isaiæ 7. 14. *Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Deinde ex figuris huius mysterij, quæ sunt potissimum sex. 1. Adam ex terra virginea solius Dei opera formatus. 2. Melchisedech sine patre & sine matre. Nam Christus, vt Deus, non habuit matrem: & vt homo, non habuit patrem. 3. virga Aaron, quæ floruit. 4. Lex digito Dei scripta in tabulis lapideis. 5. vellus Gedeonis plenum rore cœlesti. 6. Rubus ardens incõbustus. Vide Patres, qui has figuras explicant, apud Suarez tom. 2. disp. 5. sect. 1.

3. Dices 1. Christus non solum dicitur habuisse matrem, sed etiam patrem: Ergo non est conceptus ex virgine. Antecedens patet ex illo Lucæ 2. 33. *Erat pater eius, & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.* Et infra: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Respondeo. Ioseph dicebatur pater Christi, non quod reuera pater esset, sed quia ad famam Virginis conseruandam ab omnibus putabatur esse pater, iuxta illud Lucæ 3. 23. *Iesus erat quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph.* Vide D. Thomam quæst. 28. art. 1. ad 1.

4. Dices 2. Matthæus capite 1. asserit, Christum fuisse filium Abrahæ, & Dauid: & hoc probat, quia Ioseph descendit ex Dauide. Hęc autẽ probatio nõ valeret, nisi Ioseph esset pater Christi. Respondeo,

Ioseph & Maria erant ex eadem tribu, & ideo recte probatur, Christum Virginis filium esse ex familia Dauid, si ostensum fuerit, Ioseph um esse ex familia Dauid. Vide D. Thomam loco citato ad 2.

5. SECVNDA CONCLVSIO. B. Virgo pariendo filium non amisit virginitatem. Est contra Iouinianum, & quosdã alios hæreticos. Et patet ex Scriptura. Isa. 7. 14. *Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Et Matth. 1. 22. *Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem, Ecce Virgo in vtero habebit & pariet filium.* Et Psal. 21. 16. *Tu es, qui extraxisti me de ventre.* Quibus verbis significatur, Christum diuina virtute exiuisse de vtero, vt interpretatur Cyrill. catechesi 12. Vnde Augustinus Epist. 120. cap. 12. sic habet: *Quid est, tu es qui extraxisti me de ventre, si ad ipsum Iesum de Virgine procreatum refertur? An inde significare volunt partum Virginis seruata virginitate mirabili.*

6. TERTIA CONCLVSIO. B. Virgo post partum coluit perpetuam virginitatem, nec vllum actũ matrimonij exercuit. Est de fide, contra Heluidium Hæreticum. Et probatur 1. ex illo Ezechielis 44. versu 2. *Dixit Dominus ad me: porta hæc clausa erit, & vir non transibit per eam, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Deinde ex traditione, consensu, & definitione Ecclesiæ. Nam in Conciliis sæpe dicitur, *Deipara semper Virgo.* Et in 6. Synodo actione 11. sic legimus: *Mariæ virginitas ante partum, in partu, & post partum intemerabilis.* Accedit ratio, quia sicut Christus est vnigenitus patris, ita decuit, vt esset vnigenitus matris. Vide plura apud D. Thomam, quæst. 28. art. 3. & apud Suarez disp. 5. sect. 3.

7. Primo obiicitur illud Matthæi 1. 18. *Cum Maria esset*

desponsata Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto. Vbi illa particula, *antequã conuenirent*, insinuat eos postea conuenisse, & matrimonium consummasse. Et confirmatur ex eo quod sequitur ibidem v. 25. *Non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum.* Nam illa particula *donec* significat quod postea eam cognouerit. Respondent Patres, per vtramque particulam significari, quid eo tempore factũ non fuerit: nihil tamen affirmari, quid posteriori tẽpore factũ sit. Itaque sensus prioris particulæ est, *antequã conuenirent*, id est sine eorũ coniunctione carnali. Simile est illud Matthæi 6. 8. *Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eũ*, id est, vobis etiam non petentibus. Item illud. *Antequam sacrum audirem, discessi*, id est discessi non audito sacro. Similis est sensus alterius particulæ, *donec*. Solum enim negat id fuisse factum vsque ad illud tempus, vt notat Augustinus lib. 83. quæstionum, quæst 69. Et probat ex illo Psalm. 109. 1. *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Vide D. Thomam quæst. 28. art. 3. ad 1. Hieronymum libro contra Heluidium, & Suarez loco citato.

8. Secundo obijcitur illud Mathæi 1. 25. *Peperit filiũ suum primogenitum.* At primogenitus non dicitur, nisi qui habet fratres subsequentes, iuxta illud Romanorum 8. 29. *Primogenitus in multis fratribus.* Ergo Christus habuit plures fratres: Ergo Mater eius non mansit Virgo post partum. Respondeo. in Scriptura appellatur primogenitus, non solum is, quem alij fratres sequuntur, sed etiam is, qui primus natus est, etiam si nulli sequãtur. Vnde in veteri lege mandatum fuit, vt primogenita intra vnum mensem

redimerentur; nec licebat expectare, donec alia post primogenita nascerentur. Vide D. Thomam art. 3. ad 4.

9. Tertio obijcitur illud Ioann. 2. 12. *Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius.* Nam hinc colligitur, B. Virginem habuisse alios filios præter Christum. Sicut etiã ex illo Matth. 12. 47. *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Et Act. 1. 14. *Erant perseuerantes in oratione cum Maria Matre Iesu, & fratribus eius.* Et 1. Corinth. 9. 5. *Nunquid non habemus potestatem, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini?* Respondeo. Duplex est solutio. Vna probabilis; Iosephum prius habuisse aliam vxorem, & ex illa genuisse filios, qui dicuntur fratres Domini. Ita passim Græci Patres, & ex Latinis Hilarius, & Ambrosius. Altera probabilior, eos qui dicuntur fratres Domini, non fuisse filios Iosephi, sed appellari fratres Domini propter aliquam consanguinitatem. Ita Hieronymus libro cõtra Heluidium, Augustinus libro 22. contra Faustum capite 35. & Tract. 10. & 28. in Ioannem. Diuus Thomas art. 3. ad 5. Suarez disput. 5. sect 4. & alij.

QVÆSTIO V.

An B. Virgo contraxerit matrimonium cum Iosepho?

1. RRatio dubitandi est, quia votum castitatis pugnat cũ vero matrimonio: At B. Virgo habuit votum castitatis: Ergo non contraxit verum matrimonium. Confirmatur ex Patribus. Nam D. Hieronymus in caput 1. Mathæi, dicit Iosepum fuisse nutricium, non maritum. Et Bernardus hom. 2. super

Missus est: *Virum*, inquit *nominat, quia homo virtutis erat, non quia maritus*. Et Cyprianus serm. de Passione Domini, dicit, Christum in cruce separasse matrem à Iosepho, eamque Ioanni tradidisse, vt indicaret inter eos verum coniugium non intercessisse. Idem habet Ambrosius Epist. 79. & libro 2. in Lucam, in principio, & libro de Instit. Virginis cap. 6. & 7.

2. Prima Conclvsio. Certum est B. Virginem, contraxisse verum matrimoniũ cum Iosepho. Ita D. Thomas quæst. 29. art. 2. & Scholastici in 4. dist. 29 & 30. Probatur ex Scriptura. Lucæ 1. 26. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph*. Et Lucæ 2. 4. *Ascendit Ioseph in Bethlehem, vt profiteretur cũ Maria desponsata sibi vxore*. Et Matthæi 1. 19 *Ioseph autem vir eius cum esset iustus, voluit occulte dimittere eam*. Et infra: *Ioseph, fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam*. Vide Augustinum de Nuptiis & concupiscentiis cap. 11. & libro 23. contra Faustum capit. 8.

3. Secvnda Conclvsio. Hoc matrimoniũm vere & essentialiter potuit perfici sine vllo detrimẽto virginitatis. Probatur, quia tria spectari possunt in matrimonio. 1. vinculum matrimonij quod perficitur mutuo consensu, quo coniuges tradunt sibi inuicem ius & potestatem in sua corpora. 2. mutua cohabitatio in eadem domo. 3. vsus matrimonij per carnalem copulam. Hæc duo posteriora non sunt de essentia matrimonij, sed solum primum, nempe vinculum, quod mutuo consensu perficitur. Hoc autem vinculum non tollit virginitatem, vt per se patet. Confirmatur 1. quia Theologi cum Concilio Tridẽtino sess. 24. distinguunt matrimonium ratum à consummato, & supponunt illud esse verum matri-

monium. Ratum autem perficitur solo consensu vtriusque partis, vt definitum est in Concilio Florentino in Decreto Eugenij. Confirmatur 2. Quia in statu innocentiæ fuit verum matrimonium inter Adamum & Euam, & tamen in illo statu non fuit cõsummatum. 3. Quia sicut in rebus, quæ vsu non cõsumuntur, dominium distinguitur ab vsu, & absq; illo haberi potest: ita in matrimonio potest dari potestas & dominium corporis, sine vsu copulæ carnalis, & in traditione illius dominij seu potestatis cõsistit vera ratio matrimonij, vt colligitur ex illo 1. Cor. 7. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.*

4. Ad rationem dubitandi initio propositam duplex est responsio. Vna, Ioseph & Mariam ante sponsalia conuenisse, vt neuter peteret aut redderet debitum. Hanc enim conditionem non esse contra substantiam matrimonij defendit Paludanus in 4. dist. 30. q. 2. Carthusianus in vita Christi parte 1. cap. 3. Abulensis in cap. 30. Numerorum quæst. 32. & Gerson serm. de Natiuitate Mariæ. Et ratio est, quia in matrimonio distinguitur dominium ab vsu, vt dictũ est: Ergo dominium potest tradi sub hac conditione, vt non tradatur vsus. Hęc enim conditio non est contraria traditioni dominij.

5. Altera est, B. Virginem ex diuina reuelatione contraxisse matrimonium, & eadem reuelatione intellexisse, sponsum suum libenter in perpetuam virginitatem consensurum. Ita Hugo de S. Victore in libro de virginitate Mariæ, D. Thomas. & alij Scholastici. Patres, qui in contrarium citantur, solum voluerunt significare, Ioseph non fuisse maritum per actualem copulam, quod verissimum est.

Quæstio VI.

An B. Virgo proprie dicenda sit Mater Dei?

1. Ratio dubitandi est, quia B. Virgo effectiue non cõcurrit ad vnionem humanitatis Christi cum persona Verbi, sed solum ad productionem humanitatis: Ergo non videtur posse vocari Mater Dei.

2. Prima Conclvsio. Certum est B. Virginem proprie esse matrem huius hominis, nempe Christi. Patet ex illo Ioann. 2. 1. *Erat Mater Iesu ibi.* Et Lucæ 1. 43. *Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me?* Et Matthæi 2. 13. *Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Dices: Similibus testimoniis probaretur, Ioseph fuisse patrem Christi. Respondeo. Non sequitur. 1. quia Scriptura expresse dicit, Ioseph opinione tantum hominum fuisse Patrem Christi, iuxta illud Lucæ 3. 23. *Iesus erat quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph.* Tale autem nihil dicitur de B. Virgine. 2. Eadem Scriptura affirmat, B. Virginem concepisse & peperisse filium.

3. Dices: Christus in Euangelio vbique vocat illam non matrem, sed mulierem, vt Ioann. 2. 4. *Quid mihi & tibi est mulier?* & Ioann. 19. 26. *Mulier, ecce filius tuus.* Imo videtur negare matrem, vt patet ex illo Matth. 12. 48. *Quæ est mater mea?* Respondeo. Sicut Christus vocat se *filium hominis*, id est, Mariæ Virginis: ita Mariam Virginem vocat *mulierem* per excellentiam, vt ostendat eam esse mulierẽ illam, de qua olim prædictũ fuit, Gen. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Quando autem dixit Christus, *Quæ est mater mea?* non negauit esse suam matrẽ, sed instr[illegible] ex

auditorès, non esse omittédam prædicationem verbi Dei, propter matrem, aut alios consanguineos.

4. SECVNDA CONCLVSIO. Certũ quoque est, B. Virginem proprie esse matrem Dei, vt definitum est in Concilio Ephesino, & multis aliis. Ratio est, quia B. Virgo concepit & peperit Deum: Ergo est mater Dei. Antecedens probatur, quia concepit & peperit hunc hominẽ, vt dictum est: sed hic homo in ipsa cõceptione & partu fuit Deus: Ergo concepit & peperit Deum. Huc spectat illud Gal. 4.4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Et Lucæ 1. 35. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.*

5. Ad rationem initio propositam respondent aliqui, B. Virginem effectiue concurrisse ad vnionem humanitatis cum Verbo, & ideo posse vocari matrẽ Dei. Non placet 1. quia incertum est, eam concurrisse. 2. quia concursus ille, etiamsi concederetur, non esset nisi instrumentalis, ac proinde non sufficeret ad hoc, vt Virgo diceretur Mater Dei. Nam concursus matris, debet esse per modum generantis, non autem per modum instrumenti. Igitur dicendum est, vt B. Virgo proprie ac vere dicatur mater Dei, satis esse, quod in eodem instanti temporis, quo anima Christi vnita est corpori per concursum maternum, simul tota humanitas vnita sit Verbo per efficientiã diuinam. Patet à simili, quia Iudæi vere dicuntur interfeciisse Deum, eo quod per actionem suam dissoluerunt vnionem animæ cum corpore, & eodem instanti tota humanitas, vt sic, separata est à Verbo.

FINIS.

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HOC VOlumine continentur.

In quo prior numerus folium, posterior paragraphum denotat.

A

ACcidens *immediate nequit hypostatice assumi. fol.* 89 §.1

Actus *voluntatis efficax & inefficax quis? uterque fuit in Christo circa mortem.* 219.1.2.3.4.

Actus meritorij omnes in Christo elicuti fuerunt ab habitu. 254.3. & 150

Actus liberi posteriores necessariis. 254.3 *dependentes ab vnione hypost.* 255. *potuissent elici ab auxilio actuali.* 257

Actiones Christi, *earumque valor & meritum.* 227. & 235.7

Adam *in statu innocentiæ accepit gratiam ex mera Dei liberalitate, non ex meritis Christi.* 29.23

Adami gloriæ gradus omnes ex meritis Christi pendent. 32. 6

Adam ante peccatum habuit fidem venturi Christi, ex

præuisis Christi meritis; ignorauit tamen causam incarnationis. 32.

Adoptio *humana & diuina quid sint, & quas conditiones habeant.* 307. 1. & seqq.

Adoptio humana & diuina quomodo differant. 309. 1. & seqq.

Adoptio diuina fit per internam infusionem gratiæ sanctificantis. ibid. 1

Adoptionis diuinæ omnis creatura rationalis ex se capax est. 311.2

Adoptiui filij Dei sunt Angeli sancti, vti & Adamus fuit in statu innocentiæ, & omnes iusti veteris Testamenti. 312. 2. & seqq.

Adoptiui filij Dei nulli peccatores sunt pro eo tempore, quo peccatores sunt, licet sint prædestinati. 313.6

Adoptiui filij Dei sunt iusti omnes pro eo tempore, quo iusti sunt, licet alioqui reprobi sint. 316

Adoptiuus filius Dei non est Christus, in quantum homo. 315. 4

Adoptiua filia Dei non est Christi humanitas. 315.5.6

Angelus *naturali lumine non penetrat capacitatem naturæ humanæ obedientialem.* 7. 3

Non cognoscit naturaliter humanitatem Christi subsistere in verbo. 10. 3. *distincte & in particulari non cognoscit naturaliter, an hoc vel illud mysterium implicet contradictionem.* 7. 4

Angelos incarnatos fuisse Ioannem Baptistam, Melchisedecum, & alios, quidam Patres putarunt. 76.3

Angelorum gratia & gloria independens à morte Christi. 161

Angelis per prædicationem Apostolorum reuelata sunt multa circa Christum. 26

Angelis non meruit Christus gratiam aut gloriam, sed ali-

quarum rerum reuelationem. 261
Angelica natura potest hypostatice assumi. 86.2
Anima *Christi nihil intellexit formaliter per scientiam increatam.* 155.3
Antichristum *fore damonem incarnatum quidam putant.* 76.3
Antichristus nondum venit. 354.2
Antichristus non veniet ante extinctum Imperium Romanum. 354.2. & 256
Antichristo præuia discessio apud Apostolum quid significet. 358.10. & *seq.*
Antichristi tempore duo testes venturi, & qui illi. 360.13. & *seq.*
Antichristum venisse qui Aduersarij probent. 352.23. & *seqq.*
Antichristum Iudæi pro Messia recipient. 366.29
Antichristus quot annos regnaturus. *ibid.*28
Antichristi notæ. 369.35
Appetitus Christi. *Vide fomes peccati, dolor, tristitia, timor.*
Assumptio *connotat duplicem respectum.* 60.1. & 65.2
quomodo differat ab incarnatione & vnione. 60.2
Attributa *diuina immediate communicari nequeunt humanitati.* 117.5. & 122.2

B

BEatitudo. *Vide visio beatifica.*
Bestia *Danielis c.7. quid designet.* 256.5

C

CAluinus & *Lutherus an sint duo testes venturi tempore Antichristi.* 362.17
Caput *Ecclesiæ triumphantis & militantis est Chri-*

ſtus. 332. 2.
Capitis nomen quomodo Chriſto conueniat. 332. 3. & ſeqq. & 335. 9.
Caput omnium membrorum vtriuſque Eccleſiæ Chriſtus. 334. 7.
Caput omnium Angelorum Chriſtus. 335. 8.
Caritas maior eſt donare vires ad ſatisfaciendum, quam gratis remittere. 15. 6
Caritas Dei erga nos in incarnatione. 31. 4.
Caro Chriſti viuificatrix quomodo. 186. 11
Chriſtum eſſe Deum ex ſolis miraculis non potuit colligi. 10. 2
Chriſtus eſt finis omnium operum diuinorum ſecundum diuinitatem; ſecundum humanitatem poteſt dici finis creaturæ per ipſum reſtauratæ. 22. §. 9. & 10.
Chriſti generatio vocatur aliquando creatio, & cur. 24. 13
Chriſtus quomodo dicatur primogenitus omnis creaturæ. 26. 16.
Chriſtus non fuiſſet incarnatus, ſi Adam non peccaſſet, vi illius decreti quo incarnatus eſt. 29. 1
Chriſtus an veniſſet ſi non fuiſſet originale peccatum, propter ſola actualia, incertum eſt. 38. 8
Chriſtus ſuſtinendo pœnam ſenſus huius vitę ſatisfecit prę culpa, pro pœna ſenſus & damni; itavt homo non ſtatim ſit liber à pœna ſenſus temporali. 30. 11
Chriſtus ſubſiſtit in duabus & ex duabus naturis; eſtque vna perſona ſeu hypoſtaſis. 94. 2. & 99. 2
Chriſtus ad dexteram Dei ſedens, quomodo intelligatur. 129. 13. 14
Chriſtus per ſcientiam infuſam potuit Deum abſtractiue cognoſcere, & Trinitatem eſſe. 161. 9. 10. an etiam intuitiue omnes creaturas poſſibiles. 175. 10.
Chriſtus vi viſionis beatificæ non cognoſcit omnes creaturas

possibiles. ibid. 9. *Cognouit omnia per scientiam infusam circa se, Angelos, & homines, modo tamen diuerso.* 178.2. & 180.3. 4.
Christus viator simul & comprehensor quomodo. 234.4.5.6. *quibus actionibus meruerit.* 233. & 234. *à primo instanti conceptionis vsque ad mortem meruit.* 236. & seqq. *meruit sibi gloriam corporis, & nominis exaltationẽ, &c.* 241.2.3. *meruit cæcis, quos illuminauit, visum.* 256.6. *non indiguit actuali dispositione ad infusionem gratiæ.* 258.9.
Christus Saluator fuit in primo aduentu, non Iudex. 352.1.
Christus in secundo aduentu Iudex. *ibid.*
Cognitio *Dei semper est actualis.* 49.11
Communicatio *idiomatum quid sit, & vnde oriatur.* 106. 1.2.3.4.5. & 116.2.3.4.5. & 198.4. & 228.4.5.
Comprehensoris *status & conditio.* 234.4.5.6.
Concupiscentia. *Vide fomes peccati.*
Creatus & *creatura quo sensu dicendus Christus.* 105.2.3. & 115.19.20.21.22.

D

DEbitum *connaturale non datur per modum præmij eo tempore quo debitum est.* 255.4.5.6.
Defectus *corporis communes toti naturæ humanæ, non tamen particulares, assumpsit Christus, nõ antẽ contraxit.* 188.
Defectus ex parte animæ. 190.
Dependentia *humanitatis Christi à Verbo, eiusque fundamentum.* 46.4
Deus *non mutatur per Incarnationem.* 8.6. & 114.13.
Deus communicat se naturaliter ad intra dupliciter, libere ad extra tripliciter. 12.3
Deus essentiam suam communicare non potest creaturæ. ibi. 4.
Deus quomodo conceptus ex Virgine. 44.4. *Et genitus.* 114.14.

Deus adæquate amat & cognoscit seipsum, inadæquate creaturas. 72.3
Dispositio *ad gratiã quibus & cur necessaria* 258.9.& 10
Donum *linguarum habuit Christus.* 148
Dona item Spiritus S. & quomodo. 152.1.
Dolor *quid sit.* 202.1
Dolor sensibilis fuit in Christo, & quomodo. *ib.* 2.& .8
Efficax *voluntas Christi.* 128.& 129.& 204.& *seq.*
Fides *donum Spiritus S. fuit in Christo; & quid sit.* 146.1.2.4
Fidei Theologicę habitum Christus non habuit, nec actum in intellectu. 149.2.4.& 159.12
Fides quomodo necessaria. 159.12
Figura *quælibet potest terminare eam quantitatem cui potest vniri.* 76.4
Filij *Dei persona sola incarnata est, cur, & quomodo.* 62.3.4.5.6
Filius Dei naturalis est Christus per ęternam generationem; & Christus homo per communicationem Idiomatum, & Christus inquantum homo, idque dupliciter. 318.3.& *seq.*
Filiatio in Christo respectu Dei, est duplex, creata & increata. 320.8
Filius Mariæ Virg. est Christus secundum humanitatem, non autem filius Spiritus S. 321.11
Finis *creaturæ per ipsum restauratæ est Christus.* 22.9.10
Fomes *peccati quid sit, & quarum potentiarum: non fuit in Christo.* 197.& *seq.*
Forma *substãtialis sine materia potest hypostaticè assumi.* 89
Gaudium *beatificum Christi non fuit diffusum in appetitum sensitiuum.* 204.6. *potuit simul esse cum tristitia voluntatis.* 207.7.
Gloriam *corporis meruit Christus.* 241.2
Gratia *Christi habitualis, eiusque effectus, & cur data Christo.* 134.5.6.7.10.11

quando, & quomodo data Christo, à quo effectiue producta. 137. 1. 2. 3. *fuit finita qualitas.* 140. 3. *in ratione gratiæ fuit quodammodo infinita.* 141. 5. *per ordinariam Dei potentiam augeri non potuit, potuit per extraordinariam.* 142. 2. 3.

Gratia vnionis hypostaticæ substantialis, & infinita fuit, 135, 6. & 139. 1. *nec potuit augeri.* 141. 1

Gratia actuali non indiguit Christus. 143. 2. 3. 4

Gratiæ gratis datæ omnes in eo fuerunt. 146. 1, 2, &c.

Gratiam habitualem non meruit sibi Christus, potuisset tamen. 160

Gratiæ habitualis formalis effectus est facere sanctum iustum Deo gratum. 317. 8

Habitus *luminis scientiæ infusæ in Christo.* 163. 4. 5. 6. 7

Habituale peccatum non potest esse in Christo. 196 1.

Homo *vniuoce dicitur de nobis, Iesu, Christo, Deo.* 111. 5. 6.

Homo factus est Deus, improprie dicitur. 115. 15

Humanæ *naturæ separatio à propria subsistentia non fuit secundum capacitatem naturalem.* 10. 3

Humanitas Christi non est vbique. 122. 2. 3. 4. 5. *non meruit vnionem hypostaticam; potuisset mereri de congruo.* 245. 2, 3. & 5, 6, 7.

Hypostasis. *vide Persona.*

Iesus *significat personam Verbi quatenus est naturæ humanæ præcisè.* 110

Imperij *inclinatio variis temporibus facta* 255. 3

Incarnatio, *vnio hypostatica, assumptio humanitatis ad personam Verbi, eandem rem significantes aliquo modo inter se differunt* p. 5

Incarnatio ex fide certa est, p. 5. § 1. a. p. 9. § 1. lumine naturali euidenter demonstrari nequit esse possibilem, aut impossibilem. p. 6. § 2. & 5. aut factam esse. 9. 1.

Incarnatio est conueniens Deo, homini, & vniuerso. p. 11.

§.2. & p.13.§.6. & 7. *est summa communicatio Dei ad extra in triplici genere causæ.*12.3. & 5. *est conuenientissimum remedium redimendi homines.*16.7. & p. 18. §.5. *non omnino necessaria fuit ad redemptionem.* 17.1

*Incarnatio facta est primario ob redemptionem humani generis.*p.19.§.4.5.6. & p. 21. §. 7. *propter eandem redemptionem à Deo prædestinata est.* 22.8

*Incarnationis decretum prius est quam prædestinatio hominum particularis.*28.22.*eiusdem præfinitio respectu peccati originalis & actualium.* 34.2. & p.34.§.3.4.5.6.

*Incarnatio conuenienti tempore facta est.*40.§.1.2. & p.40. §.3.4

Infans *Christus meruit.* 240. 11

Ignis *quem Antichristus de cœlo descendere faciet qualis.* 367. 1. & *seq.*

Instrumentum *absens agere non potest, etiamsi præsens sit causa principalis.* 187.14

Intellectus Christi. *Vide Anima, & Scientia Christi.*

Iustitia *an inter Christum & Deum esse possit.* 179. 10. & *seq.*

Legi *naturali Christus secundum humanitatem fuit subiectus.* 183. 2

*Legi Mosaicæ Christus non fuit subiectus de iure, sed de facto.ibid.*5. *nec Legi Euangelicæ.* 185. 8

Legis lator fuit Christus. 201.2

Legis à Christo latæ quæ præcepta. 202.3

Libertas *voluntatis in quo consistat.* 212.1

Libertas arbitrij consistit cum impeccabilitate. 215.1.2.3. & c.

Lumen *gloriæ quod ad visionem beatificam requiritur, an distinctum à lumine scientiæ infusæ.* 164.§.7

Maria *Virgo meruit circumstantiam incarnationis.* 20

B. Virgo peccauit in Adamo & obnoxia fuit vt contraheret originale peccatum, non tamen contraxit. 375. 6. *nec*

mortaliter nec venialiter peccauit.380.2.& seq.quomodo fuerit impeccabilis.381.4.carnit fomite peccati.379.2.& seq.

B.Virgo in nuptiis Canæ Galileæ non ambitiosè locuta. 382.6

B. Virgo non amisit Virginitatem in conceptione.383.2. nec in partu.384.5.nec post partum. ibid.6

B.Virgo Matrimonium contraxit cum Ioseph. 387.2

B.Virginis Matrimonium sine detrimento Virginitatis potuit perfici. ibid.3

B.Virgo ex reuelatione cognouit Sponsum suum in virginitatem consensurum.388.5. conuenit cum Sponso ante matrimonium, vt neuter peteret aut redderet debitum. ib.4

B.Virgo proprie mater huius hominis, id est, Christi dicitur 389.2

Materia *prima potest assumi hypostatice absque forma.*881.

Matrimonium *non significasset vnionem Christi cum Ecclesia, si Adam non peccasset.* 33.9

Matrimonium B.Virg.Vide Maria Virgo.

Mediator *Dei & hominum quomodo sit Christus.* 194. *& seq.*

Mediatores quo sensu dicantur Sancti. 194.2

Meritum *Christi infinitum.* 226.230. *&c.*

Merito nostro quid opus. 232.7

Meriti conditiones. 233.2

Meritum Christi dependens fuit ab ipsius passione & morte. 235

Meritum an promissionem præmij requirat. 236.8

Meritum ordine naturæ prius præmio. 258. *&* 259.11.2

Meruit nobis Christus gratiam iustificantem primam. 162.1

Item dona gratiæ quæ illam sequuntur.ib.2. Item vitam æternam.163.3. Item dispositiones quib.præparamur ad primam gratiam. ib.4.5

Merita Christi quando nobis applicari dicantur. 168.2

Merita Christi applicantur omnibus adultis etiam reprobis. 169. 4

Meritum Christi quomodo efficax, aut contra, respectu reprobo-rum. 170. 6. *& seqq.*

Merita Christi non applicantur omnibus æqualiter. 172. 12

Meritum Christi latius patet quam satisfactio. 178. 4

Miracula *quæ potentia fecerit Christus.* 183. 6

Morbus *in Christo nullus.* 189. *Vide Defectus.*

Morte *voluntaria consummatæ actiones Christi fuerunt meriti infiniti.* 235. 7. 8. *Vide præceptum moriendi.*

Natura *diuina nec per seipsam immediate, nec per suam existentiam, nec per subsistentiam absolutam (quæ nulla est) potest substantialiter vniri humanitati, aut eam terminare.* 66. 3. 4. 5. 6.

Natura diuina non potest concipi vt possibilis, sed tantum vt actu existens. *ibid.* 4

Natura terminata propria subsistentia non potest terminari simul aliena. 70. 5. *&* 91. 1. 2. 3.

Naturæ humanæ partes quæ & quo ordine assumptæ à Verbo. 80. 2. *&* 82. 7. 10. *&* 84. 1. 2. 3. 4

Natura etiam irrationalis potest vniri Deo hypostatice. 86. 3

Nestorij *hæresis.* 98. 1

Omnipotentia *communis toti Trinitati.* 182. 1

Opera *Dei ad extra sunt communia tribus personis.* 62. 2

Opera Christi meritoria dependent ab vnione hyp. tanquam à principio meriti. 252.

Operari ex habitu perfectius est, quam sine illo. 260. 13

Opera iustorum quæ procedunt ex gratia per Christum data, habent sufficientem dignitatem & valorem respectu augmenti gratiæ & gloriæ. 275. 3

Opera iustorum non habent rationem perfecti meriti nisi accedente Dei promissione. 276. 4

Ordo *in consilio Dei circa incarnationem, præscientiam peccati, & cætera* 35.6
Ordo quo partes humanæ naturæ assumptæ à Verbo. 84.1. 2.3.4.
Ordo inter vnionem hypost. habitus & actus in Christo. 254.3
Oratio *Christi.* 239.9
Orauit vere Christus in hac vita pro se & nobis 293.1. *Et quare orauerit in hac vita.* 296.1.& *seqq.*
oratio Christi an semper fuerit exaudita. 298.1.& *seqq.*
Orat pro nobis in cœlo Christus interpretatiue. 201.1.& *seqq*
Originalis *peccati remedium prius fuit initũtum quam actualium peccatorum.* 36.3
originalis peccati maior miseria fuit, quam actualium. 37.5. & 7. & *seq.*
Originalis etiam debetur pœna sensus in hac vita. 39
Originale peccatũ non fuit in Christo. 190
Passiones in Christo. *Vide dolor, tristitia, timor, fomes peccati.*
Pater *quomodo miserit filium suum in hunc mundum.* 325.7
Pater & filius quomodo mittant Spir. S. ib.
Peccata *quomodo remiserit Christus.* 182. & 183
Peccatum nullum in Christo. 190
Perfectius *ordinari potest ad minus perfectum tanquam ad finem proximum.* 28.21.
Perfectio diuina quælibet absoluta omnes alias includit. 68.
Perfectiones diuinæ absolutæ non possunt substantialiter communicari, ibid.
Personæ *diuinæ omnes sunt principium efficiens incarnationis, sola persona Verbi est principium terminans.* 60.1. & 62.3.4.5
Persona Verbi cur sola incarnata 37.4. *Quomodo incarnata,* 63.6.
Personæ diuinæ plures eandem naturam possunt assumere; sic-

que assumpta humanitate esset vnus homo, non tres. 66.2.3
Persona diuina vna potest assumere plures naturas; nec ita esset plures, sed vnus, v. g. homo. 71. 1. & 73. 4. 5. 6. 7.
Persona creata alienam naturam assumere potest virtute diuina 75. 2. *quidam Patres hoc in al. quibus factum putarunt.* 76 3. *quomodo id fieret.* 77. 5. 6
Persona quomodo à supposito differat. 87. 5
Persona Christi est terminus vnionis hypost. 100.
Persona Christi est composita. 102. 2. 3.
Persona intellectualis naturam sibi vnitam gubernare tenetur. 194. 5
Persona Verbi non potest dici prædestinata à Deo ad esse filij naturalis. 312. 2. & seqq
Persona Verbi non potest dici prædestinata ad beatitudinem increatam. ibid. 4.
Pœnam *sensus sustinendo satisfecit Christus pro culpa & pœna.* 39. 11.
Pœnitentiæ *virtus quomodo fuerit in Christo.* 151. 1. 2. 3
Pontifex *Romanus non est Antichristus.* 366. 27
Potentia *diuina est prima ratio efficiendi incarnationem.* 63. 6.
Potentia Christi ad facienda miracula & remittenda peccata qualis 182. & seqq. *quid per eam potuerit* 187. 15. 16
Præceptum *moriendi & alia Christus libere seruauit, & quibus modis* 215. 2. 3. 4. &c & 217 7. 8. 9.
Præceptum speciale moriendi pro hominibus habuit Christus. 285. 9
Præceptum moriendi quod habuit Christus an fuerit præceptum proprie dictum. 286. 10
Prædestinatum *non esse ab æterno Christum quatenus est homo, vt in tempore sit filius Dei naturalis, probabilius est.* 325. 1.
Prædestinationis obiectum non debet includere terminum pre-

destinationis. *ibid.* 2
Prædestinatus filius Dei ex virtute &c. Rom. 8. *quando dicatur Christus.* 347. 4. & seq.
Prædestinatus ad gratiam & gloriam, Christus secundum humanitatem dici potest. *ibid.* 6
Prædestinata dici non potest Christi humanitas ad beneplacitum, sed ad unionem hypostaticam. 348. 2. 4.
Prædestinatio Christi quo modo causa nostræ Prædestinationis. *ibid.* 1. & seq.
Præmium *Christo promissum illimitatum.* 232. 5
Prophetiæ *donum fuit in Christo, & in quo consistat.* 146. 1. 2. 8.
Propheta est Christus. 343.
Prophetarum quæ officia. 344.
Prophetarum officia Christus exercuit. *ibid.* & seq.
Rex *spiritualis Ecclesiæ est Christus qua homo.* 349 2. *non temporalis.* *ibid.* 4
Rex temporalis an Christus de iure fuerit, variæ opiniones. 349 5.
Reges decem dirabent Imperium Romanum. 355. 3. & seq.
Redemptio *hominum conuenientior est quàm angelorum* 14. 2. & 4. *potuit fieri ijsdem modis, & quæ conuenientior.* p. 15. § 4 & 5
Relatio *humanitatis Christi, & Verbi, eiusque fundamentum.* 46. 4
Relationes diuersæ inter humanitatem & Verbum, itemque inter naturam diuinam & humanam in Christo. 51. 1, 2, 3
Relatio realis resultat ex adoptione diuina. 309 3
Remissio *peccati qualis potentia facta à Christo.* 182 1. 2. 6
Sabelliani *docuerunt etiam Patrem & Spiritum S. fuisse incarnatum, eo quod essent vna persona.* 61. 2
Sacerdos *vere & proprie Christus.* 196. 2.
Sacerdos Christus secundū humanitatē non diuinitatē, ibid. 3.

Sacerdotium hoc altioris rationis quam vllum aliud. 347.6
Sacerdos quomodo secundum ordinem Melchisedech Christus ibid.
Sacramenta *moralia instrumẽta in productione gratiæ.* 187.14. *quomodo ex latere Christi fluxisse dicãtur.* 240.10.
Sacrificium *est Christus.* 197.5
Sanctitas *Christi substantialis & accidentalis.* 134.4.6.7.8.9.10. *&c.*
Sanguis *Christi totus fuit immediate vnitus personæ Verbi.* 80.2.7. *Si qua pars eius non fuit resumpta in resurrectione, non manet vnita Verbo; potest tamen adorari ob præcedentem vnionem.* 82.9
Satisfactio *Christi pro culpa & pœna.* 39.11
Satisfactio Christi includit rationem meriti, ac proin non est pura satisfactio. 277.2.
Satisfactio quotuplex. *ibid.*
Satisfecit pro nobis Christus abunde. 278.5
Satisfecit pro nobis Christus ex rigore Iustitiæ. 281.4.13
Scientia *Christi increata* 153.1.2.3. *Beatifica fuit in Christo ab instanti conceptionis.* 156.1.2.3.4. *Infusa etiam & quid per eam cognouerit.* 159.&160
Scientia infusa quibus fiat speciebus, & quo lumine 163.1.2 3.4.5.6.7.8. *an sit supernaturalis. ibid. est independens ab operatione phantasiæ* 166.2. *potest esse sine discursu, & sine interruptione.* 167.4.5.8.
Scientiæ Christi acquisitæ. 169.1.2.3.4.
Seruus *Dei an fuerit Christus & quo sensu.* 288.*&seq.*
Species *infusæ scientiæ Christi quales.* 163.2
Spei *habitus fuit in Christo; & aliqui eius actus.* 150.1.2.3 4.5.
Spes non includit necessario incertitudinem futuri boni. 211.5
Subsistentia *diuina proportionem habet principij terminantis ad creaturam.* 8.8.

Subsistentia Verbi est prima ratio terminandi incarnationem. 63.6
Subsistentia absoluta in Deo nulla datur. 66.5.
Subsistentia Verbi quomodo communicata humanitati. 119 6.7.8.9
Substantiuus *terminus dicitur unus, si forma aut natura una; aut unita.* 69.3.& 74.6
Suppositum. *Vide persona.*
Timor *in quo consistat fuit in appetitu & voluntate Christi* 209.1. & 210.2,3.4.
SS. Trinitas *operata est incarnationem.* 62.3
Tristitia *sensibilis quid: fuit in Christo, & quomodo.* 202.1. & 204.5.8
Tristitia fuit in voluntate Christi secundum partem superiorē & inferiorem. 206.4.5
Valor *actionum Christi infinitus, & vnde.* 225.226.
Vbiquetarij *hæretici.* 124.
Christus secundum humanitatem non est vbique. 124.
Verbum *hypostatice assumpsit humores* 4. *spiritus vitales & animales, dentes & vngues, probabile etiam capillos.* 80. 2. & 82. 7.10. *quo ordine partes humanæ naturæ assumpserit.* 84.1.2.3..4
Viatoris *status & conditio.* 234. 4.5.6
Visio *beata perfectius extensiue coniungit Deo quam vnio hypostatica, non autem intensiue.* 55.7
Visio Dei essentiam attingit adæquate, non item vnio hypostatica. 64.7
Visio aliter terminatur, quàm vnio. *ibid.*7
Visionem beatificam habuit Christus secundum humanitatem ab instanti conceptionis; & perfectius quam Angeli aut homines alij 156.1.2.3.4. *atque ex debito connaturali.* 255.4
Visionem beatam non meruit sibi Christus, potuit tamen. 254. 3. & 257.7.

Vnio hypostatica fuit necessaria ad redemptionem ex perfecta iustitia. 17.1

Vnio sumitur tripliciter 42. *quid sit. ibid.* §.1. *non est productiua respectu humanitatis Christi* 43.§.2.

Vnitiuę actionis terminus est substantialis coniunctio seu vnio in facto esse. 41 1.2.3

Vnio hæc est in humanitate, non in Verbo 46 4. & 5 & p. 48.§.8.9. *constituta est ex duabus primalibus ibid.* 6. *Habet essentialem habitudinem ad personam Verbi. ibid.* 7. *est fundamentum relationis inter humanitatem & Verbum eique dependentiæ illius ab hoc.* 46.8.

Vnio hypostatica est perfectissima tam in ratione vnionis rerum distinctarum, quam in genere donorum gratiæ. 53.1.2. & p.55.§ 5.6.7 *tribuit humanitati consequenter vt beata sit.* §6.8. *est magis supernaturalis quam visio beatifica & perfectius intensiue Deo coniungit ibid* 10 & 55.7. *potest in rationali creaturæ communicari.* §6.9

Vnionis hypostaticæ causa efficiens principalis est solus Deus, neque creatura potest esse; quamuis hæc possit esse instrumentaria causa. §7. 2.3.4.5

Vnionem hanc non præcessit dispositio in humanitate, neque habitualis gratia. §9.1.2.3

Vnio hypostatica comparata vnioni corporis & animæ. 97.10

Vnio hypost. est. est vera compositio 102.3

Vnio duarum rerum inseparabilium & indistinctum quid requirat. 125.5.

Vnio hypost. quomodo sanctificauerit humanitatem Christi. 133. 136.9. 10. & 252. *reddidit Christum impeccabilem* 193 4.

Vnionem hypostaticam non meruerit Christus, nec potuit; humanitas de congruo eam mereri potuit. 244. &c.

Vnionis continuationem non meruit Christus. 253. 2.
Vnionem cum persona Patris aut Spiritus Sancti potuit mereri. 232. 6
Violentum *quid.* 214. 125. 3
Voluntas *Christi fuit libera, & quibus modis. ibid.* 3. 4. 5. 6. *habuit actus efficaces & inefficaces.* 218. 1. 2. 3. 4. *quomodo conformis fuerit voluntati diuinæ.* 219. 1. & 221. & *seq.*
Voluntas diuina quotuplex 220. 3. *quomodo nostra voluntas debeat illi esse conformis.* 221. 4. 5. & 222. 8
Voluntas Christi quæ & quando impleta, vel non. 224. 2. 3. 245. 4. 5. 6.
Voluntas diuina determinata est ad bonum in communi, non ad creatum in particulari. 216. 4

FINIS.